



2
3
144







XXXIV
PARK 4

# DISPUTATIONES De DEO, ET PROVIDENTIA DIVINA.

DISP. I. *An Philosophorum ulli, & quinam Athei fuerunt?*
II. *A rerum finibus Deum esse demonstratur.*
III. *Epicuri & Cartesii Hypotheses de Universi fabricatione evertuntur.*
IV. *Mundum neque prorsus infectum, neque necessitate factum; sed solo Opificis consilio extructum fuisse demonstratur.*
V. *A Generis humani ortu, & Corporis humani structurâ Deum esse demonstratur.*
VI. *Contra Scepticorum & Academicorum disciplinam, potissimùm Ciceronis de quæstionibus Academicis libros, & Cartesii meditationes Metaphysicas disputatur.*

AUTHORE
SAMUELE PARKERO, S.T.P.
Archidiacono Cantuariensi.

*LONDINI:*
Typis *M. Clark*, impensis *Jo. Martyn* ad Insigne Campanæ, in Cœmeterio D. Pauli. CIↃIↃC LXXVIII.

# PRÆFATIO.

CUm à primâ ferè Adolescentiâ in unam de Vitâ Beatâ cogitationem, in quam ipsâ Naturâ omnes incensi sumus, incubuerim, rogitavi non modo de communibus hominum voluptatibus, verum etiam Regum, Principum, Imperatorum, omnium, qui divitiis, qui autoritate, qui honore, qui omnibus Voluptatis prærogativis fruuntur, atque multis tandem & indefessis vigiliis aut nullam esse humani generis fælicitatem, aut unâ religione positam esse deprehendi. Quæ enim sunt magnæ & solidæ istæ voluptates, quibus vivimus, quibus gaudemus, quibus sudorem omnem impendimus, nisi ut cibo & potione famem sitimque depellamus, atque ut laboribus defessi somno & otio nos recreemus? Quæ quid quæso nobis gratum aut jucundum afferunt, nisi quod ipsis corporis molestiis & ægritudinibus medeantur? Adeo ut nulla sit in ipsâ vitâ fælicitas, nisi quod detracto dolore omni, solùm quòd miseri non simus, fælices nos esse putemus. Atque igitur ille ipse, qui *Vitæ Beatæ*, qualis sine religionis solatio haberi possit, *Architectus* habebatur, eam solâ doloris privatione perfici & terminari docebat. Neque tamen aliæ sunt voluptates Magnatum quam Rustici & Aratoris cujusque voluptates;

quanquam enim conviviis magnificè & ſplendidè ornatis accumbant, ſi ſobriè & moderatè epulentur, eandem neque majorem quam iſti in famis depulſione voluptatem conſequuntur; ſi autem helluentur, luxuriæ pœnas crapulæ ſupplicio luunt. Atque etiamſi cibos ſuos ſuavioribus condituris gulæ commendent, jucundiſſima tamen ſunt omnium Socratica iſta famis & ſitis condimenta, quæ qui habet, eidem, ſi modo panem & aquam præterea habeat, exquiſitiſſimis & quidem regalibus epulis menſæ ſuæ extruuntur. Denique quicquid ſibi proprium habent viri principes & magnates, id totum, præter publicas curas, in ſpecie, pompâ, & tumultu ponitur, ad quæ dum ſtupent alii, nullo tamen eorum ſenſu ipſi oblectantur. Omni itaque vitæ humanæ conditione penitus perſpectâ, non modo inquam noſtrum qui communi hominum ſtatu naſcimur, ſed & illorum qui voluptatis quaſi hæredes naſcuntur, niſi ad majora naſcamur omnes, nemini, omnino naſci, operæ pretium eſſe concluſi. Præſertim cum ſi quid in vitâ jucunditatis fuiſſet, tot malis, curis, angoribus, morbis, injuriis, cupiditatibus, ne quid dicam de rerump. odiis, diſſidiis, tempeſtatibus, bellis, everſionibus, cujuſque tranquillitas perturbatur. Atque iſtæc triſtiſſima videtur Calamitatis humanæ ratio, ut cum Vita Beata bonorum omnium adeptione, malorumque depulſione efficiatur, ſi ex innumerabilibus bonis defuerit unum, aut è malis unum acciderit, omnis fælicitatis ſtatus vexetur & funditus evertatur.

Si

Si verò alia omnia Fortunæ tela, insidias, & vulnera devitare possemus; si perpetuis Animi & Corporis voluptatibus constituti simus; si secretis malis omnibus nihil unquam aut ad Gratiam aut ad Voluptatem defuerit; si denique integrâ valetudine ad extremam senectutem vixerimus, nullâ tamen aut philosophiâ aut stupiditate fieri potest, quin infinitum & ineluctabile istuc, quod omni horâ impendet, mortis malum semper metuamus. Eodem enim Affectu dicam an Fato quo se quisque amat, sui interitum perhorrescit, eoque vehementius, quo sibi charior fuerit, seseque magis dilexerit. Atque eo quidem ipsius Naturæ horrore mortem refugimus, ut nihil sit quod eum aut minuat aut tollat, nisi unum vitæ fastidium: At sanè qui ea conditione vivunt, ut vivendi tædeat, ii malorum omnium gravissimo, ipsâ desperatione opprimuntur. Nihil enim melius habent, quo se consolari possint, nisi quod quandiu superesse contingat, miseros se fore noverint, neque quicquam à miseriâ liberaturum esse, donec sempiternâ morte extinguantur. In eas ergo angustias adductæ sunt res humanæ, ut si vitæ dulcedine capiamur, omnem illius voluptatem labefactet tristis moriendi necessitas; sin vivendi tædeat, quid quæso, quem premit ipsius vitæ desperatio, quâvis consolatione permulcere, aut omnino ad vivendum invitare possit?

His ergo multisque hujusmodi aliis monitus non esse Beatitatem hac ipsâ terrâ conquirendam, aliò cogitationes vertendas esse conclusi, atque adeo statim

ab ipsis fundamentis omnia commovere solâque ratione examinare cogitavi. A primâ itaque quæstione exorsus sum, quo Authore in hunc vitæ statum, qualiscunque fuerit, devenire contigit. Quippe in hujus unius loci angustias omnem de Boni Malique legibus, atque de Vitæ Beatæ principiis controversiam adductam esse aliquandiu perspexeram. Ut si fixa & constituta sit Opinio, summum quendam omnium hominum Dominum & Rectorem esse, justitia, fides, humani generis societas, omnisque Virtus quæ aut mihi aut tibi aut Reip. utilitatem afferat, adamantinis simul radicibus esse constitutas. Si verò de eâ dubitetur, omnem Virtutis constantiam, cum principio unde nata & cui innixa sit firmior esse non possit, labefactari: Si denique prorsus tollatur, omnem vitæ gubernationem funditus everti, nullâ Legumlatorum aut fraude aut potentiâ instaurandam. Ut verbo dicam (non enim hic omnem Argumenti rationem narrare licet) ab initio intellexi, si Deus sit, nobis quoque probis beatis esse licere, si non sit, neque beatos esse posse, neque probos esse teneri.

Huic itaque uni operi omnes vires, omnem industriam, omnes vigilias contuli, neque in eâ diu laborassem, nisi primùm Scholasticorum Autoritati nimium tribuissem: Eorum enim disciplinâ ab ineunte ætate innutritus omnem Sapientiam & Eruditionem ab iis discendam esse putabam. Ii verò (ne quid de barbarâ scribendi ratione dicam) cùm à malis initiis exordium cepissent, nihil unquam in veritatis investigatione proficere potuissent. Cùm enim

enim unum *Aristotelem* secuti sint, ipsis Impietatis fundamentis Theologiam suam extruxerunt. Id quod postea cùm de ipso *Aristotele* tum de iis demonstrabimus. His ergo diu illusus ad Philosophos deinde accessi; at horum levitate quam istorum ignorantiâ magis illusum me esse sensi. Ii enim singulari Græcorum vanitate (à quibus omnem philosophiam accepimus) idem, quod Lampsacenus ille Strato, fere conati sunt omnes, ne Dei operâ ad mundum fabricandum utantur. Adeo ut cum maxima ab iis subsidia mihi pollicitus fuissem, eos & qui eorum philosophandi rationem secuti sunt maximos & quidem solos causæ, quam susceperam, hostes esse compererim. His ergo non minori indignatione quam ipsâ Scholasticorum Barbarie missis, postremò omnes meditandi vires in ipsam rerum naturam vertendas esse cogitavi. Hoc autem vix mecum statueram quin rem planè confectam intellexissem. Quippe oculos neque in cœlum tollere, neque in terram defigere, neque in meipsum vertere potui; Quid autem de magnis hisce loquor? non potui formicam, non muscam, non papilionem, non herbam, non fruticem, non denique lapidis in terram descensum intueri, quin Animum statim summâ illius, qui omnia condidit, sapientiæ admiratione perculsum & planè victum esse sentirem. Atque igitur subito gaudio elatus quod veritatem omnium primam & maximam non ut antea opinione, non solâ fide, non imbecillâ verisimilitudine, sed indubitabili demonstratione percepissem, continere me non potui, quin exiguum illius

illius ſpecimen admodum Adoleſcens in publicum illico obtruderem. Quod opuſculum cum ante aliquot annos edidiſſem, pleraque Codicum Exemplaria Incendio Londinenſi ſtatim perierunt. Bibliopola igitur, ut erat poſt horribilem iſtam Stragem magna librorum penuria, alteram Editionem rogavit, quod idem Amici quidam qui jubere poterant, monuerunt. Ego autem, ut dixi, rudi & inquinato Scholaſticorum ſermoni aſſuetus, rem differre ſtatui, donec quicquid Scholaſtici horroris memoriæ fortè hæſiſſet, tandem temporis diuturnitate extabeſceret. Quo demum quodammodo facto: Argumentum de integro, ut ab aliis negotiis vacare licuit, tractavi. Idque primùm oratione facili, quanquam non prorſus abjectâ, perſecutum me fuiſſe ſpero, ſed mediâ iſtâ inter eos, qui nihil niſi verba & ornatum curant, eoſque qui omne verborum decus & numerum negligunt: Id ſaltem curavi (cùm non magno labore fiat) ne faſtidioſi iſti, qui omnem eruditionem in oratione faciendâ & ornandâ occupatam eſſe putant, argumentum ob ſtyli aut horrorem aut exilitatem aſpernentur. Quanquam in verbis non ita curioſus & aſtrictus fuerim, ut iis quicquam placere morarer, qui ſi vel tenuiſſimam quamvis particulam legerint, quam in ipſo Cicerone aut non omnino reperiunt, aut ſitam alio periodi loco, quàm quo ipſe poſuit, Getas denuo & Vandalos, ipſamque Laplandiam in Italiam irrupiſſe vociferantur. Verùm ut verba nova ipſe non excudi uſitatis contentus, ita ſi quæ innovârint recentiores, quibuſcum diſputare contigit,

tigit, cùm quovis ſuâ linguâ verſari religioni non habui. De ſermone verò non multùm laboro, eo uſus, quem tulit adjuncta naturæ indoli mediocris induſtria.

Argumentum autem, quo inquam in omni aut Philoſophiâ aut Theologiâ non alterum nobilius tractatur, quemadmodum ipſe tractaverim judicabunt alii. Atque omnibus eandem de meis judicandi facultatem, quâ ipſe ſum de aliorum ſcriptis uſus, libenter conceſſerim. Nullas enim partes ipſe ſuſcipio, ſolam Veritatem colo & ſequor. Quanquam ſi quâ causâ iniquus & factioſus eſſe poſſem, hâc certè eſſe potuiſſem: Cùm nihil tantundem quàm Mundum optimâ Numinis Providentiâ gubernari omnium intereſſe putaverim. Eâ tamen æquitate diſputationem aggreſſus ſum, atque omnia in utramque partem rationum momenta & pondera æſtimavi, quaſi nihil aut officii aut emolumenti ageretur. Atque igitur Argumenta non modo popularia ſed & leviora omnia prætermiſi, unum à præclariſſimis rerum finibus per omnes naturæ partes ſecutus. Nihil enim petere, nihil impetrare, nihil declamitando perſuadere volui, ſed imprimis mihimetipſi ſatisfacere atque aliorum omnium aſſenſum ſolâ demonſtrationis vi & perſpicuitate extorquere. Non igitur magnam eſſe Naturæ commoditatem, ſummam Univerſi pulchritudinem, mirabilem cœleſtium ordinem ſolum dicere ſatis putavi. Id quod jamdiu pleriſque uſu veniſſe animadverti, qui admirabilem eſſe univerſi fabricationem clamant, quæ autem ſunt ſingulæ com-

commoditatum rationes explicare nunquam progrediuntur: Verùm ſi tres quatuorve locos è *Ciceronis* de Naturâ Deorum libris attulerint, quibus Naturæ pulchritudinem ipſe mirari viſus eſt, Argumento ſatis ſe feciſſe arbitrantur. Atque equidem toties in aliis ſcriptoribus eoſdem repetitos legi, ut ſi Authorem ipſum nunquam legiſſem, alios legendo memoriter recitare didiciſſem. Ego autem ſingulas commoditatum rationes, quæ hoc noſtro Terrarum Orbe cernuntur, quoad potui, ſtudioſè diligenterque conquiſivi, quibus id unum quod vellem me conſecutum fuiſſe ſpero, ut nullo *Mechaniſmo*, neque fortuito, neque fatali, ſolo autem Opificis conſilio extructa fuiſſe omnia demonſtraverim. Quicquid autem de Argumento dicendum ſit, hoc ſaltem mihi ipſe aſſentatus ſum Libellum poſt alios omnes non prorſus inutilem fore; idque hac ſaltem, ſi nulla alia ratione, quòd impios omnes aut prorſus Aſotos aut admodum imperitos eſſe demonſtrat, atque ſi quid Autoritatis à doctis acceperint, id totum à levitate eſſe profectum. Atque equidem inanem iſtam oſtentationem humanæ omnis tum impietatis tum miſeriæ fundum ſemper exiſtimavi: ut ne quidem ſceleſtiſſimus quiſque palam impietatem profeſſus fuiſſet, niſi ut inde majorem aut Ingenii aut Audaciæ gloriam adipiſcatur. Atquî omnes (quod maximè dolendum eſt) qui ſe ingenii acumine antecelluiſſe putarunt, hæc gloriæ ſcabies maximè corripuit, ut ſint, quanquam ipſi improbi nequaquam fuerint, qui quicquid publicâ autoritate ratum eſt, conati

ſunt

ſunt evertere, atque potiſſimùm ipſam religionem, cujus ſemper apud omnes Populos ſanctiſſimæ fuere leges, ſolùm ut inſanam iſtam quam dixi nominis famam depecularentur. Et quidem ni ita ſe res haberet, omnis Impietas non minùs autoritatis quàm rationis patrocinio caruiſſet.

Magna eſſe fateor Ariſtotelis, Carteſii, aliorumque Philoſophorum nomina, quorum faſtidium & levitatem eâ quâ oportet libertate reprehendo. Id tamen non eo Inſtituto feci, quod tantos viros maledictis & contumeliis laceſſere placeret, ſed quod (ut de Epicuro inquit Cicero) *fieri nullo pacto poſſit, ut non dicas quid non probes ejus à quo diſſentias.* Quâ autem ratione diſſenſerim, quemvis modò quâvis ſit æquitate aut (ſine quâ æquus eſſe nequit) probitate judicare volo. Solam enim veritatem, non victoriam, non cum doctis viris contentionem quæro; qui ſcilicet eâ Animi ſimplicitate vivo, ut præter unam Veritatis inveſtigationem, meo labore nihil dignum exiſtimare poſſim. Neque diu poſt opus inceptum de quovis præter unum Epicurum redarguendo cogitaveram; cùm verò in aliorum, qui meliori famâ fuére, ſententias inquiſiſſem, eos quoque eodem quo Porcus iſte, luto volutaſſe perſpexi. Ut profectò id me acriter dolere fatear tot tantoſque viros, qui eruditionis famam conſecuti fuere, tam infami cauſæ Autoritatem attuliſſe. Quod tamen cùm fecerint (ut complurimi fecerunt) neceſſe erat ut eos non ratione ſed ſolâ vanitate ductos id feciſſe demonſtrarem. Id verò ſi obtinuerim ut non Autoritate, ſed ſolâ ratione controverſia a-

gatur, neque *Græcorum* acumen, neque *Romanorum* facundiam; quid autem de Græcis & Romanis loquor? Ipſas Inferni portas, in causâ tam nobili, tamque perſpicuâ, ne quidem ipſe ſolus etiam in hâc meâ ingenii mediocritate extimeſcerem.

Conqueſturos eſſe non dubito cujuſque Sectæ diſcipulos Magiſtrum ſuum liberius quam illius dignitatem decet reprehensſum eſſe. Eum enim ſceleratorum omnium morem eſſe novi, ut ſuæ impietatis convicti, neque quicquam quod reſpondeant habentes, de iracundiâ & calumniandi voluntate vociferentur. Sic *Marci Antonii* amicos, cùm nihil *Ciceronis* integerrimi viri accuſationibus reſpondere poſſent, eidem objeciſſe memini iracundè nimis & contumeliosè iſtam reip. peſtem & belluam (quâ nulla unquam ætas tetriorem peperit) accuſaſſe. Controverſia autem iſta in rebus politicis, quæ ſemper minus certæ ſunt, verſabatur; noſtra verò in certiſſimis hominum decretis, non an quid flagitioſum clam moliantur, ſed an quid tale apertè docuerint. Quod ſi quenquam docuiſſe comprobetur, ſua certè conſtat cuivis ſine calumniæ ſuſpicione accuſandi libertas. Quâ itaque libertate, eo ſum & candore & integritate uſus, ut ſi quibus iſtiuſmodi clamoribus impudicum iſtud hominum genus innocentiam meam inſectabuntur, res ipſa efficiet ut illæsâ iſtâ nil niſi petulantiæ ſuæ ignominiam conſequantur. Probis enim & cordatis omnibus ſummum honorem ſemper tribuo, atque etiam, ſi quando diſſenſerim, ſuas cuique laudes integras eſſe curavi. Atque tantum abeſt ut quic-

quicquam eorum famæ detractum & imminutum esse velim, ut nunquam optimos ejusmodi viros sat magnis honoribus ornari posse putaverim. Quid enim secundùm ipsum Deum omni cultu, omni honore, omni studio dignius, quàm homo, qui cùm singulari Numinis munere aliis sapientiâ præstiterit, eâ in communem humani generis fructum integrè utatur? Ut profecto pauca sint quæ vehementius doleam quàm quod nunquam meritas pro beneficiis gratias reportaverint; imò (quod nunquam satis dolendum est) quòd gratiarum vice tanquam proscripti & publici odii victimæ facti nil nisi maledicta, contumelias, & opprobria (imò nonnunquam, neque id raro, capitis supplicia) ab ingrato seculo plerunque accepisse memorantur. Atque equidem maximè dolerem, nisi quòd posteaquam mundum optimâ Numinis Providentiâ gubernari intellexerim, clarissimo argumento esse intelligam, cùm debitis Officii præmiis hac vitâ non decorentur, eos eâ tam iniquè defunctos longè majora atque virtutis suæ altitudine digniora alterâ manere. Cùm igitur eâ conditione nascamur omnes, sorte nostrâ lætemur, atque hilares eam vitæ rationem ineamus, quam nos & Deo & nobisſmetipsis charos effecturam esse novimus. Ut eo consilio semel inito, nihil aut ab Officii constantiâ, aut à fælicitatis fructu, neque vitæ calamitas, neque mortis metus dimovere valeat.

Atqui præter divinos & cœlestes istos homines, qui hâc ratione vivere, hac mori possunt, alii sunt, qui reconditioris philosophiæ specie omnes

virtutis & officii rationes apertè tollere nituntur. Quos tamen (quanquam magna de ſe ad nauſeam uſque pollicentur, atque bonorum omnium conatus, quibus humano generi inſervire vellent, intolerabili faſtidio aſpernantur) ſi propius adiveris, nihil agreſti quovis cum omni ſuâ Arrogantiâ plus intellexiſſe invenies; Plus intellexiſſe dico? imò ruſticâ quâvis aniculâ ſtultius de re quâque cenſuiſſe. Hi inquam ſunt, quorum impietatem & malitiam, quanquam & eorum faſtidio infenſus eſſe debeam, omni indignatione reprehenſam eſſe vellem, neque eos, modo abſit à reprehenſione contumelia (quanquam vix adeſſe poteſt) eâ quâ merentur ſeveritate corripi poſſe puto. Et quanquam quoſdam non minimâ indignationis ſpecie reprehenderim, tamen ſi majori ingenii acumine valuiſſem, longe acrius (ut liberè dicam) reprehendiſſem. Tametſi enim illos odio, quo ſummo digni ſunt, non habuerim, cùm tamen eorum impietatem totâ mente oderim, ne quâ ſint inter doctos autoritate, omni contemptu conculcandos eſſe vellem. Atque ut cujuſmodi homines iſtâ accuſatione præcipuè notaverim, Lector intelligat, tales eſſe ſciat (quid enim omnium hoſtes apertiſſimos nominatim accuſare timerem) quales ſe imprimis *Epicurus*, *Vaninus*, & *Hobbius* præſtiterunt. Qui in ſummâ rerum omnium ignorantiâ verſati, eo quo dixi faſtidio omnia noſtri & officii & fælicitatis momenta abdicarunt. *Vaninum* hominem vaferrimum ſemper exiſtimavi, *Epicurum* autem & *Hobbium* diu in Philoſophorum choro numerandos

dos esse duxi; atque igitur *Disputatione primâ* tam Ingenii quam Eruditionis non mediocris laudem iis tribuendam putavi. Cùm verò postea eorum scripta diligentius examinare contigit, tantam in iis infantiam, tantam futilitatem, tantam in extremâ rerum ignoratione impudentiam deprehendi, me (fateor) diutius sustinere non potui, quin tandem summo eo, quo merentur, contemptu haberem. Atque cum quibus rationibus impietatis causam uterque egit & adornavit, Lector intellexerit, modò quâvis sit animi probitate, non magis contemptos atque acrius reprehensos fuisse ipse, haud dubito, indignabitur. Cùm enim optima Numinis Providentia maximis & pene divinis nos dotibus ornaverit, sibique cum animi bonitate tum beatitate proximos esse voluerit, quid tetrius nobis aut indignius fieri possit, quàm ut in Quadrupedum conditionem nullius aut virtutis aut beatitatis compotem detrudamur, solùm ut pauci quidam Sophistæ nomen aliquod, seu potius qualemcunque nominis memoriam consequantur? Quas enim miserias terrarum Orbi inferant, suâ nihil interesse putant, modo quibuscunque hominum calamitatibus ad inanem gloriolæ speciem ipsi grassentur. Itaque in perditos istos ut in maximè exitiosam atque manifestè deprehensam in ipsum hominum genus conjurationem simul omnes bellum sempiternum denunciemus. Neminem certè miserum esse delectat, quid ergo cum iis agendum erit, qui perduelles & communes omnium hostes se profitentur, qui sublatis justitiæ & charitatis legibus omnes omnibus

bellum indicere & inferre persuaderent? De iis saltem quid mitius statuendum, si incolumes esse velimus, nisi ut hostes esse judicentur? Atque istuc cum fecerim, liceat quæso liceat bonos omnes orare, obsecrare, obtestari, imo & iis exprobrare liceat, ut contra eorum amentiam non unius populi remp. sed omnium hominum communem junctis viribus & consiliis tueantur. Quis enim, quasi suâ nihil interesset, iners & ignavus esse possit, cùm bellum nefarium contra publica Numinis templa, privatas cujusque ædes, conjuges, liberos, fortunas comparari & geri viderit? Quid autem pluribus prosequar? Res palam est, facta est conjuratio, deprehenduntur Manlii, Catilinæ, Cethegi; Quippe hi sunt, qui nullum esse Numen, nullum Mundi Dominum & Rectorem palam & apertè docent, nullam esse officii rationem, nullas boni malique leges, virtutem omnem solâ populi opinione esse fundatam, cuiquam quicquid libet licere, suum cujusque commodum sibi suarum actionum normam fore, sapientem quicquid suis rationibus conducat acturum, nullâ adversus alios benevolentiâ teneri, neque Patriam, neque Parentes, neque Liberos curæ habere, se sibi soli charum esse, & quicquid eâdem secum cuticulâ non habitet, à se prorsus alienum reputare. Eos autem qui ad dignitatem omnia referri, qui officium commodo anteponi oportere, qui virtutem, qui religionis cultum, qui rectam conscientiam ipsâ vitâ chariorem esse aiunt, impudentissimos esse omnium prædones, quod cùm omnia sui causâ faciant, se soli reip.

consu-

consulere profitentur, atque adeo nullum probos inter & improbos discrimen esse, nisi quod qui probitatis speciem præ se tulerint, omnium scelestissimi haberi mereantur, qui autem apertè nefarii sunt, qui jura omnia divina humanaque conculcant, qui nulla scelera, nulla flagitia, nullos furores metuunt, eò meliores esse, quo se deteriores profitentur. Quo cum pervenerit impia & indocta disputatio, quid mirum si ex istiusmodi decretis simile sequatur vitæ institutum? Ut nullam officii rationem haberi concionentur, cuique si è re suâ existimaverit, patriam prodere, parentes trucidare, conjuges & liberos veneno conficere licere, Sapientem nullam communis utilitatis curam habere, omnem conjunctionis humanæ societatem contemnere; omnia fidei, justitiæ, verecundiæ vincula perrumpere; cædes, incendia, rapinas moliri; imo denique non modo singulares victimas, sed & si fortè detur facultas totas nationes suæ libidini immolare. Hæc sunt Impietatis docta Effata, hæc præclara facinora, quæ si unquam quâvis Autoritate esse obtinerent, ipsum Mundum unâ communi strage & ruinâ sepelirent. Cùm itaque hæc sit impiorum disciplina, hæc vitæ ratio, judicent boni omnes, ut cum qui unum hominem interfecerit, eum omni curâ è republicâ tollendum esse arbitrentur, quantâ diligentiâ ex omni hominum societate amovendi sint isti, qui ipsam humani generis conjunctionem uno ictu jugularent.

Quan-

Quanquam ſit & alterum hominum genus, quibus me haud minùs acrem Adverſarium ſemper ſum profeſſus & profeſſurus: Ii ſcilicet qui ſanctiori pietatis ſpecie ad omnia flagitia perpetranda ſummâ tam audaciâ quàm impietate utuntur. Atque adeo ut de Epimetheo olim finxerunt, qui apertâ Pandoræ pixide, quam Dii Deæque omnes donis omnibus repleverant, Terrarum Orbem omni malorum genere replevit: Ita iſti quod Deus Opt. Max. maximo vitæ humanæ ſolatio & beneficio inſtituerat, omnium miſeriarum calamitatumque fontem uberrimum effecerunt. Hi ſunt qui teterrimis de Deo opinionibus imbuuntur; qui ipſum non benevolentiæ, non juſtitiæ, non charitatis, non miſericordiæ legibus ſubditos ſuos gubernare putant; qui tetricum, qui durum, qui acerbum, qui vindictæ cupidum, qui rebus minimis infenſum eſſe, qui denique poſthabitis aliorum omnium rationibus ipſum ſui tantum imperii gloriæ & amplitudini conſulere arbitrantur. Atque cum de eo peſſima quæque cogitaverint, quod tamen maxima ſint ſummi Numinis attributa, ſummas ſtatim eſſe virtutes ſibi perſuadere pergunt. Nemo enim eſt, quàm male cunque de Deo ſuo opinetur, qui non eundem crediderit eſſe optimum: Atque igitur ſi quis affectum quemvis à virtute & juſtitiâ ſecretum Numini ſemel imputaverit, mox inde omnem virtutis & juſtitiæ conſcientiam ex animo ipſe ſibi exurit. Cùm enim medium nihil inter virtutis vitiique cultum reperiatur, fieri non potuit, quin ſublatâ virtute contrarium

rium cujuſque vitium in illius locum ſubſtituatur. Unde ſuperſtitioſi omnes non modo non bene ſed ſemper peſſimè de ſummo Numine cenſuerunt. Ut igitur omnium in unâ Juſtitiæ virtute exemplum ponamus. Hujus enim quæ laus, quis uſus, quæ bonitas, niſi ut ab omni pravitate & turpitudine coerceat, atque in omnibus honeſti, recti, & decori rationem tueatur? Eam tamen ſuperſtitioſi quidam ſolam vindictæ cupiditatem eſſe reputantes, non modo juſtitiam omni æquitate ſejunctam, ſed turpiſſimâ crudelitatis libidine inquinatam invenerunt. Quâ ſcilicet ipſi Deo fas eſt in Imperii ſui laudem & gloriam innumerabilem hominum multitudinem ſempiternis ſuppliciis & cruciatibus ſine noxâ, ſine culpâ, ſine quâvis delicti conditione, ſolo arbitrii (ut malè vocant) beneplacito devovere. Eoſque omnes, ut huic crudelitati quandam Juſtitiæ ſpeciem adhiberet, præpotente ſuo impulſu ad ea perficienda ſcelera incitare, quæ revera ſempiternis iſtis miſeriis, quibus devoti erant, jure puniri mereantur. Quibus quid turpius, quid crudelius, quid injuſtius de quovis Tyranno, imò de ipſo Diabolo excogitari poſſet? Cujus enim tantæ crudelitatis fuit infinitis hominum innocentium miſeriis delectari, eoſque nullâ aliâ causâ niſi ut ſe ſempiternis eorum ejulatibus delectaret, condidiſſe? Cujus tantæ Injuſtitiæ eoſdem abſque quâvis delicti obligatione diris omnibus & ſuppliciis mactare? Cujus denique tantæ turpitudinis tam fœda in iis ſcelera perficere, ut quæ nullis nunquam pœnis, nullis cruciatibus, ne quidem ſempiternis ſa-

tis expiari possent? Quàm dura, quàm immania, quàm horrenda sunt ista Portenta! Deum Opt. nos eâ solum conditione nasci voluisse ut ex infinitis nostris miseriis æternam voluptatem ipse meteret! Deum Opt. ne istâ voluptate suâ fraudaretur, quam sibi in Orbis conditi præmium pollicitus fuisset, se potius omni flagitiorum genere polluisse! Deum denique Opt. sibi laudi atque gloriæ fore putare nos summè miseros simul & sceleratos fecisse! Hæc autem aliaque ejusmodi ab honestate, à virtute, à benignitate secreta in Deo esse rati, eosdem Affectus, quos ipsi ascripserunt, mox sibi induere conantur. Quippe nemo est tam abjectæ sortis, tam angusti animi, qui non æmulatione accendatur, ut Deum, quem Optimum putat, quodammodo imitetur. Atque hinc exortum immane & belluinum istuc hominum genus, qui optimâ Conscientiâ pessima quæque flagitia perficiunt. Qui religiosissimo Numinis exemplo totas nationes utpote à Deo exitio devotas canibus stygiis, furiis, & diris consecrantur. Qui facibus, qui incendiis, qui cædibus in majorem Dei Gloriam ubique grassantur. Qui denique ut crudelissimis illius, quæ jam ante diximus, decretis satisfaciant, omnes quos exigui sui gregis censu numerare non placet, tanquam Deo exosos omnibus miseriis exagitare moliuntur. Hinc istæ quæ tam iniquè in ipsam religionem deplorantur querelæ, *tantum peperisse malorum*, non modo quod conquestus est unus unam mulierculam mactatam esse, verùm populos, regna, provincias Dîs Infernis continuò & ubique immolari. Atqui infi-

infinitus essem si gentium omnium calamitates commemorarem; quæ enim in omni Terrarum Orbe natio reperitur, quæ ætas, quod regnum, quæ respublica, cujus annales non sanguine, non cædibus, non perduellionibus repleverunt? Hanc igitur animi malignitatem non minùs quàm apertam impietatem ex omni rep. amoveri bonorum omnium interesse dico. Atque primùm eo potius quod malum sit, cui facilius anteverti quam mederi possit. Populus enim priusquam insanierit, facillimè legibus coercetur, fanaticâ autem rabie semel correptus excussâ mox omni custodum reverentiâ circumvolitare, omnes qui obviam fiunt laniare, atque eâdem tabe contaminare: ut quidem sæpe contigerit pestiferam hanc contagionem, quæ ab uno aut paucis profecta est, brevi tempore totos populos, totas nationes, totas provincias profligasse. Adeo ut maturo unius aut paucorum supplicio ipsa Reip. societas à ruinâ tuta & incolumis conservari posset, cui tamen si paulo tardius ut *Actæoni* canum multitudine laniato subveniatur, eam vix ullis unquam viribus, ullis consiliis, ullis conatibus è populi insanientis faucibus eripiemus.

Quanquam tamen hos potissimùm idcirco amoveri vellem, quod etiamsi sint hostes minus quàm qui ex impietate peccant malitiosi, vereor tamen ne sint multò tetriores. Furiæ enim istæ, cùm nullâ animi tranquillitate, nullâ domi pace, nullâ intus quiete gaudere possint, sed contrà omnibus Conscientiæ facibus, virgis, flagellis noctes atque

dies crucientur, horribili istâ rerum omnium desperatione, quas ipsi miserias sentiunt aliis omnibus inferre solicitantur. Quippe cum ipsi animo tranquillo esse nequeant, nihil habent quo calamitosæ suæ ætatis tædium fallant, nisi ut alios omnes communi secum calamitate obruisse lætentur. Atque igitur quanquam nullâ præmii spe, nullâ de rep. solicitudine, imo denique nullâ de rebus privatis voluptate teneantur; quas tamen ærumnas? quos labores? quas vigilias? modo communes omnium fælicitatis rationes labefactare possint, etiam cum ipsius vitæ, capitis, omniumque fortunarum periculo subire non sustinebunt? Hi tamen cum improbos se planè noverint, nullâ fiduciâ sibi constare possunt, magnâ animi in suis sceleribus ægritudine jactantur, neque scelera quævis nisi summâ & anxiâ sui diffidentiâ impediti & quodammodo vincti perpetrare possunt. Isti autem, cùm nullâ suorum scelerum conscientiâ anguntur, eadem facinora summâ cum fiduciâ perficere non metuunt. Non metuunt? imò verò omnia flagitiorum genera erecto atque fidenti animo moliuntur. Cùm enim quid bonum quid malum sit nesciverint, imò cum in cujusque virtutis locum vitium cuique contrarium substituerint, quas furias, quos ignes, quas tædas ab iis & reip. & cujusque ædibus immitti non vereamur? Quid enim à quovis scelere eos coercere possit, qui ad omnia perpetranda teneri se arbitrantur? Atque hujusmodi homines semper fuere, qui maximas calamitatum copias Terrarum Orbi intulerunt. Quanquam enim manifesto scelesti plerun-

plerunque fuerint primi cujuſque ſceleris authores, nunquam tamen niſi horum adjumento conſilia ſua ad exitum perducere potuiſſent. Atqui hos nimium paratos ſemper repererunt, ut quicquid ipſi ſceleris excogitaſſent, hi omni animi alacritate exequantur. Ut ſi omnium nationum monumenta percurramus, nullam in omni Terrarum Orbe gentem tam beatam inveniemus, quam fanatico ſuo furore non aliquando everterunt. Ne verò gentium exterarum miſerias commemorem, quæ mala, quas clades, quas ærumnas ab hujuſmodi Furiis nos, nos, inquam, Britanni nuperrimè pertulimus. Quantâ rabie, quantâ inhumanitate, quantâ petulantiâ bellum nefarium in Regem optimum inferebant? quâ crudelitate gerebant? quâ ſævitiâ omnes qui belli eventu in eorum venerant poteſtatem, tractabant? Quâ acerbitate regem ipſum inſequebantur? Quàm indignè, nullâ habitâ adverſus regiam perſonam & dignitatem reverentiâ, tanquam unum ex infimâ fæce latronem exagitabant? Quàm juſtas pacis conditiones ab eo ſæpius oblatas repudiabant? quàm duras, quàm iniquas, quàm indecoras ipſi offerebant? Et ne omnes horribilis Tragœdiæ partes exponam, quàm perfidiosè, quàm immaniter, quàm nefariè vendebant, emebant, prodebant, trucidabant? imò denique quam inauditâ malitiâ, quæque omnia ſicariorum flagitia ſuperat, Regis interfecti famam & memoriam maledictis, contumeliis, mendaciis, atque omnibus calumniandi artibus violare conabantur. Quæ

omnia ſcelera, ſi quæſiveris quâ publicâ regiminis culpâ incenſi perfecerunt; nullâ omnino nullâ, niſi inexpiabile ſit in Principe peccatum ſumma Bonitas & Clementia. In hunc tamen non modò regum ſed & hominum optimum belluinâ iſtâ conjuratione inſurrexerunt, ſolum quod malis de Religione opinionibus omnem virtutis, omnem modeſtiæ, omnem humanitatis conſcientiam decoxiſſent. Quis enim eo clementius imperavit? quis juſtius? quis moderatius? Quis majorem reip. curam geſſit? Quis minora vectigalia popoſcit? Quis ſubditorum querelis pari facilitate auſcultavit? Quis ut iis quoquo modo placeret, tantum ſibi à regiæ Majeſtatis prærogativâ detraxit? At nihil valebant iſta omnia, neque quicquam valere potuit. Quanquam enim omnia, quæ optare, quæ poſtulare, etiam & quæ rapere poterant, haberent, tranquillo tamen animo eſſe non poſſent, niſi ſummo iſto, quod Deo ſuo tribuiſſent, imperio ipſi quoque gauderent, ut quos placeret, ſive Reges, ſive Magnates, ſive Sacrorum Antiſtites, ſine lege, ſine juſtitiâ, ſine miſericordiâ inexorabili ſuæ crudelitati mactarent.

Præcipui hi duo ſunt humani generis hoſtes; at alii ſunt, qui quanquam hoſtes non fuerint, ſunt tamen Proditores: prudens ſcilicet & cautum iſtuc hominum genus (ſic enim ſibi in ſuâ calliditate aſſentantur) qui ut ad omnem rerum mutationem incolumes ſe ſervent, cum omnibus pariter amicitiam aut ſimulant aut colunt. Atque adeo dum impios clam, furioſos apertè nimis amplectuntur, calli-

callidâ istâ suâ mansuetudine utrisque nimium favoris & gratiæ semper conciliarunt. Hos etiamsi majori lenitate tractandos putaverim, quòd ipsi improbi nequaquam fuerint, neque improbos amaverint, imò fortè odio quo oportet intus habuerint, nunc tamen eâdem severitate, quâ impii & furiosi, objurgandos esse puto, quòd ipsam impietatis causam suâ potissimum imprudentiâ tueantur. Ipsi enim impii, qui & quales sint, suo scelere illico satis omnibus indicarent, nisi quod horum popularium favore frui, aut saltem odio non haberi videantur, Populus eos tam tetrum atque pestiferum belluarum genus non existimet. Cùm ergo fallaci & astutâ suâ moderationis, lenitatis, atque misericordiæ specie ipsum Populum in sui perniciem maximè decipiant, cùm improbis sua flagitia perficiendi potestatem faciant, cùm denique bonos omnes sui negligentiâ in eorum insidias pertrahant, iis si stultam prudentiæ suæ amentiam paucis exposuero, nullo aut parvo meo labore cuique de suâ improbitate sua cujusque conscientia exprobrabit. Primùm ergo, amici, quem vobis fructum istius vestræ prudentiæ polliceri potestis? Incolumes esse vos velle dicitis, atque igitur omni rerum mutationi antevenire, omnium inimicitias, odia, & furores devitare; ut quibuscunque summa rerum fortè deferatur, ambitiosus nemo in nostram perniciem unquam concitetur; saltem quieti esse desideramus, quid enim nostrâ refert nos aliorum rationibus interponere? Suas quisque curet, alienas, nisi homo molestus & importunus haberi velit, iis

quorum

quorum intereſt curandas permittat. De rebus ergo publicis inter ſe luctentur alii, qui ambitione, qui invidiâ, qui animi tempeſtate ſe abripi patiuntur; nos modeſti, nos humiles, nos moderati ſumus, ſat bene contenti ſi fortunarum mediocritate tutò & quietè gaudere poſſimus. An verò hæc ſit, amici, noſtra, quâ tantum nobis plaudimus, in rebus civilibus prudentia? Sic ſapimus? ſic res familiares adminiſtramus? Sic nobis, ſic liberis providemus? Sic domicilia, ſic tecta, ſic fortunas defendimus, ut ſalvam eſſe rempublicam noſtrum atque noſtrorum imprimis intereſſe non cogitemus? Ut neſciamus unam eſſe omnium incolumitatem, quæ cuique quàm ipſe ſibi conjunctior eſſe debet; quæque niſi integra ſervetur, neque tu neque ille neque Ego ſalvi eſſe poſſumus. Hanc igitur maximè tueri ſuæ ſaltem ſalutis causâ, cujuſque imprimis intereſt, quoniam niſi eâ primùm ſtabilitâ jacienda ſint nulla cuiquam fælicitatis fundamenta, eâque everſâ ruant ſimul & labefactentur omnes uniuſcujuſque fortunæ. Stultorum ergo hominum eſt ſibique & ſuis malè providentium res publicas à ſuis alienas putare, atque iſtis penitus neglectis ſuarum tantum rationem habere. Sic vident, ſic ſapiunt, ſic rationes ſuas intelligunt Infantes, qui modo crepundiis ſuis domi aliquandiu lætentur, quæ ſint in urbe incendia nihil ad ſe pertinere putant, priuſquam ipſa domicilii ſui tecta flammæ contagio occupaverit. De veſtræ igitur Sapientiæ acumine gloriari deſinite, neque vos prudentes viros, nedum cives probos ante putetis, quàm civitatis

vitatis rationem primo loco habendam eſſe vobiſcum ſtatuatis.

Atque hinc profectò maxima rerum humanarum jactura ſemper facta eſt, quod homines plerique nimis arctam tum commodi tum officii ſui rationem ſemper habuerunt. Si enim in mercaturis faciendis, ſi in negotiolis ſuis officinariis honeſtè rem quæſiverint, nullâ de publicâ incolumitate curâ, nullâ de eâ tuendâ officii conſcientiâ tenentur. Nullam ſe cum iis qui remp. gerunt, rationum ſocietatem habere, Magiſtratus res ſuas ſui duntaxat causâ, ut ipſi Mercaturas, adminiſtrare arbitrantur. Atque adeo ſi quæ fortè extremo reip. periculo graviora impoſuerint vectigalia, populus ſua ſibi bona eſſe direpta, ſe ſpoliatos, vexatos, fortunis everſos eſſe queruntur, aut quaſi ſalvam eſſe Patriam ſuâ ne teruntii pretio intereſſet, aut quaſi eversâ Patriâ Officinæ ſuæ ſalvæ eſſe potuiſſent. Quid autem de Operis, de Mercenariis, de illiberalibus iſtis dicam, à quibus, utpote qui in ſordidâ vitæ ratione verſantur, nihil liberale, nihil ingenuum, nihil prudens expectare debeamus? De vobis verò quid dicemus, qui amplioribus mentis dotibus vos ornari putatis, qui ſingulari prudentiæ vi & acumine gloriamini, quiqui (eſtis enim & vos faceti) Ariſtidis juſtitiam, Catonis integritatem, qui Ciceronis Conſulatum, qui bonorum omnium labores, curas, pericula, quæ ultro pro Patriæ ſalute ſubierunt, ridetis; Vos, vos, inquam tam cæcos atque rerum humanarum tam imperitos eſſe, ut privatas veſtrum rationes publicis præcipuè contineri non intelligatis? Quæ major eſſe poteſt

ignavia? Quæ desidia? Quæ stultitia? Quæ Infantia? Quæ denique turpior fortunarum omnium eversio? Quo enim alio nisi Reip. munimento incolumes vos fore putatis? Quid? an domesticis parietibus thesauros omnes satis custodiri censetis? Quid an in communi omnium Incendio ædes vestras sacrosanctas atque à flammis securas cogitatis? Quid an fures, sicarios, gladiatores vestris possessionibus, cùm ab iis vi & armis vos exturbare possint, manus sacrilegas atque rapaces abstinere creditis? Quid an à latronibus, à parricidis, ab amentibus, à perditis istis, qui nequeunt nisi latrocinio vivere, qui omnia quietâ republicâ desperant, qui cædibus, qui rapinis, qui incendiis, qui ipsâ rerum vastatione lætantur; an ab his inquam lenitatem, ab his misericordiam, ab his continentiam vobis spondere potestis? Aut si vobis fortè pepercerint, quod Patriam in impias eorum manus tam facile tradideritis; an non prudentius putatis impedire, quandiu licuit salvâ republicâ, ne in eorum potestatem vestras vobis fortunas aut condonare aut eripere veniret, quàm ut ab iis quod omni jure jam ante vestrum est, quasi timiditatis & perfidiæ mercedem accipiatis? Id enim maximum est quod à latronibus expectare possitis beneficium, ut vestra vobis prædiola relinquant, quòd vicinorum omnium possessiones eorum furori prodideritis. Quid multa? hostili sunt animo in rempublicam improbi omnes, neque probi ullâ aliâ ratione nisi eâ salvâ salvi esse possunt, nisi igitur fuerimus omnes hostes hostibus, neque è re nostrâ neque è rep.

faci-

faciemus. Atque istæc profecto altera in hominum societatibus ruinarum causa maxima semper extitit, quod boni omnes non satis forti & consentiente animo bellum apertum cum improbis omnibus susceperunt. Quanquam enim invidia quæ excellentium hominum virtutes ut umbra sequitur, magna præclarè gestis semper afferat impedimenta; cùm ea sit vestrûm (qui ipsi nullum pro Patriâ laborem sustinere vultis) malevolentia, ut citius nemo de rep. optimè meruerit, quin eundem mox obtrectatione vestrâ ut feram canes laceretis. Atque sic fieri semper compertum est, ut si quis publicæ utilitati se devotum ostenderit, invidi, lividi, malevoli (quales sunt ignavi omnes) eum omni bene agendi facultate spoliare nitantur. Quanquam verò magna sit labes, quam invidiâ vestrâ, major tamen est quam ignaviâ reip. affertis; ut enim istâ bonorum conatus impeditis, ita hâc improbis omnibus adjumento estis. Nullum enim ab iis immineret periculum, nulla iis foret lædendi facultas, si vos quoque forti atque constanti animo eorum hostes esse auderetis. Quippe cives insigniter improbi & perniciosi admodum pauci sunt pro bene sentientium multitudine, ut quantumcunque luctentur, nihil unquam mali perficere potuissent; nisi quod vos vestrumque sequaces, i. e. maxima pars eorum quos iis contravenire oportet, ignaviâ vestrâ remp. illorum impietati permittatis. Cùm enim vestram timidorum gregem à Patriæ defensione duxeritis, perpauci sunt qui se atque latera sua audent contra objicere, ii scilicet quorum honestati cœlestior quæ-

dam Naturæ indoles divinam animi magnitudinem adjunxit. Adeoque bella inteſtina plerunque inter optimos & peſſimos quoſque geruntur, atque idcirco pari fere numero & incerto exitu, niſi quod dum ſtulti plerique improbos ſequantur, atque callidi omnes ſibi conſulant, optimi quique, tanquam Imperatores præclari ab exercitu deſerti, hoſtium telis & mucronibus nudi exponuntur. Cùm ſi vos timidi, qui omnia circumſpicitis pericula, præter unum illud quod ipſo capite oppugnare debetis; ſi inquam vos ad Optimatum partes contra perduellium conatus fortiter accederetis, eſſetis ſemper non minus virium magnitudine quàm cauſæ nobilitate ſuperiores. Deſinite ergo vos viros prudentes aut cives bonos cum omni iſto veſtro ſupercilio jactare, donec vos quoque bellum apertum improbis omnibus indixeritis. Quanquam enim prudenti iſtâ moderatione veſtrâ ſicarii & perduelles non fueritis, Patriæ tamen deſertores & proditores eſtis, quâ unâ Perfidiâ proximi ſcelere acceditis ipſis Patriæ Parricidis. Cùm enim improbi ſint iſti, qui eam interficiunt, quantò vos meliores, qui cum nefarium parricidium poſſitis impedire, nolitis? Tot ergo ſeculorum experientiâ, tot gentium cladibus, tot rerump. everſionibus edocti nunquam impoſterum ignaviâ pereamus, ſed ſi tuti, ſi ſapientes, ſi non prorſus fatui eſſe velimus, improbos omnes inexpiabili bello inſectemur, atque nullas cum iis amicitias, nullam pacem, nullam concordiam, ne quidem ſimulatam habeamus. Atque hoc unum ſi intelligerent boni om-

nes, in eoque quasi conjuratione factâ consentirent, ut improbi patriæ hostes esse semper ducantur, ut cum iis apertum bellum suscipiatur, ut omnibus qui quâvis animi malignitate aut dementiâ depravatos se ostenderint, inusta sit ignominiæ nota, ut denique ab iis tanquam à peste & pernicie fiat bonorum omnium secessio; nulla unquam resp. dissensionibus intestinis, bellis civilibus, civium perditorum tumultibus interiret, præcideretur ab iis omnis nocendi spes & facultas, semper interclusæ essent omnes seditionis viæ, nulla unquam fieri potuit improborum conspiratio, nulla audacia, nullum scelus. Denique si fides, si honestas, si continentia, si æquitas, si temperantia, si modestia, cum scelere, cum furore, cum petulantiâ, cum libidine, cum luxuriâ, cum temeritate, cum amentiâ, si virtutes omnes cum vitiis omnibus semper, palam, & apertè certarent, inviolabilem inter ipsos homines pacem & concordiam tuerentur.

Verùm vobismet ipsis utilis sit vestra Astutia: Quid autem si cum Officio pugnet? An commodum quodvis ei anteponendum putatis? Quid ergo inter vos & improbos interest, neque enim sunt isti gratis scelerati, & cum ab Officio discedunt, suas sibi habent commoditatis rationes, quibus ad id deserendum pertrahuntur. Atqui tamen scelerati sunt, quod ab eo se quovis emolumento solicitari patiantur. Si itaque probi esse velitis, solius Virtutis decus & dignitatem tueamini, istæc unica viri cordati laus & gloria est, Officii & Conscientiæ rationes aliis

aliis quibuſcunque omnibus piè ſanctéque anteferre. Atque iſtæc unica ſapientiæ ratio eſt, ut ſalvo Officio cæteras vitæ commoditates conſequatur; ab eâ autem divulſa nihil aliud eſt quam ſtolida & nequam iſta Veteratorum aſtutia, quâ ſolâ via omni injuſtitiæ, omni fraudi, omni impietati aperitur. Si enim rationes privatas quis publicis antepoſuerit, nihil eſt quod à quovis ſcelere hunc hominem ſui emolumenti causâ coercere poſſit. Neque enim ſceleſtiſſimi quique quicquam iniquum, quicquam crudele, quicquam aliis damnoſum molirentur, niſi prius ſuas rationes aliis omnibus anteponendas ſecum ſtatuiſſent. Ut ſi vos, qui hâc lege vivitis, minus quàm iſti, flagitioſi ſitis, non majori veſtræ juſtitiæ, ſed minori fortitudini imputare debeatis. Una enim eſt omnis juſtitiæ ratio ut commune bonum ſemper anteferatur, quam ſi ſemel neglexeritis, in eandem ſcelerum omnium licentiam cum improbis omnibus erupiſtis. Nunc autem attendite, magnum eſt quod eloquor. Magnis laboribus, magnis ſtudiis, magnis contentionibus per omnem Europam de Religionis, de Eccleſiæ, de Fidei veritate diſputatur, Ego autem ut inter clamoſas aliorum diſſenſiones exaudiar, voce elatiſſimâ dico, atque utinam me non modo omnis Europa, ſed univerſus Terrarum Orbis exaudiret, dico, fidenter dico, & quid dixerim rurſus inquam Attendite. Unam eſſe veram germanam & indubitatam religionis rationem, veterem illam omnium ætatum, omnium hominum communem, quâ Deus Opt. Max. omnium fælicitatem mutuâ bene-

benevolentiâ comparari voluit, juſſit, & in ſempiternas leges præmiis & pœnis ex ipsâ rerum Naturâ naſcentibus ſancivit. Hâc unâ fundatam eſſe omnem virtutis, omnem juſtitiæ, omnem pietatis dignitatem. Hac reſpublicas,hac civitates,hac ipſam hominum conjunctionem conſervari. Atque quo firmius divinam & cœleſtem hanc naturæ legem ſtabiliret, novam Evangelii eidem adjunxit, quâ longè majora quàm quæ docere poterat Natura, Charitatis Officia imperavit, eamque majoribus vitæ æternæ pœnis & præmiis ſanxit. Hâc unâ de causâ filium ſuum unigenitum in terras legatum miſit; in hanc unam rem Beatus ille Jeſus, quandiu in terris vixit, incubuit; hoc unum Officium moriens bonis omnibus Teſtamento legavit; hoc uno optimum & ſibi & Patri cultum præſtari docuit; denique hoc uno ſinceros ſui cultores ab Hypocritis, ab Adulatoribus, ab improbis omnibus ſemper ſecernendos eſſe voluit. Sit ergo unum nobis κελτήριον, quo inter magnas Europæ diſſenſiones de verâ Eccleſiâ, de Fide Catholicâ, de Religione Orthodoxâ certo judicemus. Ibi ea omnia inveniri, ubi boni hominum communis ſtudium maximè & docetur & perficitur; tantumque omnes factiones veritati deeſſe, quantum aliâ quâcunque causâ ingens hoc Officium Orbi commendare neglexerint. Hac denique unâ regulâ magnis iſtis quæ hodieque exagitantur de religione controverſiis finem faciamus. Ut obtineat iſta, quæ commune bonum, quæ mundi pacem, quæ imperii tranquillitatem, quæ benevolentiam, quæ charitatem, quæ univer-

universam justitiam stabilire conatur. Quæ autem qualicunque Pietatis specie neglectis magnis hisce virtutibus hominum animos aliis Religionis Officiis ab iis alienis occupat, ut superstitio otiosa & inutilis tollatur. Si quæ verò quoquo modo iisdem obesse comperiatur, ut hominum animos acerbitate quâvis exulceret, quæ adversus regum autoritatem protervos & petulantes, quæ publicæ pacis perturbatores, quæ malevolos, superbos, duros efficiat, ab hâc ut à peste, ut à pernicie, ut ab ipsis furiarum tædis & serpentibus fugiamus. Cùm ergo huic uni fundamento jacta sint omnia Vitæ, Virtutis, Religionis Officia, si in eo tuendo constantes fueritis, Conscientiæ vestræ fructu & solatio gaudeatis, sin ab eo vos quâvis ratione deturbari patiamini, ii estis ab ipso officii sacramento perfugæ, quos nulla potest prudentiæ ratio, nulla sanctitatis simulatio ad fidem, ad integritatem, ad conscientiam revocare. Esto igitur, quod jam ante vobis sæpe concessimus, & semper concedemus, Nemini vos ultrò nocere velle; atqui alii sunt, qui nihil nisi id unum & volunt & faciunt, quibus nisi vos aperto bello opponatis, bonos omnes eorum audaciæ, furori & immanitati traditis, neque eos minùs vestrâ perfidiâ quàm impii suo scelere, sauciatis. Ut enim una est Justitiæ Lex adversus bonos omnes Benevolentia, ita eam improbitas omnis violare, evertere, debilitare conatur; hanc igitur nisi contra improborum impetus omnibus viribus tueamur, non debitâ fide humanitatis Officio perfungimur. Aut ergo in hanc unam Virtutem (quâ aliæ omnes con-

continentur) sincerè & fortiter incumbite, aut si ab eâ deflexeritis, stulti & imprudentes sitis, si aliâ quâcunque Officii lege vos devinctos profiteamini. Et si quas virtutes vos colere & sequi putetis, nil nisi fictæ sunt & simulatæ virtutum umbræ, omnis stabilitatis, omnis constantiæ, omnis integritatis expertes. Humani, mansueti, misericordes, urbani, pacifici esse vultis. Ita mehercle, at quo jure videte. Vos humani? qui ipsum humanumgenus immanissimis belluis laniandum traditis? Una est humanitatis lex, ut probos quosque amemus & improbos, quòd sint illorum hostes, summo odio habeamus: in quam vos duplici ratione committitis, tum quod probos non ut par est ametis, tum quod improbos non eâ quâ oportet aversatione oderitis. Vos pacifici? qui cum ipsis pacis hostibus amicitiam aut colitis aut simulatis? An verò nullas inimicitias nisi privatas esse creditis, acerrimi mihi credite vestri sunt, non qui vestrûm duntaxat sed qui omnium hostes. His nullam pacem, nullam quietem, pene dixeram nulla humanitatis jura concedere debetis, si communem ipsius generis humani amicitiam conservare & tueri velitis. Vos urbani? Quantum vultis aliorum petulantiam, stultitiam, arrogantiam in rebus vestris exorbeatis, at cùm de summâ rerum, de communi causâ, de vitâ, de capite, de fortunis omnium agatur, nulla esse potest nimis vehemens, nimis acris, nimis aspera severitas. Hâc unâ re levis & ludicra est ipsa urbanitatis species; in aliis quidem omnibus admodum decet & delectat, hîc autem amissâ omni venustate

nuſtate fit impia ſcurrilitas & petulantia. Vos denique miſericordes? In quos? In peſtes, in belluas, in homines omni ſcelere perditos, in otii & communis ſalutis inimicos, in rerum divinarum humanarumque prædones? Quippe talia portenta ſunt improbi omnes, qui cùm juſtitiæ ſanctitatem ſemel excuſſerint, nullis unquam improbitatis terminis continentur, ſed quouſque poſſunt omni ſcelerum & flagitiorum colluvione ſe volutare progrediuntur. Videte ergo patriæ vaſtitatem, civium cædes, domiciliorum incendia, uxorum lamentationes, virginum ſtupra, filiorum neces, amicorum inſepultorum acervos, viventium omnium miſerias, ploratus, deſperationes, atque hæc omnia cùm ante oculos poſueritis, de ſingulari veſtrâ humanitate, veſtrâ miſericordiâ, veſtrâ manſuetudine vobis in tam fœdo Tragœdiæ, quam feciſtis, exitu plaudite. Neque enim me nimis vehementer rem amplificare dicatis, quippe in miſerabilem hunc exitum, niſi prohibeantur, nituntur improbi omnes; ſoli igitur veſtræ erga illos urbanitati, quod impedire nolitis, quoties interimus, gratias omnes agere & habere debemus. Deſinite ergo quicquam vobis de innocentiâ, de fide, de officio placere, qui cordatos omnes, quantum poſſitis, improbis vexandos traditis, qui ipſam communem bonorum arcem proditis, qui malis ſuam lædendi facultatem datis, qui denique bonis ſuam ſe defendendi eripitis. Deſinite quicquam amicitiæ, charitatis, pietatis vobis vendicare, niſi amici, niſi ſinceri, niſi pii habeantur, qui tam manifeſti, tam perfidi, tam ſcelerati

ſunt

ſunt bonorum omnium hoſtes, ut ſint aperti eorum proditores. Vereor autem ne nimis acriter & inurbanè vos urbanos (cùm ſimulatâ virtutis illius ſpecie maximè delectemini) urgere videar. Verbo itaque dicite, ô boni, an nullum cordatos inter & improbos diſcrimen eſſe cenſeatis? Si non ſit, luditis, cum vos probos eſſe profiteamini: Si ſit, vos quoque, cum falſi, cum perfidi, cum bonorum deſertores ſitis, aut tandem improbos fateamini, aut ingenuè ſimulatione relictâ omnis cujuſcunque improbitatis ſive ab impietate ſive à ſuperſtitione profectæ palam & apertè hoſtes vos eſſe oſtendatis. At poſtremò populares eſſe vultis. Eſtote igitur. Hæccine autem veſtra officii religio? Hæccine animi magnitudo? Hæccine ſapientiæ præſtantia? ut & dignitatem & officium inſanientis Populi opinioni poſthabeatis? Quid turpius, quid quâvis animi magnitudine indignius, quid prudentiæ gravitate alienius quàm tam ignobili mercede conductos & dignitati & officio deeſſe? Nollem equidem, quanquam Conſcientiam nihili haberem tum bonorum de integritate meâ opinionem, tum potiſſimùm meam de meipſo exiſtimationem tam turpi tamque indignâ ſervitute diminutam eſſe. Ne quid verò de Officii Religione nunc dicam, neſcire non poteſtis quæ ſit multitudinis ſtultitia, quæ temeritas, quæ ignorantia. Nihil ſapienter, nihil graviter, nihil cum judicio cogitant, ſed ſemper aut caſu aut more aut affectu, aut aliâ quâcunque re niſi unâ ſapientiâ ducuntur. Ut profecto alterum majus non ſit ſtultitiæ argumentum quàm ſi quid eorum teſtimonio

comprobetur. An ergo vos non pudeat, qui Delphicos Deos vos esse putatis; qui optimis quibusque viris sapientiâ præstare vultis, qui ingenii, qui prudentiæ, qui acuminis magnitudine excellitis, vos inquam tantos viros non pudeat ab imperitæ multitudinis judicio non dicam, cum non habeant, sed errore, sed temeritate, sed insolentiâ pendere. Neque tamen cum à tam turpi servitute vos avocare vellem, ad contentionem cum multitudine, ad bella cum imperitorum grege gerenda voco, virum enim magnum non minus decet cum iis inimicitias exercere quam eorum autoritate moveri. Sed si inter viros magnos haberi velitis, ad animi magnitudinem urgeo, ut penitus neglecto imperitorum grege, vobis constantes sitis, propriis judiciis stetis, soli dignitati consulatis, atque ea quæ solent isti eâdem animi constantiâ faciatis. Si denique famæ & gloriæ ardore flagretis, ista non privatâ utilitate, non domesticis commodis, non unius aut paucorum salute tuendâ acquiritur; sed laboribus, periculis, magnis in remp. meritis, atque rebus tam præclarè factis ut ipsæ sui magnitudine omnium laudem, honorem, & admirationem evocare valeant. Omnia Annalium monumenta percurrite, atque vel unum quidem ex omni vetustatis memoriâ repetatis, qui nisi inclytis in remp. meritis civium suorum charitatem & laudem adeptus sit. Nemo, nemo quâvis ætate vixit, qui vestræ sapientiæ instituto Populo obsecutus est, quin optimi cujusque contemptu vixerit, atque vitâ defunctus aut nullam consecutus sit memoriam, aut tandem in ipsius

us multitudinis & odium & contemptum venerit.

Quid autem parvis hiſce tandiu inſiſtimus, cum in Conſcientiæ provinciâ verſemur? Si enim cætera omnia quantacunque vitæ commoda ſint illius Autoritati poſthabenda, nullâ certè tantâ contentione opus eſt, ut inanis Populi opinio ſanctiſſimis ejuſdem rationibus poſterior ſtatuatur. Hujus ergo unius imperio, ſi quem exinde fructum ſperatis, totos gubernandos voſmet tradite. Quid enim aliud eſt Conſcientiæ gaudium, niſi divina iſta mentis tranquillitas, quam propriæ integritatis perceptione quiſque ſentit. Atque adeo niſi unâ integritate nitatur nulla eſſe poteſt illius lætitia, nulla voluptas, nulla conſolatio. Si enim ſimulata ſit tantum pietatis ſpecies, cum ſuæ ſimulationis conſcius quiſque fuerit, tantum abeſt ut quemvis integræ Conſcientiæ fructum metiatur, ut potius pœnas impiæ & nefariæ ſuæ ſimulationis ſibi ipſe ſolvat. Et ſi quis uſque adeo robuſtè ſceleratus fuerit, ut nullo omnino ob fictam pietatem angore crucietur, nullâ tamen Conſcientiæ fiduciâ, nullâ æquanimitate, nullis deliciis, nullâ denique ejuſdem beatitudine ſuſtentatur, Cum ergo Conſcientias veſtras hoc benevolentiæ officio imprimis devinxit Deus, ſi quem integritatis fructum & ſolatium conſequi cogitetis, omni ſimulatione depoſitâ, abjecto metu, excuſsâ ignaviâ, bonos omnes animo forti & ſimplici amplecti, contraque malos tueri in voſmet ipſos ſuſcipiatis.

Denique an mortali hâc conditione consilia vestra terminatis? An omnia ad immortalitatem refertis? Si istuc, nihil de virtute, de officio, de pietate, de justitiâ, de honestate postea dicatis, inania sunt nomina, atque solâ utilitate metienda sunt omnia. Quæ enim alia est virtutis sanctitas, quæ laus, quæ gloria, nisi quod commodo honestum anteponatur. Id vero cur tanti quis æstimaret, nisi majori utilitate compensetur? An ipsâ virtutis pulchritudine? quamobrem vero pulchrum sit ut aliorum rationes meis anteferam? Imo quamobrem quemvis potius cruciatum perferrem, quàm aut officium prodam aut fidem, nisi istius constantiæ præmium constitutum haberem? An solâ hujus ævi utilitate? Negligam ergo, quoties mihi fructuosum fore putavero. Suâ cujusque utilitate omnes ducimur, neque in eo ponitur inter bonos & improbos discrimen, quòd alteri rationes suas solo commodo, alteri solo honesto metiuntur, sed quod improbi, cum nullam nisi hujus solius vitæ fœlicitatem habere se putent, eâ solâ ducuntur; boni verò cum immortalitatem beatam virtutis mercedem esse censeant, quid mirum si omnibus caducæ hujus vitæ emolumentis anteponendam esse arbitrentur? Si itaque ad Immortalitatem contenditis, cogitationum vestrarum magnitudine digni vivatis, atque id unum agite ut beatitatem divinam fortiter consequamini: Neque quascunque hujusce seculi rationes tantis consiliis se miscere patiamini, nugæ prorsus sunt, indignæ quidem in quibus ullam rerum vestrarum spem ponatis, neque sine summo dedecore

reique

reique turpitudine, vos qui ad tanta nati eſtis, fœlicitatem veſtram rebus tam vilibus atque abjectis metiri poteſtis. Cogitate ergo qui ſitis, veſtram cum cœleſtibus agnationem ante oculos propoſitam ſemper habeatis, atque contemptis omnibus exiguis hiſce rebus curam omnem in ſuperis & cœleſtibus (quæ ſolæ quâvis curâ dignæ ſunt) conferatis. Neque tanto præmio concitati mediocri virtute contenti ſitis, ſed ſemper optimis illius officiis antecellere omni animi contentione enitemini. Quanquam enim in beatas iſtas ſedes via pateat omnibus, qui juſtitiam & pietatem colunt; optimi tamen quique præclarè geſtis, meritis in patriam, ſummâ in bonos fide, invictâ animi conſtantiâ & fortitudine faciliorem ſibi aditum patere faciunt. Neque certò qui in hanc ſpem enituntur, ullis periculis, ullis calamitatibus, ullis rerum humanarum caſibus vel minimum ab eâ moveri ſe patientur. His enim una Virtus fit omnia, atque perfectè ad vitam beatam ſeipsâ contenta; non quod ut arbitrabantur Philoſophi in ipsâ miſerâ virtute quævis delectatio eſſe poſſit, ſed quod ad immortalem hanc atque cœleſtem vitam nitatur. Stultè enim *Epicuro* dictum eſt *Sapientem*, ſi *Phalaridis* tauro ſuccenſis ignibus torreatur, nihil commoveri, nihil pœnæ ſentire, ſed ſuave & jucundum illud eſſe dicturum. Quid enim haberet iſte, quo ſe in tantis doloribus conſolaretur, cum ſupplicia iſta in mortem ſempiternam terminari putaret; in quâ ſi nulla ſit pœna, nulla certè eſſe poteſt ſuavitas, nullæ deliciæ, nulla beatitudo, quæ tantos cruciatus leniret? Virtus autem

tem quæ ſolidâ Immortalitatis ſpe paſcitur & ſuſtentatur, humana omnia ad ſe vix pertinere putabit; ferrum, flammas, equuleum, exilia, proſcriptiones, mortem denique ipſam minitere, quàm parva ſunt quàm nihil momenti habent iſta in Conſcientiâ quæ ſemper cœleſtium cogitatione erigitur. Neque ſolum acerbiſſimos dolores minuit & quidem tollit, ſed & ipſis vitæ voluptatibus jucunditatem aſpergit. Quanquam enim tam ſint inania humana gaudia, ut ipſa ſibi placere non valeant, hâc tamen divinâ & cœleſti animi oblectatione cumulata proprio ſenſu lætantur. Ei enim placent omnia, qui ipſe ſibi placet. In tantâ itaque hujus ſpei voluptate conſtituti, in hanc unam contemptis terrenis omni impetu incumbite, atque de bonis omnibus optimè mereri omni ſtudio evigilate, & ſi fortè in hâc vitâ debitum officii præmium non conſequamini, interpoſitam divinæ Juſtitiæ ſanctionem habetis, eò quemque in futurâ fæliciorem eſſe, quo melius quandiu in hâc vixerit, de generis humani republicâ mereatur.

---

# Elenchus Rerum.

## Disputatio Prima.

### *An Philosophorum ulli, & quinam Athei fuerunt.*


Sect. I. QUI *Philosophorum veterum tam Ionicæ quam Italicæ Scholæ spretæ Religionis accusati fuere. Quæ sit disputationis Controversia, & quid sit, quid non sit Atheismus, explicatur,* Pag. 1.

Sect. II. *Pro omnibus prima defensio, quod teterrimam Græcorum superstitionem oderint, impietatis accusatos fuisse, cujus si rei fuerant, fuisse tamen cordatiores quam qui Populi Religioni succubuere,* p. 3.

Sect. III. *Defensio secunda, quod Athenis accusati sint, qua urbe omnium maxime impias Religiones extremâ, legum severitate jusserant,* p. 6.

Sect. IV. *Defensio tertia Ethnicos omnes, qui suâ superstitione abhorrebant in læsæ Religionis crimen vocare, idque fusius de Christianis declaratur,* p. 8.

Sect. V. *Specialis pro Ionicis defensio adversus Aristotelem qui quod de solâ causâ materiali tractaverint, effectricem sustulisse infert, at tum ex ipsorum Philosophiæ ratione tum ex ipsius Aristotelis testimonio ostenditur, eos non reliquas causas negasse, sed solum suâ philosophandi ratione non attigisse,* p. 9.

Sect. VI. *Ab impietate vindicantur singuli. Thales, Anaximenes, Diogenes Apolloniates, & Anaximander, de quo tamen magis dubitatur,* p. 14.

SECT. VII. *Quî Anaxagoras in vitæ periculum venit; omnium Ionicorum primus, qui Deum in Philosophiam induxit; defenditur adversus iniquam quorundam suspicionem,* p. 17.

SECT. VIII. *Theodorum, Bionem, omnesque Cyrenaicos Atheos fuisse, atque potissimum ipsum Aristippum, qui sectam condidit,* p. 19.

SECT. IX. *Euhemeri institutum cum veram de falsis Diis historiam scripserit ab omni impietate adversus Plutarchi delationes defenditur,* p. 21.

SECT. X. *Leucippum & Democritum maximæ impietatis reos fuisse, quod è rerum naturâ Causam Effectricem de industriâ sustulerunt,* p. 24.

SECT. XI. *Protagoras & Diagoras utrique Athei. Iste quod cum Bajulus nulliusque eruditionis homo fuerit, Novitatis Gloriâ impietatem in compitis docere affectavit. Hic quod cum se Diis neglectum putaverit, Vir superbus tantam indignitatem istac ratione ulcisci vellet,* p. 27.

SECT. XII. *De Epicuro magna contentio, prima Excusatio, illius infamiam à Stoicorum odio & calumniis ortum habuisse. Stoicos suppositios Libros omni Impietate refertos illius nomine edidisse. Quam autem pie ipse de Deo censuit fuse ostenditur,* p. 30.

SECT. XIII. *Altera ejusdem excusatio, voluptatis nomine non belluinam istam intellexisse, sed animi fœlicitatem eamque omni corporis voluptati antetulisse, neque quas Corporis voluptates admisisse, nisi cum virtute copulentur, ipsum denique optimis moribus vixisse,* p. 34.

SECT. XIV. *His respondetur, primum etiamsi Libri impii ei affingantur, ipsum tamen omnem eandem impietatem notissimis suis Libris & de quibus nulla sit dubitatio docuisse,* p. 36.

SECT. XV. *Deinde turpem sententiam in illius de fine libro non fuisse interpolatam, neque eâ de re Laertii testimonium quicquam Authoritatis in se habere,* p. 39.

SECT. XVI. *Cum rationes quibus Deum esse probari possit, sustulit, omnem illius notitiam à vanâ Populi opinione deducit. Quid Anticipatione intelligat disquiritur, & è suis*

*ſuis Principiis nullam eſſe poſſe de Deo Anticipationem demonſtratur,* p. 40.

SECT. XVII. *Omnem de Deo Anticipationem ab inſomniis & inanibus Plantaſmatis ortum eſſe conſtanter docuit,* p. 44.

SECT. XVIII. *Quî evenit ut in omni Philoſophiæ parte ſibi apertiſſimè contradixerit, quod ſcilicet cum primum talia principia attulerat, quæ Numinis notitiam labefactent, ea poſtea eidem conciliari coactus voluit,* p. 46.

SECT. XIX. *Ita deos quos eſſe voluit, deſcripſit, ut è ſuis principiis nulli eſſe poſſint, potiſſimum cum quaſi corpora, & humanâ figurâ ſine ſoliditate eſſe dixit, nihil omnino eſſe dixit,* p. 47.

SECT. XX. *Cum providentiam Diis ſuis negavit, nullum eorum cultum reliquit; neque ſine eâ quemvis dare poſſet ob Naturæ præſtantiam, neque quævis Naturæ præſtantia eſſe poſſet, primum neque Beatitas neque Sapientia,* p. 50.

SECT. XXI. *Deinde neque juſtitiam neque benevolentiam neque quamvis virtutem habere poſſent talia Numina, ſed è contra peſſimâ Naturæ malignitate contaminarentur,* p. 54.

SECT. XXII. *Cum voluptatem ſummum Bonum definiverit, cum eo de voluptatis voce non eſſe contendendum, ſed quod nullam niſi corporis eſſe vellet, & quam animæ tribuebat, tota ad corpus referret,* p. 56.

SECT. XXIII. *Neque ſententiæ turpitudinem minuit, cum non eas voluptates quæ in motu ſed quæ in ſtabilitate ſe intellexiſſe dicat, quod quæ in ſtabilitate ſunt ad eas quæ in motu ſunt penitus referantur,* p. 61.

SECT. XXIV. *In Epicuro & paucis illius ſucceſſoribus deſiit impietatis diſciplina, eam primi inſtauravere Itali quidam Peripatetici, præcipuè Cæſalpinus & Berigardus,* p. 63.

SECT. XXV. *In Cardanum inquiritur, & virum eruditiſſimum non impium ſed inſanum fuiſſe demonſtratur,* p. 68.

SECT. XXVI. *Vanini cum Philoſophiæ tum Hiſtoriæ deſcriptio,* p. 77.

SECT. XXVII. *Eadem Hobbii quæ Epicuri impietas, cum ſua axiomata in religionis ruinam invenerat, inanibus diſtinctiunculis eorum impietatem excuſare putat, & primùm eo quod nihil ſe movere poſſit, nullum eſſe Numen demonſtrat,* p.86.

SECT. XXVIII. *Hobbium nihil demonſtrare, ſed quicquid demonſtrare ſe jactat, inepte & impudenter ſemper arripuiſſe. Cum nullam eſſe Religionem velit, niſi quæ juſſerit Civitas, omnem ſuſtulit,* p. 89.

SECT. XXIX. *Deum eſſe aperte negat, cum eum neque corporeum, neque incorporeum eſſe demonſtrat,* p. 93.

SECT. XXX. *Philoſophiâ civili omnes leges divinas aperte tollit, quod cum fecerit, quam male ſententiam ſuam de Naturæ ſtatu probet quamque obtusè illius impietatem excuſet,* p. 95.

SECT. XXXI. *Ab iiſdem principiis contraria demonſtrat, nihil novi in Philoſophiâ civili attulit, niſi quod cum impium tum abſurdum ſit,* p. 98.

SECT. XXXII. *Athei non fatui nati ſed facti ſunt, neque judicio ſed arrogantiâ in impietatem impelluntur,* p. 101.

---

## DISPUTATIO SECUNDA.

### *A Rerum Finibus, qui in ſolâ Terrâ cernuntur, Deum eſſe demonſtratur.*

---

SECT. I. *Contra Fauſtum Socinum à Naturæ contemplatione Numinis Providentiam demonſtrari poſſe diſputatur,* p. 103.

SECT. II. *Scholaſticos autem ſuis diſputandi rationibus ad ſuam concluſionem non pervenire, tum quod neque contra Mundi Æternitatem, neque contra ſpontaneum Animantium Ortum quicquam concluſerunt,* p. 108.

SECT.

SECT. III. *A rerum finibus demonstratio inchoatur, quâ disputandi ratione tam contra eos qui Mundi Æternitatem asserunt, quàm qui fortuitum ejusdem ortum conclusum est. Missâ autem cœlestium omnium ratione solis Terræ commoditatibus conficitur demonstratio,* p. 114.

SECT. IV. *Atque primùm Terram locum & situm, quemcunque habet nullis caùsis Physicis & Mechanicis nactam fuisse demonstratur,* p. 117.

SECT. V. *Sede autem suâ, ut aptissimum à sole intervallum haberet, solo Opificis consilio collocatam fuisse,* p. 122.

SECT. VI. *Terræ partes nullà nisi vi magneticâ toti cohærere, eamque non nisi admirabili arte effectam esse demonstratur,* p. 124.

SECT. VII. *Terræ Globum ingentibus Saxi & Ferri Arcubus à Polo ad Polum excurrentibus constare,* p. 128.

SECT. VIII. *Vim magneticam undique ab ipsius Centro in omnia extremitatis puncta diffundi, atque eàdem universam Terræ fabricam firmissimâ concatenatione secum ubique devinctam & constrictam teneri,* p. 131.

SECT. IX. *Mechanicos nullum motûs principium afferre, atque imprimis non diurnæ sive Terræ sive Solis circa Axem suum conversionis,* p. 133.

SECT. X. *Neque Annuæ circa magni Orbis Ambitum,* p. 135.

SECT. XI. *Neque quamobrem aut per Æquatorem aut tantâ motûs æquabilitate circumferatur,* p. 140.

SECT. XII. *Neque quamobrem lineis spiralibus cursus suos intra Zodiacum definiat,* p. 142.

SECT. XIII. *Multiplex tum motûs circularis tum diurni utilitas demonstratur,* p. 143.

SECT. XIV. *Deinde Annuæ intra Tropicos conversionis,* p. 146.

SECT. XV. *Quâ motûs ratione Zona torrida non modo habitabilis fiat, sed & regionum omnium cultissima,* p. 148.

SECT. XVI. *Quantâ utilitate Terræ extra Tropicos eâdem temperantur, & quantâ frigoris thesauri in duobus extremis Terræ angulis conservantur,* p. 151.
SECT. XVII. *Singularis Lunæ utilitas,* p. 152.
SECT. XVIII. *Utilissimum inter Cœlum & Terram Aëris interventu commercium, præsertim quod tam admirabili celeritate Calorem & Lucem inde ad nos usque deferat,* p. 153.
SECT. XIX. *Multiplex in Terræ & Maris dispositione contra ipsas leges mechanicas utilitas,* p. 155.
SECT. XX. *Summa cum Æstus marini tum Salsedinis utilitas,* p. 159.
SECT. XXI. *Mirabilis fontium contra leges Mechanicas Origo,* p. 162.
SECT. XXII. *Eadem & pluviarum,* p. 165.
SECT. XXIII. *Atheorum, & primùm Critiæ, Euhemeri & Petronii suspicionibus respondetur,* p. 167.
SECT. XXIV. *Deinde querelis quas in rerum Naturam deploravit Lucretius,* p. 170.
SECT. XXV. *Proximè Luciani scommatis,* p. 179.
SECT. XXVI. *Tum levibus Pyrrhoniorum sophismatis,* p. 181.
SECT. XXVII. *Hinc Peripateticorum interrogationi, si Deus Mundum effècerit, cur non, prius?* p. 192.
SECT. XXVIII. *Vanini Physiologiæ vanitas fuse demonstratur,* p. 194.
SECT. XXIX. *Quam ineptè tum ipse tum alii omnes Naturæ voce luserunt,* p. 208.
SECT. XXX. *Quàm futilis sit Hobbii impietas demonstratur,* p. 216.

---

DIS-

## DISPUTATIO TERTIA.

### *Epicuri & Cartesii Hypotheses de rerum Fabricatione evertuntur.*

SECT. I. *QUæ sit vera Physiologiæ ratio, atque quis illius in vitâ humanâ usus,* p. 221.
SECT. II. *Communis Atheorum omnium sententia brutâ materiâ facta esse omnia. Quamobrem tres præ cæteris Hypotheses: Epicuream, Cartesianam & Aristotelicam seorsim redurguendas esse duximus,* p. 223.
SECT. III. *Epicuri Hypothesis. Primum non modo illius sed Physicorum omnium Effatum, è nihilo, nihil fieri, refellitur, atque non eam materiæ conditionem esse ut Naturæ suæ virtute existat, demonstratur,* p. 226.
SECT. IV. *Cum Atomos infinitas esse velit, & Vacuum & motum sustulit,* p. 230.
SECT. V. *Incredibilis cum gravitas tum motus celeritas quam atomis suis tribuit, aliaque multa ad motûs naturam pertinentia disputantur,* p. 233.
SECT. VI. *Motus declinationis citra causam fingitur. Ciceronis eâ de re disputatio. Gassendi ad Ciceronem Responsio. Responsionis Confutatio,* p. 238.
SECT. VII. *Quàm crassè & imperitè Epicurei de omni rerum naturâ philosophantur,* p. 246.
SECT. VIII. *Quàm ineptè de Terræ situ,* p. 251.
SECT. IX. *Quàm ridiculè de cœlestium à terrenis intervallo,* p. 256.
SECT. X. *Epicurum bipedalem Solis magnitudinem credidisse contra Gassendum probatur,* p. 260.
SECT. XI. *Quantâ hebetudine de omni Cœlestium ratione disseruit, fusè per singula percurrendo ostenditur,* p. 263.

SECT.

SECT. XII. *Quantâ de Aëre, de Terrâ, de Mari,* p. 270.

SECT. XIII. *Quantâ de Oceano, de Nubibus, de Pluviis,* p. 275.

SECT. XIV. *Epicureæ Philosophiæ cum rerum finibus comparatio,* p. 279.

SECT. XV. *Cartesius quod nullam in naturâ Finium scientiam esse voluit, omnem de Deo scientiam sustulit,* p. 281.

SECT. XVI. *Contra Verulamium disputatur, quod causarum finalium scientiam è Physicâ suâ penitus ablegari voluit,* p. 283.

SECT. XVII. *Veteres omnem de Deo Controversiam in unâ de rerum finibus quæstione posuisse. Egregia Plutarchi eâ de re disputatio. Cum Mechanicis non disputari an mechanicâ ratione operetur Natura, sed an quæ istiusmodi ratio esse possit, nisi quæ sit consilio instituta,* p. 288.

SECT. XVIII. *Cartesius absolutâ Mundi plenitudine omnem motum sustulit,* p. 294.

SECT. XIX. *Quam ut tueatur, communes rerum notiones immutavit, quod de duritie, de rarefactione, de loco, de spatio demonstratur.* p. 297.

SECT. XX. *Quod idem fusius de motu dicitur, atque magna Cartesii in Dialecticæ arte ignorantia notatur,* p. 302.

SECT. XXI. *Quàm malè primam suam legem mechanicam sancivit,* p. 307.

SECT. XXII. *Quàm malè cæteras,* p. 310.

SECT. XXIII. *De Vorticum suorum divisione,* p. 314.

SECT. XXIV. *De Elementorum exortu,* p. 316.

SECT. XXV. *Quàm malè Mundi hujus systema extruxit,* p. 323.

SECT. XXVI. *Plus Operis in Mundorum demolitione quàm Fabricatione impendit,* p. 328.

SECT. XXVII. *Quantas nugas in Planetis faciundis egit,* p. 330.

SECT. XXVIII. *Quantas cum de Terræ Phænomenis,* p. 335.

SECT.

SECT. XXIX. *Quantas cum de Aquæ à Terrâ separatione,* p. 339.
SECT. XXX. *Quantas cum de maris salsedine, de fontibus, de pluviis,* p. 343.
SECT. XXXI. *Cartesium è ludo ad Philosophiam profectum fuisse concluditur,* p. 346.

---

## Disputatio Quarta.

*Mundum neque prorsus infectum, neque necessitate factum, sed solo Opificis consilio extructum fuisse demonstratur.*

---

SECT. I. AN *Mundus sempiternus esse potuerit imperitè cum Atheis disputatur, atque posse ostenditur,* p. 351.
SECT. II. *A Partium Mundi cognatione, mutuâque utilitate infectum non fuisse probatur,* p. 353.
SECT. III. *Philosophorum primus Aristoteles, qui Mundum nunquam factum fuisse asseruit. De Ocello Lucano dubitatur, & vero simile ostenditur Librum de Universo non ab antiquiore illo Pythagoræ discipulo scriptum fuisse, sed à recentiori quodam Scholæ Peripateticæ Philosopho,* p. 355.
SECT. IV. *Quæ fuerit Aristotelis Opinio fusè ex illius scriptis declaratur,* p. 369.
SECT. V. *Quanquam in omni Naturâ causas finales esse voluit, nullo tamen consilio præscriptas, sed solâ causarum naturalium necessitate ortas,* p. 374.
SECT. VI. *Suæ Opinionis impietas demonstratur, quod Deum vi quâvis sibi insitâ quicquam agere posse negaverit,* p. 374.

SECT. VII. *Unde in eo interpretando docti omnes tam crassè se fefellerunt,*
SECT. VIII. *Quàm ineptis & levibus Argumentis sententiam suam confirmaverit, demonstratur,* p. 374.
SECT. IX. *Occasione Aristotelis, qui eorum Autoritatem sæpe affert, in veteres Poetas invehitur, & quàm indoctum atque barbarum hominum genus fuerint, disseritur,* p. 377.
SECT. X. *Aristotelem eodem quo Epicurus luto hæsisse ostenditur, quod posuit rerum multitudinem, quæ solâ sui virtute existunt,* p. 379.
SECT. XI. *Nihilo meliorem aut motus aut ordinis causam, quàm veteres isti, quos quod omnia solâ materiâ effecerant, reprehendit, ipse attulit,* p. 381.
SECT. XII. *Rationes mechanicæ quibus demonstrat, quamobrem in Orbem vertatur Cœlum, refelluntur,* p. 387.
SECT. XIII. *Deinde istæ quibus plurium motuum cœlestium necessitas demonstratur,* p. 388.
SECT. XIV. *Tum quibus rotunda Cœli figura,* p. 391.
SECT. XV. *Proximè quibus Cœli primi ab Ortu in Occasum, Planetarum ab Occasu in Ortum cursus,* p. 392.
SECT. XVI. *Dehinc quibus Astra lucere,* p. 394.
SECT. XVII. *Postremò, quibus rotundam esse eorum figuram, & quibus primo Cœlo astrorum multitudinem, reliquis non nisi cuique unum,* p. 395.
SECT. XVIII. *In cœlestium descriptione ipsum Solem, quo uno stat omnis Mundi pulchritudo, præteriit,* p. 397.
SECT. XIX. *Refutantur quæ de Elementorum numero, situ, & qualitatibus disseruit,* p. 398.
SECT. XX. *Item quæ de Terræ in medio Universi situ,* p. 401.
SECT. XXI. *Item quæ de Mari, ejusque æstu, & salsedine,* p. 404.
SECT. XXII. *Item quæ de fontium & fluviorum Ortu,* p. 407.
SECT. XXIII. *Item quæ de Nubibus & Pluviis,* p. 409.

SECT. XXIV. *Argumentatio à novitate historiæ contra Mundi æternitatem rejicitur, Aristotelis Objectio contra Numinis Libertatem in se vertitur, & multa in Mundo esse, quæ nullâ causâ nisi solâ Arbitrii optione fieri possent, demonstratur,* p. 413.

SECT. XXV. *Eandem disciplinam docent Mechanici omnes. Vanitas Philosophiæ Græcorum explicatur,* p. 417.

SECT. XXVI. *Monentur Theologi ut ab iis Aristotelis Effatis caveant, quæ ipse solius Impietatis causâ rata fecit. Atque ab ejusmodi decretis quibus Atheismum suum fulciri voluit, fatalem omnem Theologiam ortum habuisse peroratur,* p. 420.

---

## DISPUTATIO QUINTA.

### *A generis humani Ortu, & Corporis humani structurâ Deum esse demonstratur.*

---

SECT. I. *Hominum Genus sine Creatore non potuit existere, nisi fuisset singularis quidam homo, qui sit & ingenitus & immortalis,* p. 429.

SECT. II. *Recitantur variæ cùm Poetarum tum Philosophorum de hominum exortu fabellæ, atque præcipuè cum Democrito disputatur, qui homines lumbricorum more è Terrâ effusos fuisse statuit,* p. 433.

SECT. III. *Si Terra sponte homines olim peperit, nunc quoque eos parturire,* p. 438.

SECT. IV. *De Terræ filiorum Nutrimento, Educatione, atque suæ postea Sobolis Procreatione disputatur,* p. 441.

SECT. V. *Ductus & Canales corporis humani non potuisse casu excavari, quod speciatim de Ventriculo & Intestinis demonstratur,* p. 445.
SECT. VI. *Mirabiles illorum usus fusè explicantur,* p. 447.
SECT. VII. *Magnam fermentationis fontium, qui juxta siti sunt utilitas, sc. Hepatis, Pancreatis, Lienis, Mesenterii glandularum, atque aliarum ubique per corpus respersarum.* p. 452.
SECT. VIII. *De sanguinis circulatione atque Harvæi laudibus,* p. 455.
SECT. IX. *De Cordis fabricatione,* p. 457.
SECT. X. *De Arteriarum commoditatibus,* p. 460.
SECT. XI. *Item Venarum,* p. 462.
SECT. XII. *De Mechanicâ Sanguiductuum ratione,* p. 464.
SECT. XIII. *De Respirationis organis, eorumque usu, & primùm de Larynge,* p. 467.
SECT. XIV. *De Pulmonum compage & geometrico musculorum pectoris Artificio,* p. 469.
SECT. XV. *De Respirationis Usibus,* p. 471.
SECT. XVI. *De Cerebri Structurâ,* p. 474.
SECT. XVII. *De Nervosi Generis Apparatu,* p. 477.
SECT. XVIII. *De Animalium Generatione,* p. 479.
SECT. XIX. *De Instinctu quo Bruta animalia fœtuum nutritioni providere moventur,* p. 483.

---

DIS-

# DISPUTATIO SEXTA.

## *Contra Scepticorum & Academicorum disciplinam, potissimùm Ciceronis de Quæstionibus Academicis Libros, & Cartesii Meditationes Metaphysicas disputatur.*

SECT. I. *SCepticorum omnium Levitas & Fastidium. Cartesii methodus*, p. 489.
SECT. II. *Scepticorum disciplinæ ortus & historia*, p. 491.
SECT. III. *Ad disputationem cum Cicerone aditus*, p. 495.
SECT. IV. *Evertitur primum Scepticorum Effatum, omni Orationi Orationem æqualis ponderis adversari*, p. 497.
SECT. V. *Scepticorum disciplinâ tollitur tum vitæ communis gubernatio, tum virtutis constantia*, p. 502.
SECT. VI. *Argumentum à Philosophorum inter se dissensionibus diluitur*, p. 505.
SECT. VII. *Sensuum fides & integritas vindicatur*, p. 510.
SECT. VIII. *Quæ sit in re quâque veri nota, atque quantum in eâ cernendâ sensuum Acumen*, p. 514.
SECT. IX. *Objectionibus de dialecticâ respondetur*, p. 519.
SECT. X. *Tum deinde in Physicâ de principio materiali*, p. 522.
SECT. XI. *Postremò de Principio efficiente*, p. 524.
SECT. XII. *Quæ sit Beatitatis Natura explicatur*, p. 528.
SECT. XIII. *Atque Virtute confici demonstratur*, p. 530.
SECT. XIV. *Objectioni Quòd si Virtus præmium secum afferat, cùm gratuita non sit, sit sui laudem amissura, respondetur*, p. 532.

SECT. XV. *Cartesius suis dubitandi rationibus se in summam cujuslibet scientiæ desperationem præcipitavit*, p. 535.

SECT. XVI. *Se Mentem à Corpore distinctam esse suâ disputandi ratione nequaquam comprobavit*, p. 538.

SECT. XVII. *An insitæ sint Dei & Naturæ legum notiones quæritur, si verò sint, nullius usûs aut obligationis esse nisi ratione probentur*, p. 540.

SECT. XVIII. *An à firmâ omnium Gentium consensione innata Dei Idea demonstretur? Et non demonstrari concluditur*, p. 546.

SECT. XIX. *Cartesium nullam substantiæ divinæ Ideam habere demonstratur*, p. 550.

SECT. XX. *Neque Perfectionum divinarum*, p. 552.

SECT. XXI. Realitas Objectiva *nihil est, & si quippiam sit, plura Numina fuissent*, p. 555.

SECT. XXII. Realitas Objectiva *si* formalem *non æquet, nihil concludit: Si æquet plures sunt Dii*, p. 558.

SECT. XXIII. Realitatem *Dei* Objectivam *ab ipsâ Mente effici potuisse demonstratur*, p. 560.

SECT. XXIV. *Alterum Cartesii sophisma, quo à summè perfecti notione ejusdem existentiam infert, evertitur. Et Peroratur*, p. 563.

---

ERRATA.

# ERRATA.

PRæf. *Pag.* 1. *Lin.* 4. *Lege* cogitavi, *p.* 4. *l.* 21. deest *&* ante *Beatis*, *p.* 17. *l.* penult. *l.* unquam, *p.* 18. *l.* 20. *l.* execrantur, *p.* 19. *l.* 9. *l.* antevertere, *Ibid. l.* 10. *l.* possimus, *p.* 25. *l.* 24. *l.* qui. *Disp.* 1. *p.* 23. *l.* 6. *l.* Jovis, *p.* 39. *l.* 31. *l.* longam, *p.* 41. *l.* 16. *l.* desipere, *Ibid. l.* 37. *l.* effluentia, *p.* 57. *l.* 28. *l.* seipsâ, *p.* 66. *l.* 1. *l.* sine, *p.* 82. *l.* 2. *l.* imbuerat, *p.* 92. *l.* 33. *l.* ut, *p.* 102. *l.* 24. *l.* didicerat. *Disp.* 2. *p.* 105. *l.* 18. *l.* fidenter, *p.* 107. *l.* penult. *l.* flectantur, *p.* 109. *l.* 12. *l.* verò, *p.* 113. *l.* 14. *l.* Insecta, *p.* 115. *l.* 2. *l.* credulitati, *Ibid. l.* 15. definiri, *p.* 120. *l.* 18. *l.* insederit, *p.* 121. *l.* 28. *l.* proripiantur, *p.* 134. *l.* 35. *l.* aut, *Ibid. l.* suæ, *p.* 137. *l.* 6. *l.* ut, *p.* 148. *l.* 3. *l.* quò, *p.* 159. *l.* 30. *l.* undæ, *p.* 174. *l.* 19. *l.* ejulatu, *p.* 176. *l.* 3. *l.* ut, *p.* 179. *l.* 4. *l.* halitus, *p.* 180. *l.* 35. *l.* nobis, *p.* 182. *l.* 4. *deleatur* non, *p.* 183. *l.* 23. *l.* restituerunt, *p.* 192. *l.* 14. *l.* momento, *p.* 193. *l.* 23. *l.* Artifices, *Ibid. l.* 30. Impares *deest post* pares, *p.* 194. *l.* 6. In *deest ante* ipsum, *p.* 195. *l.* 1. *l.* Astrologiæ, *p.* 198. *l.* 36. *l.* rationum, *p.* 208. *l.* 34. *l.* &, *p.* 209. *l.* 8. *l.* genitum, *p.* 213. *l.* 7. Cum deest post Ut. *Disp.* 3. *p.* 221. *l.* 12. *l.* Ignavum, *p.* 263. *l.* 18. *l.* 18. crediderit, *p.* 270. *l.* 20. *l.* candore, *Ibid. l.* 30. *l.* quid, p. 274. *l.* 10. *l.* seipsæ, *Ibid. l.* 32. *deleatur* quam, *p.* 312. *l.* 26. *l.* sic, *p.* 313. *l.* 21. *l.* dextrâ, *p.* 317. *l.* ult. *l.* quiete, *p.* 328. *l.* 15. *l.* perduraturam, *p.* 342. *l.* 13. *l.* minimi. *Disp.* 4. *p.* 356. *l.* 28. sed *deest ante* &, *p.* 370. *l.* 6. *l.* illius, *p.* 376. *l.* 11. novit *deest post* usus, *p.* 380. *l.* 1. *l.* multitudine potuit, *p.* 383. *l.* 1. *l.* si, *Ibid. l.* 16. *l.* me, *p.* 386. *l.* 12. *l.* sapienter, *p.* 387. *l.* 28. *l.* Atomis, *Ibid. l.* 32. *l.* contrarii, *p.* 390. *l.* 20. *l.* stultè, *p.* 406. *l.* 17. *l.* cum pluviis, *p.* 419. *l.* 20. *l.* controversias. *Disp.* 5. *p.* 445. *l.* 3. *l.* refutavi, *p.* 448. *l.* 26. *deleatur* sine, *p.* 466. *l.* penult. *deleatur* ut, *p.* 475. *l.* 10. *l.* effrænata. *Disp.* 6. *p.* 507. *l.* penult. *l.* cogitare, *p.* 513. *l.* 1. *l.* immersi, *Ibid. l.* 36. *l.* Academiæ, *Ibid. l.* 38. *l.* nimis, *p.* 517. *l.* 27. *l.* nimis, *p.* 519. *l.* 10. hos, *p.* 537. *l.* 7. *l.* Sol, Terra.

# DISPUTATIO PRIMA.

## *An Philosophorum ulli, & quinam Athei fuerunt?*

SECT. I. CUM vetus Philosophia in duas Scholas ab initio divisa fuerit; quarum altera Ionica, quam exorsus est Thales Milesius, sic dictus, aut quòd Mileti natus, aut quòd Tyrius cum fuerit, in civitatem adscriptus sit: Italica altera, quam Pythagoras Samius, relictâ patriâ, quòd Polycratis Tyrannidem ferre non posset, in eâ Italiæ regione, quæ olim magna Græcia, nunc Calabria dicta est, inchoavit: Inter Ionicos unicum Anaxagoram, qui à Thalete quartus fuit, à populo pro tribunali impietatis accusatum fuisse accepimus; quanquam docti quidam ejusdem sectæ omnes ejusdem quoque criminis accusandos esse censeant. Pòst autem, cum in Socrate, qui ab Archelao, ut & ipse ab Anaxagorâ, disciplinam acceperat, Ionicorum successio desiisset, & Philosophia ab ejus discipulis denuo in varias seditiones, dum suæ quisque princeps esse voluit, dissipata & divulsa fuisset; Aristippus inter multos alios aliarum Authores Cyrenaicam ab ejusdem patriâ sic dictam instituit, cui successit Arete filia, quæ alterum Aristippum, tum filium tum discipulum habuit, cujus auditor Theodorus, & Bion Boristhenites, qui Theodori fuit, de eodem crimine accusati fuêre. Sectæ autem Italicæ, aut qui eidem alìus Hæreseos nomine successerunt (neque enim eorum quenquam, priusquam nova moliri cœperant, in crimen vocatum memini) complures omne Numen apertiùs sustulisse perhibentur. Quorum principes fuere Leucippus, Democritus, Diagoras Melius, Protagoras, & unus præ reliquis omnibus Epicurus. Quorum etiam ordini accensus esse posset Euhemerus historiæ Scriptor antiquus, cum & ipse

vulgò in eodem hominum cœtu & numero reponatur. Quid verò de Diis suis immortalibus aut ipsi, aut alii quivis, docuerint, neque à vulgi opinione, neque à cujusvis Scriptoris auctoritate, sed à solis cujusque decretis judicare oportet. Quanquam enim in loco de Naturâ Deorum magnæ multæq; videantur Philosophorum dissensiones, extremis tamen duabus sententiis, quæ & ipsæ maximè perspicuæ sunt, non plures esse possunt: Et in quarum alterâ quisquis fuerit, eam utcunque simulet fronteque occultet, dissimulare nequit. Ut enim sunt, atque semper fuerunt, iique neque pauci neque ignobiles, qui sempiternum quendam esse præstantissimâ mente præditum, qui idem rerum omnium Opifex & Rector sit, censuerunt: Ita sunt & alii qui è materiâ brutâ omnisque consilii experte omnia, quæcunque sunt aut fuerunt, nata esse arbitrantur; aut si fortè aliam materiæ adjunctam causam esse velint, talem tamen adhibent, quæ aut nullâ Providentiæ vi sit prædita, aut si sit, eâ in rerum administratione nunquam utatur. Qui istam sententiam secuti sunt, Deum esse planè aiunt, quòd Universi Dominum & Rectorem, qui omnia ratione & imperio regit, fateantur. Qui hanc, apertè negant, cum adversus rem brutam, sive quæ omni mente aut mentis usu vacat, nihil intelligit, nihilq; animadvertit, nulla certè pietas, nulla religionis sanctitas esse possit. Ut si qui veterum quos vulgò impietatis insimulant, tale rerum principium esse censuerint, quod aut omni mente vacet, aut si mentem habeat, Providentiâ; in re tam apertâ quid opus est juris actiones constituere? reos omnes sine testibus, sine formulis, sine judicibus habeamus. Quanquam enim sint qui Deum, quem decretis tollunt, ore habeant, tamen quæ occulta eorum mens fuerit, quicquid ludant & reluctentur, quam facilè elicere & evocare possumus. Nihili enim est esse Deum millies confiteri, nisi talem esse confiteantur, cui & cultum & obsequium debeamus. Itaque si qui tam evanescentem Numinis larvam substituerint, quæ sibi soli studeat, aliorumque omnium curam procul habeat; ita ut nec ab impiis pœnas repetat, nec sui cultoribus præmia largiatur, hi quidem Deum esse dixerunt, non omnino quòd crediderint, sed quòd negare ausi non essent. Quippe si nihil nobiscum commercii Numen habuerit, utcunque beatum & immortale prædicetur,

non magis cultu aut obſequio dignum erit, quàm ſi aut ſaxum aut ſtipitem in cœlis collocarent: Si enim preces non exaudiat, quorſum precibus nos ipſi fatigemus? Si quid agimus non animadvertat, quorſum ejus gratiam virtute honeſtéque factis mereri conemur? Uſq; adeo perſpicuum eſt detractâ Providentiâ omnem Religionis uſum tolli, quo ſublato nihil intereſt quicquam ſit, quod Dei nomine appellaverint, nécne. Neminem itaque inter Numinis Cultores numerare oportet, niſi qui idem mundi Dominum & opificem aſſeruerit, qui rerum Naturam condidit, earúmque curam gerit. Id qui agnoſcit, Deum confitetur; qui negat, quotieſcunque eo vocabulo utatur, totus Atheus & nil niſi Atheus eſſe poteſt. Sin verò aut è propriis decretis aut ſapientum teſtimoniis veterum quique de læsâ religione non prorſus damnentur, populi ſolius delationes nihili æſtimandas eſſe vellem, cum nunquam è rei veritate, ſed ſuis duntaxat præjudiciis, ſummâque rerum ignoratione ſemper judicare ſoleant: Nempe ſi quis ineptas quaſvis eorum ſuperſtitiones aut contempſerit aut minùs fortè æſtimaverit, inclementer ſtatim in Atheorum turbam diſtento gutture & indictâ causâ de omni impietatis ratione damnandum vociferantur. Neque equidem quicquam ſæpius uſu venire memini, quam ſi qui ſuperſtitionem tollere moliantur, ab iis qui turpiſſimè eidem ſe mancipio dederant (iſtis enim vernis nihil aut vilius aut inſolentius) impietatis convicio & ignominia notari. Cum enim nullam aut eſſe aut quidem eſſe poſſe præter ſuam Religionis rationem arbitrentur, eam ſi qui minùs ſuſpiciant, utcunque alioqui eximiam adverſus Deum pietatem & profeſſi ſint & oſtenderint, tanquam Mezentios Deorum hoſtes ipſamque Cyclopum ſobolem tum Diis tum hominibus exoſam inſectantur. Priuſquam igitur ſingulos coram Tribunali ſiſtamus communis pro omnibus videtur defenſio, ſolùm quod ſuperſtitionem oderint, impietatis accuſatos fuiſſe.

SECT. II. Quid enim Religionis niſi Atticam δεισιδαιμονίαν aut neglexiſſe aut irriſiſſe incuſantur? Quâ quæſo quæ unquam Reſpublica quicquam tetrius aut magis ab omni ſapientia atque pietate alienum publicis legibus ſancivit? Barbari enim plerumque Solem & Lunam cæteraque cœleſtia coluerunt,

luerunt, & si quos homines, eos solummodo, qui olim virtute & præclarè gestis enituere: Græci autem non modo homines, sed & hominum flagitia. Scilicet cùm immanissimâ Græciæ barbarie, teterrima superstitio forte orta sit, omniumque animos occupaverit, eam Poetæ, vaferrimum hominum genus, dum scenæ omni scelere refertæ inservierint, longè fœdius impiis suis fabulis contaminarunt, atque quidem tam turpia & flagitiosa de Diis suis finxere, ut de homine improbissimo nemo tam improba crediderit, & si convitiis atque probris lacessere voluissent, nescio quî fœdiora comminisci potuerant. Ne vero omnem turpissimæ superstitionis histrioniam aperiam, totum prope cœlum tam perditâ hominum colluvie compleverant, ut summa & sanctissima ista mundi sedes, non tam Deorum domicilium quam latronum ergastulum videretur. Quî igitur Philosophos se gerere oportuisse putamus, cum Deorum stupra, ebrietates, ærumnas, luxus, bella, & servitutes animadverterent? Quid cum Cœlum, qui Deorum omnium summus, à filio Saturno exectum acciperent? Quid cum ipsi Saturno humano sanguine litari viderent? Quid cum proprios filios devorasse audirent? Annon melius fuisset jam inde ab initio Critiâ vel Diagorâ ad condendas leges adhibito decrevisse nullum esse Deum, quam talia sacra facere, qualibus Saturno operabantur? Annon crassiùs & vehementiùs in Numinis Majestatem tam barbarâ superstitione quam apertissimâ impietate peccatur? Annon denique præstat nullum omnino numen coluisse quam aut immane aut impium esse arbitrari? Quid cùm Jovem non magis regno quam vitiis principem, in terrenos amores cum ipsis suis fulminibus ardentem, nunc aureo imbre defluere, nunc in puerorum pubescentium raptus ministris avibus prosilire? Quid cum squammatum, cornutum, plumatum & in aurum præ libidine conversum Deum? Quanto melius Ægyptii qui vicatim bruta coluerunt animantia, quam Græci qui tales adorant Deos, illa enim etsi feræ sint, non tamen ira aut libidine inflammantur. Unde Momus salsè & scitè in publico omnium Deorum conventu impiorum defensionem suscipiens Luciano inducitur. " Quum ex Poetis audiunt nos amare, " vulnerari, servire, vinculis obstringi, seditionibus turbari, " innumeris molestiis implicari; præsertim cum beatos & im-

Plut. περὶ δεισιδαιμ.

Cyp. ep. ad Donat.

Tertul. Ap. Clemens Alex. Protrept.

Jup. Tragœd.

" mor-

" mortales eſſe contendamus, quid aliud quàm nos jure de-
" riderent & flocci facerent.

Si verò non modo ipſos Deos ſed & ipſum Deorum cultum intueamur, quid quæſo Philoſophos agere oportebat, cum Eleuſinia myſteria, & Veneris ſacra aſpicerent, quæ quemadmodum Athenis celebrari ſolebant, αἶσχος κοσμικὸν, mundi probrum, meritò appellantur, cum ipſa lupanaria nulla tam fœda ſcelera viderunt, quàm quæ in ipſo Deorum cultu patrabantur? Quid cum Bacchi Orgia, quæ Conſules Romani Senatus auctoritate non modo urbe ſed universâ Italiâ eliminare bonorum reip. morum intereſſe reputarunt? Quid denique cum totum undique Deorum cultum immanitate, libidine & omnibus flagitiis contaminatum intuerentur? Ignavi ſane admodum & nullius animi fuiſſent, niſi tam veſanas tamque impias Religiones palam & cum indignatione abdicâſſent. Ut ſi tales fuerint quales fuiſſe accuſantur, reliquis tamen qui turpi vulgi ſuperſtitione obſtringi ſe paſſi ſunt, longè cordatiores fuere: fieri enim non potuit quin Deum (ſi quem omnino eſſe putaverint) à tam immani & pernicioſo cultu abhorrere intelligerent. Atque adeò neque ipſi ſuſcipere poſſent, niſi prius aut omnem Numinis cultum depoſuerant, aut ſaltem tantilli eſſe reputaverant, ut nihil referre cenſerent, cui aut quomodo aut denique an omnino perageretur: Atheos enim nullius ſuperſtitionis piget, quantacunque turpitudine inquinetur, ſed quodlibet & quovis modo adorant, modo chariſſimæ cuti & capiti conſulatur. Ut quidem ſummo jure reliquos omnes, quotquot inſanis vulgi religionibus paſſim uti conſuevere, non modo Diis quos adorare ſimulaverant, ſed omni Deorum numini plane illuſiſſe & clam renunciaſſe ſuſpicemur. Noſtri autem cum fortaſſe erga puram ſanctamque religionem meliore animo affecti fuerint, tam immanes ſuperſtitiones tollere ſtuduerunt, ut cultus quem Deorum numini magis placere putabant, illius loco obtineret. Unde Clemens Alexandrinus dum in impudicas Atticæ ſuperſtitionis ceremonias invehitur, ſic demum & merito quidem perorat: " Quâ de causâ venit mihi
" in mentem admirari quonam modo Euhemerum Agrigen-
" tinum & Nicanorem Cyprium, & Diagoram, & Hipponem
" Melium, & illum poſt hos Cyrenæum, cui nomen Theodo-

Clem. Alex. in Protrept.

" rus, & multos alios, qui probè & modestè vixerunt, &
" reliquis acrius hunc de Diis istis errorem perspexerunt, im-
" pios & atheos haberi. Qui etiamsi veritatem ipsam forte non
" attigerint, errorem tamen intellexerunt, quod quidem non
" exiguum est ad inventionem veritatis exordium. Verum utcunque fuerit, longe satius esse arbitror omnem religionem aspernari quam talem suscipere, quam non modo fictam & inanem, sed impiam & Deo exosam esse novimus. Jamdudum me fateor, inquit Arnobius, mecum reputantem in animo rerum hujuscemodi monstra, solitum esse mirari audire vos dicere quenquam ex his Atheum, irreligiosum, sacrilegum, qui Deos esse omnino aut negent aut dubitent; cum sit multo rectius Deos esse non credere, quam esse illos tales. Atque igitur longè clementiùs in Philosophos istos, etiamsi tales fuerint Athei quales fuisse perhibentur, animadverti oportet, quam in sordidos istos vulgi adulatores, qui unà cum eo tam turpi superstitione se volutari sustinerent. Vel saltem à populi Atheniensis dicâ aut fori Areopagitici judicio impios non haberi, cum tales Deos contempsisse accusantur, quales non contempsisse sine apertissimo in religionem scelere non potuerunt.

Lib. 5.

**Sect. III.** Idque potissimum si civitatis mores & leges paululùm intueamur, cùm & turpissimâ religione usi sint, & eam extremâ legum severitate omnibus imperaverint. Etenim sicut Græcia præ aliis regionibus olim superstitionum fœcunda fuisse traditur, ita Athenas præ reliquis Græciæ urbibus superstitioni deditas fuisse accepimus, unde vulgò dictæ sunt Deorum Patria & Officina, atque hinc cives suos Poeta comicus exagitat, quod Athenas in Ægyptum mutavissent, & Philosophus totam urbem unum altare factam fuisse queritur. Quippe sanctissimis reip. institutis civibus jussum erat unà cum Diis patriis Deos omnes peregrinos hospitio excipere, exceptosque colere, ex quo ibidem quotannis celebrabatur festum Θεοξενία dictum, quod in numinum inquilinorum honorem instituebant. Adeò ut præter vernacula numina omnes Barbarorum Deos, omnemque omnium gentium superstitionem sibi tandem accersivisse videantur. Cum autem tam immensam superstitionis molem susceperant,

Xenophon de rep. Athen.

ceperant, eam legibus acerbissimis omnibus præscripserunt, capitisque periculo cuique civium imperabant Deos atque Heroas patrios (ut jubent civitatis leges) venerari. Et siquis vel verbo solummodo præter illorum legem quicquam de Diis diceret, summo semper & inevitabili supplicio mulctârunt. Neque quodvis delictum tam leve circa sacra fieri posse putabant, quin quod capitis pœnâ expiari mereretur. Si quis vel parvam ilicem è luco heroum fortè excidisset, eum morte puniebant. Atque adeò fatuum quendam eumque in civitate famosissimum, quod Æsculapii sacrum passerem ad necem usque verberâsset, morti adjudicarunt: cúmque puer quidam auream laminam, quæ è Dianæ coronâ deciderat fortè sustulisset, nullam ætati veniam dederunt, sed crepundiis, talis,& laminâ ei simul oblatis,cum ad eam se contulisset,plexus est capite Infans sacrilegus. Et ne quicquam in sacra impunè peccatum foret, senatus postridie mysteriorum in Templo Eleusinio consessum faciebat, ut si quis in festi religionem quicquam peccâsset, pœnam secundum legum instituta exigerent. Immo verò non modo stultos & pueros, sed res brutas & inanimatas, si in religione deliquerant, in judicia vocare sacrum & solenne habebant. Sic in festo Βϩφονίων bovem quotannis immolabant, in memoriam cujusdam bovis Athei, qui sacras fruges in Bacchanalibus olim devoraverat: Et deinde interfecto bove, bipennem quo eum occiderant, in judicium quoque vocabant: eum tamen, cum actionem solenni fori pompâ exposuissent, ea erat judicum clementia, absolvebant, quod bos qui sacras fruges absumpsisse ausus fuerat, jure interfectus videretur. Jam cum adeò futilis & ludicra fuerit Atheniensium superstitio, eamque cùm legibus tam sanctis jusserint, quî fieri potuit quin cordati omnes tum publicæ religioni renunciarent, tum ad Areopagi tribunal postularentur. Potissimùm cùm non modò ea hominum probra, quos consecraverat antiquitas, sed & nova indies in Deorum numerum ipsi referebant. Leænam & Lamiam fœdissimum scortorum par annuæ parentationis honore mactaverant; Buricho, Ademanto, Oxythemi, vilissimis lenonibus aras ac delubra extruxerant, quo tandem necesse foret, ut aut turpia hujusmodi monstra libationibus, pæanum cantibus & cunctis religionis ceremoniis colerent,aut in ipsam urbis religionem peccarent.

Sect. IV. Quid quod denique qui illos impietatis accusârunt, aliis quoque, quos summum numen sanctissimè coluisse novimus, idem sceleris intentaverint, idque nullâ aliâ ratione nisi quòd apertè à vesanâ ipsorum superstitione abhorruissent. Ut enim Socratem prætercam, cui, quod quos Deos civitas existimaret, ipse non existimaverat, Anytum, Aristophanem & Melitum impietatis crimen impegisse res jam olim apud omnes nota & pervulgata est, tamen nec tunc Lysiæ defensione nec nunc meâ opus est, ei ut impietatis maculam abluamus; quippe hoc abundè præstiterunt Melitus morte mulctatus, Anytus ab Heracleotis exterminatus, Palæstræ & Gymnasia ob Socratis mortem Athenis clausa, æneaque imago in illius memoriæ honorem ab ipsis judicibus resipiscentibus erecta, & denique totius orbis de Socratis innocentiâ constans & consentiens opinio. Eo itaque misso, quid quod Christiano nomini ejusdem flagitii invidiam fecerint? quæ calumnia jam tum ab initio adeò invaluerat, ut si quid calamitatis terrarum orbi fortè contigisset, id divinitùs in illorum impietatis pœnam & ultionem illatum fuisse clamaverint. Cujus rei sat testium sunt quotquot antiquiorum aut pro Christianis aut adversus Gentiles scripsêre, qui quanquam à Christianâ fide impietatis crimen eluere impensè desudaverint, tamen ubique in suos tanquam Atheos omnisq; Religionis hostes in foris animadversum esse queruntur. Quo satis perspicuè efficitur, aut Atheos fuisse Christianos, aut non fuisse Philosophos, cum in eâdem causâ fuerint utrique; si enim fidem mereantur Ethnicorum delationes, ne quidem Christianos absolvamus, sin minus, in integrum restituantur Philosophi. A quibusdam autem reclamatum est, in aliâ controversiâ Christianorum, in aliâ Philosophorum causam versari, quòd illos non modo Ethnicorum superstitionem aspernatos esse, sed & præstantiori numinis cultui nomina dedisse liqueat, de his verò cum nihil quicquam tale constiterit, absolvendos non esse, nisi quoque dum superstitionem pessum dederint, meliore cultu usos fuisse pariter liqueret. Esto quidem, neq; enim nos absolvimus, sed satis est si omnia quæ contra eos afferuntur testimonia elevare possimus: Cum igitur Græciæ vulgus omnes, quotquot suæ superstitionis expertes vixerant, impios semper existimabat, si nulla alia occurrat

currat accusatio, quæ tam iniquam de iis opinionem persuadeat, eos eâ duntaxat causâ tam turpis convitii reos agere iniquissimum esse arbitramur. Si enim Christianum nomen solummodo propter ejuratam superstitionem in impietatis crimen vocaverint, id saltem suspicari licet eos eâdem causâ Philosophorum nomina detulisse; atque igitur eorum delationibus fidem non nisi temerè & iniquè adhibendam esse, præsertim si quæ aliundè suppetant conjecturæ, quæ molliorem de iis persuadeant opinionem. Quem quidem de Philosophorum probitate locum Patrum nonnulli tam illustrem censuere, ut eo à Christianis impietatis crimen abstersisse non metuant, causati scilicet non aliter sibi, quam Philosophis olim evenisse, quos si impiam religionem contempserint, omnem Deorum cultum sprevisse semper accusarunt; & quidem exultans gloriatur sanctissimus Martyr, se suosque talium qui vulgo habentur Deorum, quosque Philosophorum quidam sustulerunt, expertes esse & (si placet) Atheos. Quapropter quid quisque eorum de Diis censuerit, à solis cujusq; principiis quærendum est, nequaquam verò à fori decretis aut populi suffragiis, nisi quod eo tantum quod accusentur colligi possit rectè censuisse, cum nemo cui quicquam adversus Deum Pietatis superesset, in tam inexpiabiles religiones offendisse non poterat. Ut igitur quid censuerint ritè intelligamus, suo ordine in judicium singuli sistantur, & primum, cùm primus accusetur, coram Tribunali prodeat Anaxagoras.

Just. Mart. Apol. 2.

SECT. V. Hunc à Cleone quodam læsæ Religionis accusatum, quinque talentis & exilio mulctatum, & nisi restitisset Pericles (qui sese in ejus disciplinam tradiderat) capitis quoque damnandum fuisse traditur, quod Solem ferrum candens & ignitum esse affirmasset. Bene quidem erat superioribus omnibus Ionicæ Scholæ Philosophis, Thaleti, Anaximandro, Anaximeni, & Diogeni Apolloniati, à quibus Philosophiam acceperat Anaxagoras, eam Athenis non docuisse. Isti enim in Ioniæ angulis plerunque latitantes, utcunque liberè Philosophati sint, in nullam invidiam aut periculum venere; dum hic tandem ex Ioniâ Athenas Scholam traduxerit, ubi statim in vitæ discrimen, quod Deos

eſſe negaverit, à populo Athenienſi vocatur, quanquam primus omnium Philoſophorum exorſus ſit, qui ei impietati ex inſtituto reclamaſſe memoretur: cum rerum deſcriptioni, quam mancam, imperfectam, & Numine deſtitutam ſuperiores reliquerant Mentem Æternam adjecerit, quâ omnem Univerſi naturam ornari conficíque voluit. Iſti enim ita per totam Phyſiologiam de ſolâ materiâ, prætermiſſis aliis omnibus cauſis diſſeruêre, ut ſuſpicati ſint, & vehementer quidem, viri eruditi eos nullam omnino aliam agnoviſſe, & cum eâ ratione cauſam primam efficientem prorſus ſuſtulerint, Deum quoque ſuſtuliſſe. At vero nimis ſeverè (ut mihi videtur) de iis judicare videntur; etenim videre non poſſum eos cauſam primam(hoc eſt Deum)tollere ſtatuiſſe, ſed ſolummodo per oſcitantiam aut potius ex ſcientiæ inopiâ de eâ dicere omiſiſſe. Quippe cum primi animos ad philoſophiam appuliſſent, magnum aliquid ſe aſſecutos fuiſſe opinati ſunt, ſi qualis tandem eſſet rerum materia quodammodo explicarent, & proinde in eâ quæſtione excolendâ aliquandiu hæſiſſe, neque ſtatim quicquam de cauſis quæ ſupereſſent meditatos maxime veriſimile eſt. Mirum igitur videri non debet, ſi de iis penitus ſiluerint, de quibus dicere nuſquam aut ſuſceperant, aut cogitaverant. Id quod animadvertit Simplicius, ὁ δὲ λόγος, inquit, τοῖς τοιούτοις περὶ τῶν φυσικῶν ἀρχῶν, ἀλλ' οὐχὶ περὶ τῶν ὑπὲρ φύσιν, *Eos ſolum de cauſis naturalibus philoſophari ſtatuiſſe, nequaquam autem de iis, quæ ſupra naturam exiſtebant*, hoc eſt, de causâ primâ quam ſupra naturam exiſtimabant, nihil dixiſſe, unde de eâ prorſus ſilere poſſent, quanquam nullo modo tollere ſtatuerint, cum extra Philoſophiæ Naturalis inſtitutum arbitrarentur quicquam de principiis ſupernaturalibus diſputare. Et ſanè eos ſolum περὶ τοῦ ὑποκειμένου ſive de rerum materiâ diſſerere velle ſatis liqueat, quòd cum in magnâ Opinionum varietate conſtituantur in hâc tamen ſolummodo quæſtione diſſenſerint. Cùm hic Aquam, ille Aerem, alter Ignem, quartus unà cum prædictis omnibus Terram primum Elementum è quo res fiant eſſe voluerit, at quo fine quâve causâ quicquam fieret quærere non cogitârunt. Non ſum neſcius quidem cum alios veterum tum potiſſimum Ariſtotelem, quanquam eum iſthac in re alii omnes ſecuti ſunt,

teſtes uſurpari nullum aliud præter Materiam eos agnoviſſe principium, proinde neque Deum, τῶν δὴ πρώτων φιλοσοφησάντων οἱ πλεῖστοι τὰς ἐν ὕλης εἴδει μόνον ᾠήθησαν ἀρχὰς εἶναι πάντων. *Plurimi eorum qui primò Philoſophati ſunt ſolam materiam eſſe omnium principium exiſtimarunt*, & veteres Ionicos nominatim deſignat. Quid autem Authoritatis homini dandum eſt, qui ut ipſe ſolus principatum obtineret, nihil in omni Philoſophiâ, tam aſſiduè conatus eſt, quam ut omnium qui anteceſſerunt exiſtimationem imminueret. Cum nemo ſit antiquiorum, cujus famæ & nominis diligens obtrectator non fuit, neque enim in ſolum Platonem ſed in ſuperiores omnes recalcitravit ferociens pullus; quemadmodum enim nihil quod ab optimo Magiſtro didicerat, vellet intelligere, ut malè intellectum refelleret, ſic reliquos omnes tractavit, iis ineptas ſententias atque ſibi ſæpe contrarias ultro attribuens, ut quantum poterat eorum memoriæ invidiam conflaret, ſibique ſoli immenſam nominis gloriam arriperet. Atque hinc orta fuiſſe videtur perverſa ejus Philoſophandi ratio, cum omnia ſic definiverit, ſolum ut omnes qui ante ſe fuerant corriperet, unde cum Pythagorici Cœli partem Arcticam dextram & ſuperam eſſe ſtatuerant, ipſe magno animi ardore ſiniſtram & inferam eſſe contendit, quanquam certè de re tam incertâ & indefinitâ niſi diſputandi causâ nemo pugnaret, adeo ut niſi alii antea res bene definiiſſent, non puto eum tam malè definire potuiſſe, *v. g.* ſi perſpicuas de motu, de tempore, de loco, de inani, de infinito definitiones ipſi non attuliſſent (de quibus pene ſolis in ſuâ Phyſica diſputatur) iſte tortuoſis & involutis ſuis omnia non uſque adeo obſcuraſſet. Primus autem omnem veritatem invenire voluit, quam cum ab aliis partim inventam accepiſſe nollet, nil niſi fabulas & inſomnia in illius locum ſupponere & afferre potuit, ut pene totus in his duobus eſſe videatur, aut ut aliorum veras opiniones refellat, aut ut iis falſas affingat. Quanquam profectò in hâc Ionicorum accuſatione minus malevolum fuiſſe arbitror; iis enim ſolummodo vitio vertere videtur in unâ causâ materiali inveſtigandâ totos fuiſſe, nequaquam verò (quantum ipſe intelligo) cæteras omnes ſuſtuliſſe, ita ut eis non tam impietatem quam ignorantiam exprobrare videatur. Sic cum omnia corraſſiſſet,

Ariſt. Met. lib. 1. cap. 3.

De Cœlo, lib. 2. cap. 2.

ſet, quæ de principiis docuiſſent veteres, ita demum de ſeipſo gloriatur; *Tantum ex iis habemus, quod eorum qui de principio & causâ dixerunt, nemo quicquam præterea quæ in libris de naturalibus à nobis determinata ſunt dixerit,* &c. Ita nempe reliquos omnes in multis deficere oportebat, ut ipſe mortalium primus perfectè ſapuiſſe videretur, & quotieſcunque de principiis inciderit oratio, quam impotenter jactat ſe primum eſſe, qui quadruplicem cauſarum numerum aſſignaverit, dum alii in unâ aut duabus aut tribus acquieverint. Quod quoque in libris de *partibus Animalium* in veterum Phyſiologiâ reprehendit eos cauſas præſtantiores non attigiſſe, præſertim eam *cujus gratiâ*, atque *unde principium motûs*, quibus omiſſis parùm aut nihil præſtitiſſe jure reputat, ὥστε πάντες οἱ τοῦτο μὴ λέγοντες, οὐδὲν, ὡς εἰπεῖν, περὶ φύσεως λέγουσιν· ἀρχὴ γὰρ ἡ φύσις μᾶλλον τῆς ὕλης. *Quod omnes nihil fere de Naturâ doceant, qui in rerum fines non inquirant; cum ſit principium rerum Natura potius quam Materia.* Per quam Naturam neque cauſam effectricem neque finalem intelligit, ſed eam quæ forma appellatur, quam ſi omnino attigiſſent, ea in iſtarum quoque diſquiſitionem eos deduxerat, at verò cum penitus omiſerint, hoc ipſum in causâ fuiſſe ſtatuit, tam jejunam ſcientiam aſſecutos fuiſſe. Αἴτιον δὲ τοῦ μὴ ἐλθεῖν τοὺς προγενεστέρους ἐπὶ τὸν τρόπον τοῦτον, ὅτι τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ τὸ ὁρίσασθαι τὴν οὐσίαν οὐκ ἦν. *Cauſa vero quamobrem Antiquiores non ad hunc venerint modum* (ſcilicet explicandi fines rerum, quod in inveſtigationem cauſæ τοῦ οὗ ἕνεκα καὶ καλῶς deduxerat) *quod quid res eſſet atque ſubſtantiæ definitionem ipſam explicare haudquaquam ſolebant.* Et ſane ecquid magni præſtant, qui aquam aut aerem aut ignem, aut quamcunque demum materiam prima rerum elementa eſſe dicunt, niſi porro explorare pergant quâ vi quibuſque viis in tam varios tamque pulchros effectus evadat? Et id quidem eſt quod Philoſophis negotium faceſſit motûs principium in re quaque inveſtigare, quod ſi quis aſſecutus fuerit, is iſtius rei naturam ſatis novit. Qui verò totam ætatem in ſolius ignobilis materiæ inveſtigatione impendiſſent, ignotis rerum & formis & finibus, in quibus omnis, quantacunque tandem ea ſit, conſtat naturæ pulchritudo, nihil aut mirum aut magnum norunt, neque quidem, ut ſtatuit Ariſtoteles, quicquam naturæ ſcitu

V. Nat. Auſc. lib. 2. c. 1. Ubi cujuſque naturam ſuam formam eſſe definivit.

ſcitu dignum eſt, niſi motûs & mutationis principium inve-
ſtigemus. Quapropter eos meritò reprehendiſſe ſe putat,
cum τὸ ὑποκείμενον ſive ſubjectum in quo quicquid in mun-
do fiat, fieri ſtatuiſſent, deprehenderant, non ulterius in no-
bilioribus cauſis quærendis tum motûs cum ornatûs perre-
xiſſe. Προϊόντων δ' οὕτως, αὐτὸ τὸ πρᾶγμα ὡδοποίησεν αὐτοῖς, καὶ
συνηνάγκασε ζητεῖν. εἰ γὰρ ὅτι μάλιστα πᾶσα φθορὰ καὶ γένεσις ἔκ
τινὸς, ὡς ἑνὸς ἢ καὶ πλειόνων ἐστὶν, διὰ τί τοῦτο συμβαίνει, καὶ τί τὸ
αἴτιον; οὐ γὰρ δὴ τό γε ὑποκείμενον αὐτὸ ποιεῖ μεταβάλλειν ἑαυτό.
λέγω δὲ οἷον, οὔτε τὸ ξύλον, οὔτε ὁ χαλκὸς αἴτιον τοῦ μεταβάλλειν
ἑκάτερον αὐτῶν, οὐδὲ ποιεῖ τὸ μὲν ξύλον κλίνην, ὁ δὲ χαλκὸς ἀν-
δριάντα, ἀλλ' ἕτερόν τι τῆς μεταβολῆς αἴτιον. *Hac autem ratione
procedentibus eorum quoſdam* (Anaxagoram quique ſecuti ſunt)
*ipſa res quaſi manu duxit, & quidem coegit ulterius quærere.
Nam etiamſi plerunque omnis generatio & corruptio ex aliquo
fiat, ſive ex una ſive è pluribus, quamobrem tamen hoc accidit,
atque quæ cauſa ſit quod accidat? Ipſum enim ſubjectum ſeſe mu-
tari non facit, ut neque lignum lectum efficit, neque æs ſtatuam,
ſed aliud quippiam mutationis cauſa eſt.* Quod quidem cum
tam quæſitu obvium ſit, mirum eſt in illud non omnino
quæſiviſſe, quo non patefacto, vix operæ pretium foret, quic-
quid de materiâ aut ſciverint aut ſciviſſe profeſſi fuerint. Et
propterea Anaxagoram cæteris tanquam ebriis ſobrium præ-
ferre pergit, quòd quæſtioni de causâ materiali quæſtionem
de efficiente ſemper adjungi oportere cenſuerit. Μετὰ δὲ
τούτους καὶ τὰς τοιαύτας ἀρχὰς, ὡς οὐχ ἱκανῶν οὐσῶν γεννῆσαι τὴν τῶν
ὄντων φύσιν, πάλιν ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ὥσπερ εἴπομεν, ἀναγ-
καζόμενοι, τὴν ἐχομένην ἐζήτησαν ἀρχήν· τοῦ γὰρ εὖ καὶ καλῶς τὰ μὲν
ἔχειν, τὰ δὲ γίγνεσθαι τῶν ὄντων, ἴσως οὔτε γῆν, οὔτ' ἄλλο τῶν τοιού-
των οὐθὲν, οὔτ' εἰκὸς αἴτιον εἶναι, οὔτ' ἐκείνους εἰκὸς οἰηθῆναι. *Poſt hos &
ejuſmodi principia* (inquit) *tanquam non ſufficientia ut rerum
naturam generarent, ab ipsâ veritate coacti, ut* (de Anaxagora)
*diximus, illud quod ſequitur quæſiverunt principium: ut enim
res aut bene fiant aut omnino fiant, nec ignem fortaſſis nec ter-
ram nec aliud hujuſcemodi quicquam veriſimile eſt cauſam eſſe,
nec illos veriſimile eſt ita arbitrari:* Ubi, quamvis alioqui am-
biguè plerunque de iis eorumque opinionibus loqui affecta-
verit, planè fatetur utcunque veteres de ſolis rerum elemen-
tis diſſeruerint, tamen non ſola eſſe principia cenſuiſſe; quo

Metaph. l. 1. cap. 3.

solo satis ab omni Atheismi suspicione absolvit, cum id Atheorum omnium commune sit, omnes præter unicam materiam causas sustulisse. In quâ opinione cum eos non fuisse ipse arbitretur, in eâ fuisse accusare non poterat, atque igitur in iis reprehendendis nihil aliud voluisse, quam quod alias causas non attigerint, non autem quòd negaverint. Atque adeo in secundo de Physicis libro veteres omnes Physicam non plane attigisse probat, primùm quod solius materiæ rationem habere videantur, formam autem non intellexerunt, cùm cujusque Artis & Scientiæ munus sit rei de quâ agit tum formam tum materiam sive utrumque Naturæ principium investigare. Deinde quòd ejusdem scientiæ sit nosse id cujus causâ seu finem, & quæcunque illius causâ sunt; natura autem est finis & id cujus causâ: Postremò quòd in omni arte quæ circa materiam versatur duæ sunt facultates, effectrix, quæ eâ utitur, & architectonica, quæ eam ad munus suum idoneam efficit; sic Gubernator clavo uti novit, Architectus autem è quali ligno, & quâ formâ fiat; atque adeo in omni arte & in omni naturâ nihili est materiam nosse, nisi quæ sit illius forma, cui fini inserviat, & quâ vi ad eum assequendum aptetur intelligamus. Cum itaque unica sit illorum culpa & reprehensio solam causam materialem tractavisse; cumque ipse verosimile fateatur, quanquam eam solam tractaverint, non solam esse arbitratos fuisse, quicquid suspicionis circuitione & ambiguis loquendi formulis in illorum infamiam interponat vir malevolus, de hominibus minimè vafris quique probè & simpliciter vixerunt, non sine omni candoris jacturâ, locum tam turpi suspicioni dare possumus.

Cap. 2.

SECT. VI. Cæterum quo pleniùs singulos hoc crimine absolvamus, quid singuli censuerint paulisper inquirere oportet: Et à Thalete ordiamur; quem quanquam Aristoteles impiæ hujus Philosophiæ Principem esse voluit, tamen omnino frustra est aut aliorum aut ipsius quidem testimonia accumulare, eum mentem esse voluisse, quæ universum permeaverit, id quod Deum appellavit, ut perspicuum sit quanquam in Physicis de solâ materiâ fortasse disseruerit, non tamen omne aliud præter materiam principium sustulisse, neque eundem hujus impietatis Aristotelem accusare velle, sed

solum-

ſolummodo nullam pulchriorem ſcientiam conſecutum eſſe, quàm quod aquam dixerit eſſe primum elementum; aut ſi velit, non video quî magis ſui teſtimonii pondus & authoritatem elevare potuit, cum hominem in criminis ſuſpicionem vocaverat, qui ab eo non modò aliorum omnium, ſed & ſuo ipſius ſuffragio abſolvitur, ut ſi alios cujuſvis aliûs culpæ accuſaret, ei ſatis reſponſum foret, ipſum eum eſſe, quem Thaletem accuſare non puderet. Hunc igitur cum impiæ hujus diſciplinæ Principem eſſe tradiderit, qui nihil tale aut dixit aut cogitavit, ſed contra ipſo teſte, quid aliud niſi malitiam & calumniandi libidinem oſtendit, cum alios omnes Thaletem nullum præter aquam principium poſuiſſe putare vellet, quanquam ipſe eum divinam mentem ei præpoſuiſſe novit. Et quod de Thalete diximus, idem de Anaximene & Diogene Apolloniate prorſus dicendum eſt, quos in nullâ aliâ re ab eo diſſenſiſſe traditur, quam quod ut ille Aquam ita hi Aera primum elementum ſtatuerunt. De Anaximandro autem fateor quid judicare oporteat magis dubitandum eſſe, cum ut materiam quandam immenſam rerum initium eſſe dixerit, ita aliud quodvis principium dixiſſe non plane conſtat; quanquam veriſimilius arbitror eum quoque in Phyſicis nihil ultra materiam quærere voluiſſe, & propterea ſicut Thales aquam poſuit, ipſe aliam materiam ponendam eſſe voluit; & quanquam Author libri de placitis Philoſophorum Ariſtotelem ſecutus, eum cauſam effectricem ſuſtuliſſe dicat, eam tamen idcirco ſuſtuliſſe dixit, quod eâ relictâ ſolam materiam exponendam ſuſcepit, *cum materia, niſi efficiens cauſa accedat, nullam rem creare poteſt.* Quid inde? an ſuſtulit quia non poſuit? Idem quoque peccatum refert Anaximenem peccaviſſe, quod *ſolam materiam, ex quo omnia naſcantur eſſe velit, cum cauſa effectrix quoque ponenda ſit.* Adeo ut eam non poſuiſſe commune omnium Ionicorum à Thalete uſque ad Anaxagoram peccatum plane videatur. Et denique cum Velleius Anaximandri opinionem eſſe meminerit, *Nativos eſſe Deos, longis intervallis Orientes, Occidenteſque, eoſque innumerabiles eſſe mundos.* Miror quidem unum omnium mortalium Epicureum hoc à tanto intervallo videre, cum nemo præterea tradiderit (quanquam id Ariſtoteles inſinuare vellet) Anaximandrum quicquam tale de Diis ſtatuiſſe.

Lib. 1. de Nat. Deor.

At

At Epicureus erat & Epicurei personam decebat, tum fidenter tum perversè aliorum opiniones describere, quo faciliùs & insolentiùs reprehenderet, neque quidem alio candore ejus quam quorundam aliorum sententias recenset, sed calumniari videtur solummodo ut redarguat. Quanquam fortè loquatur Velleius ex vulgari & tum recepta opinione, potissimum Stoicorum quos contra disputat, eundem esse mundum & Deum, & proinde cum Anaximander nativos esse mundos censeat, inde statim nativos quoque Deos esse concludit, cum quicquid de mundo statuatur, idem omnino de Deo statuendum esse Stoicorum nemo dubitaret. Denique quanquam Deos nativos esse voluit, id tamen de omnibus dixisse nulla ratione conclusum est; cum omnium Ethnicorum id commune sit Deos quosdam qui nascerentur opinari, tamen unicum altissimum & sempiternum Numen esse, quod reliquos procrearet iisque præesset, atque ita utcunque Deos nativos esse dixerit, nisi tamen eos omnes ortos & mortales dixisse liqueat, nimiâ vi colligitur nullum agnovisse sempiternum. Verosimilior & Anaximandri disciplinæ magis consentanea videtur Aristotelis accusatio, si quæ Calumniatori fides haberi posset, non Deos omnes ex infinitate naturæ nasci, ut voluit Velleius, sed ipsam Naturæ Infinitatem, etiamsi mente careat, summum numen fuisse. Summam enim Divinitatem gigni opinari non potuit Philosophus, & si quos vellet nativos esse Deos, summo certè minores haberet. Quanquam dicere potuit & dixisse non dubito infinitum isthuc ingenitum & immortale esse, ei autem divinitatem tribuisse, non intelligo, neque quidem id dixisse videtur Aristoteles, sed solùm tribuisse oportere infert: ex eo enim quòd ingenitum & immortale esse censeret, pro suo candore ipsum quoque numen esse conclusit, sic enim cum de Infiniti naturâ differuerat, argumentum conficit: Καὶ τοῦτο εἶναι τὸ Θεῖον; ἀθάνατον γὰρ καὶ ἀνώλεθρον, ὥσπερ φησὶν ὁ Ἀναξίμανδρος καὶ οἱ πλεῖστοι τῶν φυσιολόγων, *Atque hoc esse numen, esse enim & ingenitum & immortale, ut inquit Anaximander, & unà cum eo Physicorum plerique.* Id ergo quod illi inquiunt nihil aliud esse videtur quam Infinitum quoddam, quod ortûs & interitûs expers sit, esse. At quod numen ipsum fuerit dixisse accusare non ausit, id enim solâ vi suæ disputationis colligitur,

Nat. Ausc. lib. 3. c. 4.

gitur, ſcilicet ſi nec genitum nec interiturum fuerit, certè ſummum Numen eſſe oportere. Ut vero in unum omnia contraham, dico non paucorum, nedum unius, qui longo intervallo ab iis vixit, adverſus veteres iſtos teſtimoniis utendum eſſe, cum ex totâ ſuæ diſciplinæ ratione tam perſpicuum ſit eos de ſolâ rerum materiâ philoſophari velle, ita ut quanquam Deum agnoverint, qui cuncta ex illâ fingeret (quod de Thalete norunt omnes, quotquot veterum quemvis inſpexerunt) tamen aut quod ſatis notum, aut quod extra Phyſiologiæ inſtitutum eſſe cogitarent, aut aliâ quâcunque ratione, eo omiſſo, in ſolâ materiâ inveſtigandâ ſuam omnem operam poſuerunt.

SECT. VII. Quicquid autem de reliquis judicare placeat, Anaxagoram Numen non ſuſtuliſſe indubium ſit, non modò quod diſertè docuerit Mentem quandam κοσμοποιὸν materiam in ordinem compegiſſe; ſed & quod primus omnium rerum deſcriptionem & modum mentis infinitæ vi & ratione deſignari & confici voluerit. Et ipſe Ariſtoteles illius laudi vertit, quod primus Ionicorum materiæ opificem adjunxerit, & denique adeo inſignis & nota erat hæc Anaxagoræ opinio, ut à Plutarcho & Laertio *Mentem* inde fuiſſe cognominatum memoretur. In vitæ itaque periculum veniſſe conſtat, non omnino quod Deos, ſed quod vulgi opiniones de Diis forte ſuſtulerit. Quippe cum ſummum eſſe Numen, idque præſtantiſſimam mentem quæ rerum Naturæ præſideat, aſſereret, vulgò receptis Diis omnem Divinitatem abrogavit; cum itaque Solem ignis laminam, habitarique in Lunâ, cæteraque aſtra eſſe omni vitâ & ratione deſtituta vellet, quæ in urbe pro Diis colebantur, in impietatis crimen incideret neceſſe eſt. Quanquam quidem non à Populo in judicium vocabatur, ſed à viris politicis qui factiones in Republicâ fovebant; ſcilicet cùm *Pericles* qui *Anaxagoræ* familiaritate maximè uſus eſſet, rebus geſtis magnam invidiam (ut fieri ſolet) contraxerat, nonnulli qui Populum in eum excire ſtudebant, inter alias artes Rogationem tulerunt, ut nomina deferrentur eorum, qui eſſe Deos negarent, aut qui ſermones de rebus æthereis ſererent: quâ ſuſpicione dum Anaxagoram in crimen vocarent, Populi odium in Periclem

V. Plutarch. in vita Periclis.

congerere possent, cum se illius in omnibus discipulum professus sit, & semper maximi fecerit, à quo scil. tam morum probitatem quàm *securam adversus Deos pietatem* didicisset; atque ita virum probum calumniabantur, non quòd Religio cordi esset, aut quòd reus esset necne curarent, sed solùm ut populi odium in amicum, cujus gloriam præ invidiâ ferre non possent, concitarent. Jam vero si eorum calumnias cum illius disciplinâ conferre volumus, quid magis perspicuum esse possit quam eum non modo Deum non sustulisse, sed primum esse, qui numinis existentiam apertè probaverit, ejusque Naturam probè intellexerit? Et cum excipiunt nonnulli iique non prorsus indocti, eum quidem præstantissimam adhibuisse Mentem, adhibuisse tamen ad physicam Hypothesin, cujus auxilio rerum Naturam explicaret, non autem quod ei cultum quemvis aut Religionem debere se crederet: Non satis ingenuè cum ingenuo viro agere videntur, cum idem Mundi ordo & ornatus qui Deum confiteri cogit, eundem quoque gratâ mente suspicere urget & impellit, quod quicquid in mundo ad vitam hominum utile reperiatur, ab illo, qui omnia condidit tributum videamus, adeo ut omnis adversus Deum Religio huic soli Hypothesi innitatur, quâ datâ, sequitur ad Gratitudinem (quæ Pietas adversus Deum est) manifesta obligatio, ita ut nemo tam vecors esse possit, qui Mentem esse, cujus ratione mundum extrui & administrari fateatur, quin aliquo cultu & honore suspiciendum esse censeat. At Epicurus (inquiunt) quanquam Deos immortales posuerit, tamen cum eos ab omni mundi administratione submoverit, omnem religionem sustulisse accusatur. Et rectè quidem, cum tantum absit ut Deo Hypotheseos causâ utatur, ut nihil magis laboraverit quam seclusâ omni Deorum operâ mundi ornatum explicare.

Plut. in vitâ Periclis.

*——Unde queat res quæque creari*
*Et quo quæque modo fiant operâ sine Divûm.*

Lucret. l. 1.

Atque eum quis non videt tum Diis tum Hominibus illusisse, cum omnia argumenta quæ Deum à mundi pulchritudine fateri cogant contempserit, eumque non nisi ab hominum consensu probari vellet, quem tamen nemo acriùs aut arrogan-

tiùs quam ipſe Epicurus contempſiſſe traditur? Et quidem cum Deorum, quos voluit, providentiam abrogaverit, quorſum eſt inertes quoſdam homunculos (vult enim humanas eſſe Deorum formas) longe ab omni hujus mundi commercio ſemotos, qui in propriis clauſtris aut torpeant aut ferientur, eſſe dicere? Nihil intereſt ſtipitem in cœlis collocemus, an Deum qui nihil neque curet neque agat, neque quicquam cum hominibus commune habeat, perinde enim eſt, (quantum noſtrâ refert) ac ſi nuſquam eſſet; ita quicquid præ ſe ferat, extra dubium eſt nullos eſſe Deos credidiſſe, ſed ne quid periculi ſubiret, negare non auſum eſſe. At ſane longè alia eſt Anaxagoræ cauſa, qui naturæ ſolertiam explanare deſperaverat, niſi præſtantiſſima Mens, quæ omnia tam pulchrè diſpoſuerat adhiberetur, & proinde, quæ quidem digna eſſet, quam omni cultu & honore proſequatur genus humanum, cum ita omnia ad hominum uſum diſpoſuerit, ut fere nihil aliud in totius operis conſilio quam hominibus conſulere videatur.

SECT. VIII. Huc uſque *veterem Ionicorum familiam ab omni* impietate, aut impietatis ſuſpicione ſatis (opinor) vindicavimus; neque enim poſt *Anaxagoram* in aliorum diſquiſitionem deſcendere opus eſſe arbitor, cum in Archelao qui ei ſucceſſit, Ioniæ Schola expiraverit. Socrates enim, qui ab eo diſciplinam accepit, relictâ Phyſiologiâ, novam, moralem ſcilicet philoſophiæ rationem, exorſus eſt; cujus fama ita ubique invaluit, ut antiquiorum gloriam penitus deleverit, adeo ut variæ Philoſophorum, quæ ab illo poſtmodum fluxerunt, ſectæ ei uni tanquam Philoſophiæ principi & auctori omnia detulerint. E quibus non plures (ut unum & alterum, de quibus vix quidquam memoriæ traditur prætercam) quicquam contumeliæ Diis intuliſſe accuſantur, quàm Theodorus, primùm, quod Deos negaverit, Ἄθεος cognominatus, deinde Θεὸς quoniam (ſi placet) ſeipſum Deum nuncupare placuit, & Bion Boriſthenites ejuſdem Auditor, vir nullâ alia re niſi importunis moribus & lividis ſalibus inſignis, & hos quidem cum ſermonibus tum libris editis fertur palàm & audacter ſuam adverſus numinis exiſtentiam opinionem defendiſſe; qua de causâ iſtum primò *Cyrenis*, deinde

*Athenis* ejectum, aut judicio Areopagi damnatum, cicutam bibisse: hunc verò, cum in nullum judicii periculum venerit, vitam impudicam & dogmatibus congruam egisse, & denique cum in extremum morbum incidisset, summo cum conscientiæ horrore & facinorum pœnitentiâ (quod plerumque accidit) in turpissimam & plusquam anilem superstitionem delapsum vitam finivisse. Et utrosque quidem longè scelestiores fuisse, quam fuisse accusantur, hâc solâ ratione, etiamsi nullo veteris auctoris testimonio, evinci posse non dubito, quod Aristippi disciplinam secuti fuerint, cum is nihil novi sibique peculiare introduxerit, aut introducere sudaverit, quàm Philosophiam à pietate disjunctam. Etenim cùm à Socrate didicerat virtutem semper cum voluptate copulari, eâ relictâ, hanc solam arripuit, in eâque omne bonum vitæque felicitatem posuit, neque ullam præter corporis seu sensuum titillationem agnovit, & proinde nihil nisi ut ventri laterique bene sit curandum esse; & modò ejus voluptati consulatur, nihil interesse quid agamus, cùm nihil bonum aut malum sit, nisi quod voluptatem aut dolorem efficiat. Posthabitâ itaque omnis virtutis & vitii ratione, omnique Deorum hominumque curâ, Sapientem quicquid suis rationibus conducat acturum, & tempore locoque opportuno quicquam sceleris commissurum. Quippe brevi hâc vita quicquid felicitatis expectamus quoquo modo fruamur; cum impendeat mors, post quam nihil quod aut nos aut alios pecudum greges attineat, supersit, unde dolere vel lætari possimus. Posthac utrùm Deum negaverit necne non inquiro, cum hujusmodi decretis non aliter quid censuerit, declaret, quam si audacter nullum esse dixerit: dempta scilicet virtute animæque humanæ immortalitate, sit an non sit Deus, perinde est; cum nullius fructûs in hâc vitâ sit, qualiscunque relinquatur Religio, aut in altera esse possit: Et quicquid pietatis, qui hæc crediderint, præ se ferant, impudenter fingunt & mentiuntur. Quapropter mirari non oportet si mores institutis convenire reperiantur; si Tyrannorum scelestissimo ventris gratiâ adulatus fuerit; si vitam in omni intemperantiâ, luxu, & libidine traduxerit; si nihil præter unguenta, meretrices, & convivia curæ habuerit; si vitia sua palam proferat & profiteatur laudanda; si denique libris editis

editis alios ad suam immodestiam imitandam hortari audeat, & docere vitiis gloriari non erubescat, *ut iis sapientiam inscribant, & luxuriam in Philosophiæ sinu abscondant, & quod unum habebant in malis bonum perdant, peccandi verecundiam.* Et Magistrum non modo secuti sunt in dogmatum & morum impietate Theodorus & Bion, sed (si fieri possit) superaverunt, nugas esse Deos, & fabulas, qui de iis habentur sermones libris editis docebant; omnes ad furta, perjuria, & rapinas hortabantur, omnemque non modo amicitiam, sed & adversus aut Patriam aut Parentes benevolentiam ludibrio & despectui habebant, neque scelera laudare satis reputabant, nisi virtutes omnes, & imprimis modestiam, in publicum odium & contemptum protraherent: usque adeo impietas, si semel radices agere permittatur, gliscit & incrementa facit, donec tandem ad summam impudentiam pervenerit.

Seneca de vitâ beatâ.

SECT. IX. Atque ita peractâ, de Ionicæ Scholæ philosophis, disquisitione; liceret jam tandem ad Pythagoricam accedere, nisi hîc de Euhemero, quid ipse censuerit paulisper inquirere expediret, quippe cum neutri annumerari posset, de illius causâ seorsim agere oportet. Quem acerrimè perstrinxit Plutarchus (ut alios complures præteream) quòd Commentariis non Deos qui vulgò haberentur, sed Homunciones fuisse docuerit; atque adeo eorum natales, conjugia, liberos, res benè aut malè gestas, mortes denique & sepulturas ex antiquissimis monumentis & annalibus collegit, ut quales fuerint populo insinuaret. Cui instituto quid impietatis insit non video, nisi quod objecerit eum quidem hoc pacto ἀκίνητα κινεῖν, & bellum inferre non tantum longo tempori, sed multis hominibus, gentibus & familiis, quas religiosus horum Deorum cultus quasi furore divino correptas, tenuit, ac magnas aperire valvas impiæ turbæ ἐξανθρωπίζειν τὰ Θεῖα, res Deorum in humanas convertere. Tantum opinio præjudicata apud Hominem omni doctrinâ eruditum poterat, ut contrà omnium monumentorum Auctoritatem valeret, ne scilicet perirent antiquæ superstitionis imposturæ. At quanto sapientiùs & Philosophi gravitate digniùs conclusisset, si, cùm planè constiterit Deos non esse qui vulgò Dii habentur, eorum

De Iside & Osyride.

rum cultui renunciandum esse dixerat. Quippe satis novit Plutarchus (& nemo quidem melius) Jovem, quem Deorum regem habebant, in Cretâ non optimis moribus vixisse, ibiq; sepultum esse; novit Æsculapium in quodam Arcadiæ vico dentibus evellendis victum quæsivisse; novit cujus conditionis & quæstûs fuerit Venus, & expromere potuit, si vellet, magnam illam amorum, gratiarum & pulchritudinis Deam, non aliam fuisse ac Cinyræ Cypri Regis Meretriculam; novit denique (ut ad res suas deveniam) Osyrin Ægypti regem justum & beneficum à fratre Typhone non sine maximâ perfidiâ interfectum; cujus cædem cum Ægyptii in piam principis memoriam solenni luctu annuatim plangere solebant, ritum istum tandem successu temporis in Religionem abiisse; ex quâ simplici historiâ novis indies fabulis auctâ emersit ista tanta Isiacæ superstitionis moles. Et cum posteà rem totam de Iside & Osyride in allegorias convertendo satis se occultare putat, tamen tam frigidæ sunt quas elicit, tam longè petitæ, tamque inter se dissidentes, ut planè ostendant Plutarchum hominem imprimis acutum quicquam malle ineptire quam ἀκίνητα κινεῖν. Ita sane cum de Geniis interpretatur, de Nilo, de Ægypti Terrâ & Oceano, de principiis humidi & calidi, de Sole & Lunâ, de duobus summis sibique oppositis Diis, de animæ facultatibus, & denique de universi principiis; eâdem verisimilitudine sua quæ scripsit de viris illustribus Parallela in easdem allegorias immutare, & de iisdem rebus interpretari posset.

Ibid. At, inquit, magnæ res gestæ sunt ab aliis quoque regibus, v. g. Cyro & Alexandro, istis tamen nomina & memoria præclarorum regum, non numinum obtigerunt; & si qui fastu elati Deorum cognomina per lasciviam acceperunt, ac templa sibi poni voluerunt, eorum gloria brevi floruit tempore, & statim præter arrogantiam impietatis culpam sustinuêre, & nunc tanquam fugitivi servi, in quos jus abducendi est Dominis, avulsi à templis & aris, nihil præter monumenta & sepulchra habent. At meliùs novit Plutarchus temporum intervalla, quam ut isthæc seriò objiciat; novit scilicet iis qui olim numinis ad dignitatem evecti sunt, barbaris seculis nullâ arte aut disciplinâ imbutis, omnesque fabulas facilè credentibus, tanto honore mactari contigisse. Cùm si qui, post-

quam

quam Philoſophiæ & bonarum literarum ſtudia invaluerant, eandem gloriam affectaverint, cum dedecore & faſtidio facilè repellebantur. At mutatis ſeculis mutarentur fortaſſe & ſortes, viz. ſi Alexander Herculis ætate vixiſſet, & Hercules viciſſim Alexandri, ille (contra quàm accidit) templa & aras adeptus eſſet, dum hic riſu exciperetur, ſi ſe Jovem filium & Deum prædicaviſſet. Si *Lucullus*, qui primus ceraſa è Ponto Romam pertulit, Bello Mithridatico A. V. C. 680. eadem ætate iſtam frugem invenerat, quâ *Liber* vitem inveniſſe dicitur, eum quoque non aliter quàm Liberum Patrem populus agreſtis in Deorum cenſum aſcripſiſſet. Si denique Lais ante bella Trojana floruiſſet, ipſa quoque perinde ac Venus numinibus accenſeri potuiſſet, ſcilicet priſcis iſtis temporibus nullius rei apud Græcos vilior erat annona quam Deorum, aut uberior proventus; & ut ſcitè rem totam paucis conficit Clemens Alexandrinus, Οἱ προσκυνούμενοι παρ' ὑμῖν, ἄνθρωποι γενόμενοί ποτε, εἶτα μέντοι τεθνᾶσιν· τετίμηκε δὲ αὐτοὺς ὁ μῦθος καὶ ὁ χρόνος. φιλεῖ γάρ πως, τὰ μὲν παρόντα συνηθείᾳ καταφρονεῖσθαι· τὰ δὲ παρῳχηκότα τοῦ παραυτίκα ἐλέγχου κεχωρισμένα χρόνων ἀδηλείᾳ τετιμῆσθαι τῷ πλάσματι, καὶ τὰ μὲν ἀπιστεῖσθαι, τὰ δὲ καὶ θαυμάζεσθαι, αὐτίκα γοῦν οἱ παλαιοὶ νεκροὶ τῷ πολλῷ τῆς πλάνης χρόνῳ σεμνυνόμενοι, τοῖς ἔπειτα νομίζονται Θεοί. *Qui à vobis adorantur, homines cum prius fuerint, deinde mortem obierunt: affècit autem ipſos honore & fabula & tempus; ſolent enim, neſcio quomodo ea quidem quæ ſunt præſentia deſpici propter conſuetudinem, quæ autem ſunt præterita, quia propter incertitudinem temporis argui ac convinci non poſſunt, in honore eſſe propter figmentum; & alia quidem non credi, alia verò etiam haberi in admiratione, ita veteres mortui longo erroris tempore ſe venditantes; à poſteris Dii eſſe exiſtimantur.* Ita unà cum Euhemero ſuam quoque ſententiam ab omni impietatis culpâ adverſus Plutarchi delationem ſatis defendimus, niſi quòd poſt eum reperiantur, qui Euhemerum, cum vulgò receptos Deos homines fuiſſe demonſtraverit, id velle dicunt nullos alios fuiſſe, & à ſolâ Regum Apotheoſi omnem de cujuſcunque Numinis exiſtentiâ opinionem primùm exortam eſſe. Ita quidem dicunt, ſed ſolùm dicunt, & quod dicunt nullo veterum teſtimonio tueri poſſunt. Cum eâ ſolùm de causâ læſæ religionis, eum accuſaverint veteres,

In Protrept.

quòd

quod quos colebant Deos, ipse Deos non fuisse probaverit. Atqui eorum fraudes eo animo detexisse ut omnem numinis notionem callidè confictam insinuaret, iniqua suspicio est, quæ nullâ aut satis antiquâ Auctoritate, aut verosimili ratione suffulciatur.

SECT. X. Jam verò cum ad Italicæ successionis Philosophos deveniatur, multò magis perspicua est eorum quam veterum Ionicorum causa, cùm planè quidem constet Leucippum & Democritum, qui à Pythagorâ aliisque suæ sectæ antiquioribus genuinam philosophandi rationem acceperunt, eâ non magis improbè quam indoctè in Atheismi patrocinium usos fuisse. Nempe primi ejusdem Authores ne minima quidem naturæ phænomena, nisi duplici causâ explicari posse censuerunt; unâ materiali, ex quâ res quæque efficiatur; efficiente alterâ, quæ res quasque ex materiali efficiat, adeo ut quicquid in rerum naturâ è principiis materialibus fiat, ab efficientis vi & consilio fiat. Sic ipse Pythagoras, omnem naturam in duo principia divisit; ἐπὶ τὸ ποιητικὸν αἴτιον καὶ εἰδικὸν, (ὅπερ ἐστὶ νοῦς ὁ Θεὸς) καὶ ἐπὶ τὸ παθητικόν τε καὶ ὑλικὸν (ὅπερ ἐστὶν ὁ ὁρατὸς κόσμος) *causam effectricem, quæ est mens seu Deus; & materialem seu passionibus subjectam, quæ est mundus visibilis.* Quæ quidem prima & maximè rata erat Pythagoreæ Philosophiæ sententia. At qui secuti sunt Leucippus & Democritus, neglectâ præcipuâ de causâ efficiente doctrinâ, & sine quâ quod tenuerunt nullo modo constare possit, omnem mundi ornatum cæco & fortuito materiæ motu explicare aggressi sunt; hoc est, quî artis, rationis, & consilii refertissima opera sine omni arte ratione & consilio efficiantur, docere. Quo quidem quid fieri potuit Philosopho, imo quidem viro prudente indignius? Quis enim qui non prorsus desipere affectaverit, brutam & inertem materiam, tantos tamque venustos effectus, imo quicquam omnino suis viribus efficere posse, aut sibi seriò persuadere queat aut aliis persuadendum esse putet. Præsertim cùm adeò prudenter ante illos instituta sit vetus Philosophia duplici quidem nomine, imprimis quòd effectuum, qui summâ ratione perfecti sunt causam rationis compotem assignaverit; & deinde quod tam facilè omnes naturæ vires explicuerit, ita ut sua quæ-

Plutarch. de Placit. l. 1. c. 3

quæcunque opera ſolâ materiæ mutatione perficiat, neque quicquam, quicquid de novo efficere videatur, è nihilo educat, quod fieri neceſſe eſſet, ſi novæ formæ, ſive alterius cujuſcunque rei, quæ à materiâ diſtinguatur, procreatione rerum ortus & interitus peragantur. Cum, inquam, tam integram & intellectu facilem Philoſophiæ rationem ab antiquioribus didicerant, quæ tum à principio naturæ ortum, tum poſtea omnes ejuſdem mutationes tam expeditè docuerat, quid craſſiorem imprudentiam arguere potuiſſet quàm non modò tam perfectam diſciplinam abdicare, ſed ejus vice novam hypotheſin nullâ ratione aut inventam aut intelligendam ſubſtituere, & denique omnem omnium rerum pulchritudinem, in caſum & fortunam, hoc eſt, in nullam cauſam devolvere.

Non ſum quidem neſcius Ariſtotelem velle hos quoq; perinde ac veteres Ionicos de motûs principio dicere per negligentiam omiſiſſe: περὶ δὲ κινήσεως, ὅθεν ἢ πῶς ὑπάρχει τοῖς οὖσι, καὶ οὗτοι παραπλησίως ἄλλοις ῥαθύμως ἀφῆκαν. *De motu vero vel quomodo rebus ineſſe contigit, hi perinde atque alii iſti per negligentiam dicere omiſerunt:* attamen hoc inter hos & veteres iſtos intereſſe quis dubitarit; quod iſti, cum ſolùm περὶ τοῦ ὑποκειμένου philoſophati ſint, fieri potuit ut ſuam omnem de rerum naturâ inveſtigationem intra cauſam materialem cohibere inſtituerint, atque ita de primâ efficiente nihil omnino diſſeruiſſe velint, fortaſſe quod tum temporis ità apud omnes in confeſſo eſſet, ut dubitari non poſſe arbitrarentur, an fuerit Opifex, qui rerum naturam condiderit, ſed ſolùm quo apparatu & ex quibus principiis conſtruxerit, & propterea unicum Philoſophi munus eſſe in iſtam quæſtionem inquirere, quâ inventâ rem totam confectam eſſe; vel potius (ut ſuprà diximus) fieri potuit, ut rudes adhuc in Philoſophiâ non totam philoſophandi rationem complexi fuerint, atque ita de ſolo principio materiali, cæteris per oſcitantiam prætermiſſis, quærere cogitarent, eamque ſi quoquo modo inveſtigaverint ſatis ſe feciſſe reputarent; donec tandem viderit Anaxagoras omnem de principio materiali Philoſophiam imperfectam, imo quidem nullam eſſe, niſi adhibeatur cauſa efficiens, quæ illam diſpoſuerit & ordinaverit: & propterea materiæ mentem addidiſſe, non omnino ut priorum diſciplinam refutaret, ſed

Met. l. 1. c. 4.

E ſolum-

solummodo ut eam augeret & perficeret. At Leucippus & Democritus cum ab antiquioribus perfectam disciplinam acceperant, ex industriâ eam mutilare conati sunt, & omnes vires adhibuêre, ut quicquid veteres de causâ effectrice statuissent, è rerum natura penitus tollatur; ita ut omnia quæcunque Phænomena, tum origo motûs tum mundi ornatus, unicâ materiâ, nullo consilio eam gubernante, absolvantur. Quo quidem instituto in apertissimum Atheismum incidisse nemo non videt, & quidem si accuratiùs rem definire velimus, solos esse quos jure in Atheorum censu numerare oporteat. Nempe Aristippus ejusque sectatores, cum Physicen omnino aspernarentur, quomodo hunc locum de Deo tractare potuissent? sed homines vitiis dediti omnem Numinis timorem, qui à sceleribus retrahat, excutere moliebantur; id quod hodieque usu venire novimus, petulans & volaticum hominum genus omnem de Deo aut Religione opinionem fidenter stultitiæ arguere, etiamsi aut in illius aut alterius cujuscunque rei certitudinem inquirere neque possunt, neque ferunt. Et hos quidem Asotos potiùs quam Atheos dicendos arbitror, cum illorum impietas non tam opinio quam insania aut fatuitas sit, quæ nullis rationibus aut principiis innitatur. Hi verò sobrii & siccâ mente ad evertendam Religionem accesserunt, neque quicquam novi in Philosophiâ moliri visi sunt, nisi ut rerum Opificem è rerum naturâ submoverent; adeo ut Democritus (quantumcunque aliorum opinionibus irridendis pulmonem agitare solebat) nihil liberaliùs quàm Anaxagoræ Mentem irrisisse memoretur, & hoc præcipuum ejusdem flagitium fuisse olim monuit Cicero, *è corpusculis effectum esse cœlum ac terram nullâ cogente naturâ sed concursu quodam fortuito*, seu ut alibi, *necessitate, hoc est, atomorum gravitate naturali, omnia fieri.* Et nihil quidem testatius est, quam eum, ut numine secluso omnia ex atomis & inani fiant statuisse, etiam sic fieri ipsos Deos animamque humanam: Neque quicquam divinitatis agnovit præter simulachra quædam corporea, & ea quidem dissolutioni obnoxia. Quanquam dum mundi opificium sine numinis consilio absolvi voluerit, posthac nihil opus est Deum esse negare, tale enim numen, quod non idem mundi Opifex & Dominus fuerit, nihil est nisi spectrum & nomen inane agnovisse; cum cultum

De Nat. Deor. lib. 1. de fato.

V. Sext. Emp. adv. Mathem. l. 8.

tum & obſequium non titulo ſed providentiæ debeamus. At cum neget eſſe quicquam præter corpuſcula ſempiternum, cùm omnia ex his naſci, idque concurſu fortuito, etiam ipſa quibus Divinitatem defert ſimulachra, palam & apertè oſtendit nihil aliud ſe in totâ Philoſophiâ, quam abjectâ omni ex hominum vitâ religione, Atheiſmum, etiam è Naturæ contemplatione ſtabilire voluiſſe: Id quod perfectæ & abſolutæ impietatis ipſum fundum unicumque principium jure diximus.

SECT. XI. Democritum ſecutus eſt Protagoras, quem cum Bajulus erat, victumque vecturâ onerum quærebat, domum abduxit Democritus, ut diſciplinis erudiret. Hic poſtea Athenas profectus; *cum in principio libri ſic poſuiſſet, de Diis neque ut ſint, neque ut non ſint habeo dicere, Athenienſium urbe atque agro eſt exterminatus librique ejus in concione combuſti.* Et jure quidem vapulavit Sophiſta circumforaneus, qui ſolâ novitatis gloriolâ quicquam legibus ſtabilitum improbare affectaverat. Quid enim bajulum hunc ſententiam tam audacem & periculo plenam in apertum proferre moveret, niſi ut apud Phalangarios, alioſque quos è macelli faucibus corrogavit & quibuſcum non ita pridem verſatus eſt, ſolertiæ & ſubtilitatis laudem aſſequeretur? Scilicet Democritus, utcunque de Diis cenſuit, ſuoſque docuit, noluit tamen leviter & ſuâ causâ publicas religiones conturbari, ſatiſque gloriæ reputabat, ſi noverint docti ſibi primùm omnes Religionis fabulas & fraudes ſuboluiſſe. Hic verò inter Cerdones educatus, & repentino typho inflatus, ob gloriam quâ auctus eſt apud Democritum, continere ſe non potuit, quin ſtatim Philoſophorum roſtra conſcenderet, & palam vociferaretur, Scitote, ignarum & credulum hominum genus, non modo vos Bajuli, ſed & vos Philoſophi, Deos, quos tam fidenter eſſe aſſeveratis, utrum ſint an non ſint neminem ſciviſſe aut ſcire poſſe. Et proculdubio non parùm intumuit, neque quid parvi ſe præſtitiſſe cenſuit, cùm non modò hominum vulgus, ſed & ſapientes ignorantiæ & credulitatis arguerit; neque dubitari poteſt, quin ſtatim magnâ mirantium catervâ ſtipatus fuerit, ſicut & infælici hâc noſtrâ ætate experimur, ſicubi exurgat *Grajus Homo* qui eâdem novi-

Laert. in vita.

tatis gloriolâ correptus eadem impietatis dogmata seculo propinet, occurrit repentè discipulorum turma, decretaque tanquam oracula intimis visceribus recondunt, & per Deos immortales jurare ausi sunt esse omnino nullos; atque ità *Religio pedibus subjecta obteritur, nosque exæquat victoria cœlo,* scilicet perditæ & desperatæ conscientiæ homines, cum nihil vehementiùs quàm scelerum vindicem reformident, cujusque Tenebrionis sputum avidè delambunt, ut se, si fieri possit, à tam molestâ & importunâ opinione in integrum restituant. Atque hâc quidem de causâ, ne scil. Juventutem vitiaret, jure in bajulum hunc Philosophum animadvertisse videtur Atheniensis Magistratus, præsertim cùm non modò de Diis Patriis, sed pariter de omni Deorum Naturâ dubitari voluit, neque quicquam est quod ejus gratia obtenderit apud Minucium Fælicem Cæcilius, *illum consultè potius quàm prophanè de divinitate disputare,* cum tam vehementi de omni Numinis suspicione, ita ut tale quicquam sit an non sit prorsus sciri non posse dicat, nihil (inquam) eum in tantâ ambiguitate cavisse perspicuum est nisi colendum non esse. Quippe si usque adeo in incerto fuerit, quidpiam tale existat necne, nulli omnino ne quidem probabili rationi ejusdem cultum inniti confitendum est. At denique de Diis non modò dubitavisse, sed funditus eos sustulisse quis dubitarit, cum quamcunque habuit disciplinam, à Democrito acceperit, qui nihil aliud (id quod paulo ante monuimus) quàm Deum è rerum natura deturbare sudavit.

Diagoræ denique ejusdem Scholæ Auditoris impietas adeò insignis erat, ut demum illius nomen de profanis & perfidis usurparetur; hic quoque ab Atheniensibus pulsus, quod Eleusinia Mysteria nondum ἐπόπταις publicarat, cum lege Atticâ cautum erat, ut qui Mysteria evulgaret capite luat: Unde Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια in diverbium abiit de iis qui secretò de re quâpiam arcanâ tractarunt. Et hinc quidem Æschylus in vitæ discrimen incidisse fertur, quòd in Tragœdiis nonnulla quæ hæc initia spectabant, nimis apertè edixisse videretur. Brevi, nullum sacrilegium quàm mysteria propalare flagitiosius censuerunt, ita ut timuisse fingat Poeta se sub eodem tecto habitare, eodemque navigio vehi, quo socium haberet mysteriorum evulgatorem.

*——Vetabo qui Cereris sacrum*
*Vulgarit arcanæ, sub iisdem*
*Sit trabibus, fragilemque mecum*
*Solvat faselum; sæpe Diespiter*
*Neglectus incesto addidit integrum.*

Hor. [carm. l. 3. od. 2.

Atque ita cum nihil antiquius habuere quàm celare mysteria, nihil mirum est, si tam severè in eum animadverterent, ut talentum unum ei qui Diagoram interfecisset, duo qui vivum adduxisset, pollicerentur. Eâ tamen proscriptione non tam impietatis adversus Numinis Majestatem quàm temeritatis seu potius contemptûs adversus patrias leges postulabatur. At quanquam ex Areopagi sententiâ quid de eo judicare oporteat, prorsus incertum fuerit; an sc. omnem Numinis cultum contempserit, an solummodo in urbis Religionem commiserit, tamen aliunde vehementer suspectum habeo, cum ob alias causas, tum potissimùm quod de eo narret Sextus Empyricus, fuisse prius ad superstitionem religiosum, at cùm injuriâ ab aliquo affectus esset, qui pejeraverat & propterea nihil passus fuerat, eò deductus est ut diceret non esse Deum. Neque hoc satis vindictæ reputabat, nisi alios quoque ab omni Numinis cultu averteret, scilicet vir superbus se à Diis negligi aut saltem minùs delicatè haberi ferre non potuit, & in Providentiam involat, quæ tam indigna sit, ut Diagoram ullo infortunio opprimi patiatur, & cùm tam iniquè se gerant, inquit, aut non patiar ut tales Dii diutiùs imperent, aut non credam esse Deos qui tam malè res administrent: & quidem phreneticâ hujusmodi arrogantiâ laborare omnes Atheismi Magistros semper reperiemus. Quid plura? cum hic quoque nihil Philosophiæ præter Democriti flagitia intellexerit, qui scilicet eum cùm servus esset, mille drachmis emit, ut disciplinis, viz. suis erudiret; neque dubito quin statim se eruditum quendam existimaverit, quod in compitis effutire posset, quì innumerabiles mundi fortuito Atomorum concursu non modò fieri potuissent, sed pro certo facti fuerint. Et hoc quidem fateor Democritum sapienter egisse, quod discipulos elegerit bajulum & servum, cum nemo qui veterum disciplinam (quæ tantam in naturæ ordine vim rationis deprehendit) vel minimum

Adv. Mathem. lib. 8.

minimum deguſtaverat, tam enormes fabulas devorare potuiſſet. At hi nihil intelligentes niſi quod à Magiſtri ore didicerant, quicquam quod ſibi novum oleret, non modò facilè ſed & avidè amplectebantur.

Sect. XII. Quod denique ad Epicurum ſpectat, aliquanto prolixiùs dicendum eſt, cum de illo acriori contentione diſſentiunt Philoſophi. Quem quanquam veteres omnes cujuſcunque conditionis, ſive Ethnici ſive Chriſtiani omnibus diris devovent & tanquam teterrimum & maximè apertum omnis Numinis hoſtem & contemptorem inſectantur; tamen è recentioribus, iiſque non indoctis, tot ubique nactus eſt defenſores, ut vix quiſquam exortus ſit, qui veram & veterem Philoſophiam adornare profitetur, quin omnem ab eo tanti criminis maculam & ſuſpicionem diluere moliatur; ſed ut reliquos haud paucos prætercam, nemo aut acriùs aut uberiùs aut quidem feliciùs ejus Apologiam confecit quàm Petrus Gaſſendus, vir quidem magnus, omnique, ſi quis alius, doctrinâ eruditus, nec tamen eruditione, quam aut judicio, aut candore nobilior. Et tamen tanto animi ardore tamque repetito labore ejus cauſam ſuſcepit, ut viris minùs candidis ſuſpicandi occaſionem præbuiſſe videatur, non tam (ut præ ſe fert) exercitationis gratiâ, quam ex animi affectu eam ſuſcepiſſe; & quidem tanto ingenii acumine tantâque rationis veriſimilitudine illius cauſam tueri viſus eſt, ut diffiteri nequeam, quin mihi quoque olim in Epicuri defenſionem ſcripſiſſe perſuaſerit. At re quidem paulò accuratiùs perpensâ, nullus dubito neminem fuiſſe, qui tam apertum bellum omni religioni indixerit, aut qui majori faſtu & fiduciâ omnem adverſus numen pietatem aſpernatus fuerit. Quo autem illius cauſam certiori judicio expediam, imprimis quicquid excuſationis ejus gratiâ texitur, dicam, deinde merum fucum eſſe oſtendam, hominemque, utcunque ſimulaverit aut potius luſerit, ſoli Atheiſmo ſtuduiſſe.

Imprimis itaque omnem Epicuri infamiam à ſolâ Stoicorum malignitate & odio ortum habuiſſe cauſantur, ſcilicet inter innumeras Philoſophorum ſectas & factiones, quælibet aliam quandam habuit ſibi præ reliquis inimicam, ita ut Peripatetici

tici adverſentur Platonicis, & Cyrenaici Cynicis, ſic & Epicurei Stoicis; Stoicæ autem ſectæ Genius ad ſui ducis (quo nemo acerbior) mores imitandos compoſitus, imprimis ventoſus, petulans, & tetricus fuiſſe perhibetur; proximè nimirum ad Cynicos acceſſerunt Stoici, cum Zeno Stoicorum Princeps è Cynicâ Scholâ exierit; fuit enim Cratetis Cynici auditor, hinc ſocietatem & amicitiam quandam inter has ſectas ſemper fuiſſe memorat Laertius, unde & Satyricus,

Sat. 13.

*Et qui nec Cynicos, nec Stoica dogmata curat*
*A Cynicis tunicâ diſtantia* ——

Et ſane Stoici Cynicismum ad virtutem (i. e. Stoiciſmum) εἰσαγωγὴν eſſe ſtatuebant, τὸν κυνισμὸν (inquit Laertius) εἰρήκασι σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδὸν, Cyniciſmum eſſe dixerunt breviſſimam ad virtutem viam, cùm Epicurus è contra inter κυρίας δόξας poſuerit μὴ κυνιεῖν. Quid quod deinde Epicureis Stoici nimiam irridendi ſui facultatem dederint? quis enim à riſu ſibi temperaret, aut quidem cachinnos inhiberet, cum tam veneranda ſilicernia promiſſaſque barbas intueretur de tricis & affaniis tanto æſtu digladiari, totamque ætatem litibus circa nugas logicas & grammatiſticas impendiſſe? Hinc cùm Epicurus triſtes eorum ineptias carpſerit riſuque exceperit (nihil enim vehementiùs contempſit quàm ridiculam Stoicorum de apicibus & technis dialecticis ſubtilitatem) hinc, inquam, petulantes ſenes eidem infenſi, non modò Epicurea dogmata in pravum ſenſum detorquere ſatagunt, ſed & in ipſum Epicurum omnibus convitiis debacchantur. Et conjuratione inter ſe factâ pactum & præſcriptum eſt eundem omni acerbitate inſectari, & omnis, ſeu jure, ſeu injuriâ, impietatis, flagitiiq; criminari. Nec ſatis ultionis reputabant malevoli calumniatores ſuis duntaxat contumeliis & maledictis hominem divexare, niſi alios omnes ei quoque infenſos redderent, & propterea ſuppoſititias quaſdam Epiſtolas, quibus reliqui ferè omnes Philoſophi fœdiſſimis convitiis perſtringuntur, Epicuri nomine confinxerunt, ut eo dolo in Epicurum ſectarum omnium iram & odium conflarent. Quarum Epiſtolarum à Diotimo Stoico confictarum Laertius fraudem detegit, lib. 10. quas omnes unà cum aliis

Lib. 6.

quibuſ-

quibusdam lascivis, spurias & omnino fictas & soli Diotimo impostori tribuendas esse ostendit, cui tandem tam malè fraus ista cessit, ut cùm à Zenone Epicureo in judicium eâ de re vocaretur, eam capite luere coactus sit. Ut etiam tam populi quàm doctorum odium in eundem conflare possent, duorum præcipuè criminum accusatione obruere conspiravere; imprimis impietatis adversus Deos, vitæ deinde omni luxu & intemperantiâ dissolutæ; Istius, quod omnem Numinis Providentiam abrogaverit; hujus, quod voluptatem summum bonum vitæque beatæ finem esse docuerit. Ad primum autem respondent ejus defensores quòd quanquam in naturæ divinæ descriptione erraverit, quod peccatum commune cum cæteris omnibus Philosophis peccavit, non tamen consultò & malitiâ, sed solâ ignorantiâ lapsum esse, cum satis patescat fontem Epicurei erroris fuisse æquo cautiorem metum, ne quicquam perfectionis à Deo delibetur. Quod enim eum imprimis perduxit, Deorum Providentiam auferre, nihil aliud fuisse constat quam eximiam existimationem, quâ sese imbuisset, de fælicitate & Majestate divinâ, *Quod æternum beatumque est*, inquit, *id nec habere ipsum negotii quicquam, nec exhibere alteri, itaque neque irâ neque gratiâ teneri, quòd quæ talia essent, imbecilla essent omnia.* Sic Lactantius tametsi in Epicurum longe æquo acerbior sit, tametsi iniquè & distortè ejus dogmata referat, & quæ honesta sunt pravâ & violentâ interpretatione vexet, tametsi denique summis viribus probare satagat ex Epicuri sententiâ nullos omnino esse Deos, nihilominus Epicurei erroris caput esse confitetur, *quòd putaret Epicurus à Deo esse alienum malum facere, atque nocere, quod ex Affectu Iracundiæ nascitur; sic enim Epicuri ratiocinatio processit, si Deus mundum gubernet, impiis irascitur, ira tranquillitatem delibat, quicquid tranquillitatem delibat à Dei Beatitate alienum est.* Atque sane nescio plus perfectionis Deo deterat Epicurine opinio an Lactantii, qui Epicurum ita refutat, quasi natura divina suam beatitudinem nullo alio pacto sartam tectam habere posset, nisi se rerum humanarum administratione occuparet. Cum scilicet arguat *Deum à mundi administratione vacare non posse, si vivat aut vigilet. Quietus esse quomodo potest, qui vivit & sentit? Nam quies aut somni res est aut mortis.* Quasi supremum Numen satis beatum

Athen. 13. 9.

N. D. l. 1.

De falsa sap. cap. 17.

De Irâ Dei, c. 3.

De Irâ Dei, cap. 13.

beatum à ſeipſo non foret, niſi mundi adminiſtratione torporem & ſomnum excuteret: Rectiùs longe Epicuri Schola de Naturæ divinæ ſempiternâ & abſolutâ fælicitate ſtatuit, quod ſemper ſuâ *ſapientiâ & virtute gaudeat*, verùm id obiter; & ut pergam, non deſunt qui ſuſpicantur Epicurum ne quid invidiæ aut criminis ſubeat apud populum, Deos quos re ſuſtulit, verbis poſuiſſe; verùm ut præclarè Lactantius ſuſpicioni apud Tullium ſub Cottæ perſonâ motæ reſpondens, non erat tam verſutus Epicurus ut fallendi ſtudio iſta loqueretur, cum hæc etiam ſcriptis ad æternam memoriam conſignaret, ſed ignorantiâ veritatis erravit, indoctus enim à principio veriſimilitudinis unius falſæ ſententiæ, neceſſariò in ea quæ ſequebantur incurrit. Prima ejus ſententia fuit iram Deo non convenire, unoque Affectu amputato etiam cæteros Affectus adimere Deo ipſa neceſſitas cogebat. Si nullus affectus in Deo eſt, quia quicquid afficitur imbecillum eſt, ergo nec cura ullius rei, nec providentia eſt in eo; huc uſque pervenit ſapientis hominis diſputatio. Verùm íſne Deos aſſeruit populi timore, qui ſe nunquam voluit populo placere, quíque adeo apertè populi ſuperſtitionem irridere, non timuit? Annon paris periculi res erat *Martem*, *Jovem*, *Venerem*, *Vulcanum* alioſque id genus fabularum Deos, atque erat omne quodcunque Numen repudiare? Quiſnam igitur ſibi perſuadeat, Epicurum qui prius palam profeſſus eſt, poſterius præ timore ſimulaviſſe? Quid multa? cum vulgo uſque innotuit quàm pio quámque nobili affectu divinam Naturam ſemper coluerit. Dum ſcilicet alii numen non niſi *ſervili animo* venerantur, præmiis, quæ ſui cultoribus pollicitus eſt, inhiantes, hic nullâ ſpe nullo pretio inductus Deum, tanquam Parentem, ob præſtantiſſimam naturam omni cultu atque reverentiâ digniſſimum cenſuit; hinc optimo Numini *filialem cultum* ſummâ cum pietate & inſigni veneratione præ aliis omnibus exhibuiſſe memoriæ proditum eſt; ita ut ineffabilem fuiſſe in eo affectum pietatis vociferetur Laertius. At quidem quàm piè & magnificè de Divinâ Naturâ ſit opinatus, en quam aperto & liberali animo adverſus omnes omnium calumnias ipſe declaraverit: Πρῶτον μὲν, τὸν Θεὸν, ζῶον ἄφθαρτον καὶ μακάριον νομίζων, ὡς ἡ κοινὴ τοῦ Θεοῦ νόησις ὑπεγράφη· μηθὲν μήτε τῆς ἀφθαρσίας ἀλλότριον, μήτε τῆς

μακαριότητος ἀνοίκειον αὐτῷ πρόσαπτε, πᾶν δὲ τὸ φυλάττειν αὐτοῦ δυνάμενον τὴν μετὰ ἀφθαρσίας μακαριότητα, περὶ αὐτὸν δόξαζε. Θεοὶ μὲν γάρ εἰσιν, ἐναργὴς μὲν γάρ ἐστιν αὐτῶν ἡ νόησις, οἵους δ᾽ αὐτοὺς οἱ πολλοὶ νομίζουσιν. Ἀσεβὴς δὲ, οὐχ ὁ τοὺς τῶν πολλῶν Θεοὺς ἀναιρῶν, ἀλλ᾽ ὁ τὰς τῶν πολλῶν δόξας Θεοῖς προσάπτων. Ὀυ γὰρ προλήψεις εἰσὶν, ἀλλ᾽ ὑπολήψεις ψευδεῖς αἱ τῶν πολλῶν ὑπὲρ Θεῶν ἀποφάσεις. *Imprimis Deum animal immortale beatumque esse existimato, quemadmodum notio communis de Deo suggerit, cave igitur ne quidquam quod ab immortalitate alienum sit, aut à beatitudine abhorreat, ipsi attribuas: Omnia vero quæ illius immortalitatie conjunctam beatitudinem servare possunt in eo opinare. Scilicet Dii reverâ sunt (est enim evidens illorum notitia) at quales eos vulgo homines existimant, minimè sunt, non enim eos tales tueri possunt quales existimant, impius est proinde non qui vulgares multitudinis Deos tollit, sed qui multitudinis opiniones Diis accommodat. Non enim germanæ anticipationes sunt, sed suspiciones falsæ ea quæ vulgò de Diis ab hominibus traduntur.* Ubi quàm piè de naturâ divinâ censuerit planè videre licet, simul & quàm apertè impias vulgi de eadem opiniones improbaverit, & proinde eâ quidem pietate fuisse quam vulgus summæ impietatis damnaret, cùm omnia de Diis placita à suis aliena semper impia omnique Religioni contraria reputare soleat. Quantam itaque viro optimo injuriam faceremus, si maledicorum calumniis plus Authoritatis tribueremus quam sibi, cùm bonâ fide sententiam aperire profiteatur?

Sect. XIII. Alterius calumniæ ansam à Voluptatis voce arripuere, quam cum summum bonum vitæque beatæ finem fecerit, fabulæ locum ipse Seneca etiamsi Stoicus fecisse fatetur, quasi solam gulæ & libidinis voluptatem intellexerit; & quoties ab omnibus cujuscunque conditionis hominibus objici legimus Sardanapali luxum, Medicam mollitiem, Ionicas delicias, Siculas mensas, Sybariticas saltationes, Corinthias meretrices, & id genus alia? Innumera omnium ferè Authorum occurrunt testimonia, quibus Epicuro, nihil boni præter corporis voluptatem novisse, exprobratur. Qui tamen disertis verbis, summâ cum cautelâ, & quidem animi ardore se à tam fœdâ sententiâ abhorrere millies profiteatur,

&

& ubique distinctione factâ declaret se voluptatis nomine tum Corporis tum Animi fælicitatem intelligi voluisse, hujusque voluptates istius voluptatibus multò potiores esse. Neque prætereà corporis fælicitatem eâ voluptate quæ in motu sive ipsâ sensuum fruitione consistit, sed ea quæ in stabilitate constituitur, indolentiâ putà & tranquillitate, neque hanc denique luxu aut intemperantiâ, sed tantummodo vitâ frugi & sobriâ obtineri posse. "Ὅταν οὖν λέγωμεν ἡδονὴν τέλος ὑπάρχειν, οὐ τὰς τῶν ἀσώτων ἡδονὰς, καὶ τὰς τῶν ἐν ἀπολαύσει κειμένας λέγομεν, ὥς τινες ἀγνοοῦντες, καὶ οὐχ ὁμολογοῦντες, ἢ κακῶς ἐνδεχόμενοι νομίζουσιν, ἀλλὰ τὸ μήτε ἀλγεῖν κατὰ σῶμα, μήτε ταράττεσθαι κατὰ ψυχήν· οὐ γὰρ πότοι καὶ κῶμοι συνείροντες, οὐδ' ἀπολαύσεις παίδων καὶ γυναικῶν, οὐδ' ἰχθύων καὶ τῶν ἄλλων ὅσα φέρει πολυτελὴς τράπεζα, τὸν ἡδὺν γεννᾷ βίον, ἀλλὰ νήφων λογισμὸς, καὶ τὰς αἰτίας ἐξερευνῶν πάσης αἱρέσεως καὶ φυγῆς, καὶ τὰς δόξας ἐξελαύνων, ἀφ' ὧν πλεῖστος τὰς ψυχὰς καταλαμβάνει θόρυβος. *Quando voluptatem,* inquit, *finem dicimus, non eas voluptates, quæ sunt virorum luxu diffluentium, aut aliorum etiam, quatenus spectantur in ipsâ actione fruendi, quâ nimirum sensus jucundè dulciterque afficitur, intelligimus; veluti quidam rem ignorantes aut à nobis dissentientes, aut alioquin adversus nos male affecti interpretantur, sed illud duntaxat intelligimus non dolere corpore, ac animo non perturbari. Siquidem non compotationes, comessationesque perpetuæ; non ipsa cum pueris mulieribusque consuetudo, non piscium deliciæ, aut quæcunque aliæ mensæ lautioris cupediæ jucundam vitam pariunt; sed quæ cum sobrietate serenoque adeo animo est ratio, causas cur quidque eligendum, fugiendumque sit investigans, ac opiniones abigens, ob quas plurima mentes occupat perturbatio.* Quî clarius, quam voluptatem summum bonum esse putet, declarare potuit? Imo quàm perspicuè, quàm acriter contra omnes calumnias & cavillationes ubique vociferatur, non posse jucundè vivi, nisi sapienter, honestè, justéque vivatur, neque sapienter, honestè, justè, quin vivatur simul jucundè: Adeo proinde ut cui non contingit sapienter, honestè, justè vivere, illi nec jucundè vivere contingat. Et denique ne simulationis suspectum teneamus, quasi adversus sua vitia (quod aliis nonnullis vitio vertitur) maximè facundus esse affectaret, vitæ mores ad disciplinæ normam semper composuit, cum eâ vixerit innocentiâ, eâ so-

Epist. ad Menæc.

brietate eâque temperantiâ, qua fortasse Philosophorum alius nemo vixisse comperiatur. Et tamen tum doctrinæ ratione tum vitæ consuetudine insuper habitis, importuni & impudici homines in ipsum effutire persistunt, quasi nihil aliud quàm fœdam, nefandam & belluinam Philosophiam introducere desudaret. Et quidem Stoicis calumniatoribus ipsum potius Epicurum quam Epicuri dogmata exosum fuisse, eo satis superque evincitur, quòd etiamsi Aristippus, sectæ insignis (Cyrenaicæ scilicet) princeps, disertè docuisset voluptatem corporis, utcunque turpem & lascivam, beatitatem supremam esse, præstantioresque corporis quam animi voluptates, tamen eo penitus omisso omnia convicia in Epicurum exonerârunt, quanquam animi voluptatem non modo plus ad vitam beatam momenti afferre omnibus sensuum oblectamentis, sed & iis mille gradibus anteponendam esse ad ravim usque clamaverit, & clamet; non curant malevoli, sed cùm hominem oderunt, quem alioqui redarguere non possent, fortiter calumniari pergendum est. Et quanquam magni & docti quidam viri, quales sunt *Tullius*, *Plutarchus*, & *Seneca* nonnunquam similiter de *Epicuro* locuti esse videantur, tamen non ex rei veritate, sed ex vulgari opinione in ejus opprobrium scripserunt, quippe cum Author obscenæ & turpis voluptatis vulgò ob Stoicorum calumnias, quæ plurimùm apud populum valerent, haberetur; non tam operæ pretium duxerunt istam populi de uno homine opinionem tollere, quam eorum captui se accommodantes, dogmata, quæ propter Epicuri nomen nefanda habebantur magis exosa reddere se putabant, si tam turpis Authoris nomine, graviori infamiâ exaggerare potuissent.

Sect. XIV. His autem singulis ut accuratè respondeam, & liberaliter quoque agam; Imprimis quantum volunt calumniarum tribuam Stoicorum malignitati; etenim novi hominum mores, quantoque odio in Epicurum aliosque omnes flagrârunt, si qui illorum barbas & supercilia contempserint. Detur itaque Diogeni Laertio non omnia Epicuri esse quæ vulgò Epicuro imputantur, multosque libros & impios & lascivos illius nomine Stoicorum malitiâ fuisse confictos, atque adeo dogmata & decreta ipsi affingi potuisse, de quibus fortasse

tasse nullam usquam mentionem fecerit. Atqui tamen eo quod spuria nonnulla illi supposita fuerint, idcirco quicquid in ejus libris reperiatur (si minus defendi possit) omnino confictum esse dicere licebit? præsertim cum nulla hujusmodi scripta proferunt nisi quinquaginta Epistolas à Diotimo confictas, cujus fraus & impostura (cum ipse pœnas dederit) statim detecta fuit. At neminem novi, qui ex supposititiis istis Epicurum criminaretur; sed quotquot illum accusârunt, ad libros de quibus nequaquam dubitatur semper provocant, suisque ipsius verbis turpes ejus sententias proferunt. Et ne omnes accenseamus, quid ad Ciceronem & Plutarchum qui Epicureis ipsa Epicuri dicta passim exprobrant, dicendum est? *Quid tergiversamur Epicure,* (inquit Cicero) *nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, cum os perfricuisti, soles dicere? sunt hæc tua verba necne? In eo quidem libro, qui continet omnem disciplinam tuam (fungar enim jam interpretis munere, ne quis me putet fingere) dicis hæc: Nec equidem habeo, quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quæ sapore percipiuntur; detrahens eas etiam quæ auditu & cantibus; detrahens eas etiam quæ ex formis percipiuntur oculis, suaves motiones, sive quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet è sensu, nec vero ita dici potest, mentis lætitiam solam esse in bonis; lætantem enim mentem ita novi, spe eorum omnium quæ supra dixi, fore ut natura iis potiens dolore careat. Atque hæc quidem his verbis, quivis ut intelligat, quam voluptatem norit Epicurus.* Et paulo post, *Non verbo solùm posuit voluptatem, sed explanavit quid diceret, saporem* (*inquit*) *& corporum complexum, & ludos atque cantus, & formas eas, quibus oculi jucundè moveantur. Num fingo? num mentior? cupio refelli: quid enim laboro, nisi ut veritas in omni quæstione explicetur?* Et denique in libro primo de naturâ Deorum sub Cottæ personâ ad Velleium, *Quousque ludis* (inquit) *nam Philo etiam noster ferre non poterat aspernari Epicureos molles & delicatas voluptates; summâ enim memoriâ pronunciabat plurimas Epicuri sententias, iis ipsis verbis, quibus erant scriptæ, Metrodori verò qui est Epicuri collega sapientiæ, multa impudentiora recitabat. Accusat enim Timocratem fratrem suum Metrodorus, quod dubitet omnia, quæ ad beatam vitam pertineant, ventre metiri; neque id semel dicit*

Tusc. quæst. lib. 3.

*sed sæpius, Annuere te video, nota enim tibi sunt, proferrem libros si negares.* Quid quod deinceps Plutarchus Epicuro exprobret quod disertis verbis asseruerit, *Esse summum bonum circa ventrem, omnesque alios carnis meatus per quos se voluptas, non dolor insinuat, ac omnia præclara sapienterque inventa ad voluptatem, quæ circa ventrem, bonamque de eâ non desiturâ spem pertinere?* Quid quod Metrodoro hæc verba objiciat? *Quam gaudens fidensque evasi, quod ventri ritè gratificari ab Epicuro didici?* Et rursum, *Nihil attinet ô Timocrates, Græcos servare & sapientiæ ergò coronas ab iis reportare; sed comedere ac potare vinum, quantum & non noceat, & gratum sit ventri.* Quid denique quod toti contubernio objiciat, *Non cedere eos porcis ovibusque fælicitatem; dum nimirum statuunt ad fælicitatem id sufficere, ut & carni & animæ circa carnem occupatæ bene sit?*

Adversum Col.

Ibid.

Non posse suaviter vivi sec. Epic.

Iis qui talia scribere non erubescunt (ne alia innumera accumulem) non opus est commentis & calumniis infamiam creare; atque si quid Stoici in eorum injuriam finxerunt, tamen nihil turpius comminisci poterant, quàm quod de se ipsi palam testantur. Quid itaque testium tam celebrium tamque omni fide dignissimorum auctoritati opponemus? An Cicero & Plutarchus Stoicorum exemplo mentiuntur? An meris calumniis in tam iniquam de viro optimo censuram se duci patiuntur? Nihil viris tam probis tamque doctis magis alienum. Neque enim quicquam Authoritatis aliorum testimoniis deferunt, nihilque nisi ex suis ipsorum scriptis attulerunt. An spuria & commentitia sunt ista omnia? non dicendum est. Cur enim si ficta sint, nemo antehac fraudem detexerit? præsertim Epicurei, cùm sibi toties & penè ad contumeliam obscænas Magistri sententias exprobrari audiverant, aut si omnino detexerant, non credo Ciceronem aut Plutarchum adeo os perfricare potuisse ut postea tam fidenter sua ipsi verba exprobrare instarent. *Num fingo?* (inquit Cicero) *num mentior? cupio refelli*, & alibi *nota hæc tibi sunt; proferrem libros si negares.* At nemo quidem in hunc usque diem aut negavit, aut negare potuit; nisi quod Diogenes Laertius locum unum è libro de fine citatum interpolari dixerit. Et sit sane, atqui tamen dempto isto, satis superque testimonii relinquitur in mille aliis quæ supersunt,

ſunt, quæque nemo uſquam in ſuſpicionem revocare potuit.

SECT. XV. Sed & de iſto quoque loco paululùm inquiramus, cur quod germanum credidere Cicero & Plutarchus nos interpolatum crederemus? Aut unde iſtam fraudem quæ ſuperioribus omnibus impoſuerat, detexit Laertius? Num alia librorum exemplaria protulit quam quibus uſi ſunt egregii iſti viri? Num antiquioris cujuſpiam ſcriptoris autoritate aut ſuſpectum aut ſuppoſititium eſſe comprobavit? Nihil horum: ſed vir mediocris judicii, & Epicureæ ſectæ immodicè addictus, quicquid Epicuri laudibus aliquid detereret eâ ſolum de cauſâ omninò tollendum eſſe voluit. Atque adeo tum iſtum locum tum alia ſimilia nullâ auctoritate, ſed ſolâ hominis probitate depellit. Verùm de moribus poſtea, interim qualeſcunque fuerint, librorum fidei eorum cauſâ detrahere non oportet, cum fieri poſſit ut vir improbus ſobriè & moderatè vivere cogatur; id quod de Epicuro ſuſpicari licet, cum infirmâ admodum valetudine ſemper uſus fuerit, utcunque igitur vixerit, non è vitâ ſed è libris, quid ſcripſit, petendum eſt; atque adeo Diogenis cenſura Epicurum talia non ſcripſiſſe nullius momenti habenda eſt, cum nullâ veriſimiliori ratione ſuffulciatur quam virum tam probum tam improba ſcribere non potuiſſe. At iſto pacto quicquid è quoquo ſcriptore ad libitum licebit delere, librorum itaque fides tam vanis conjecturis nullo modo labefactanda eſt. Et niſi aut antiquiora exemplaria aut teſtimonia quæ opponeret, habuiſſet, ſuam libris auctoritatem illibatam conſtare oportet, cum alioqui omnis omnibus antiquorum ſcriptis & monumentis fides funditus tollatur. Neque quidem eâ quâ oportebat ſimplicitate nobiſcum egit Laertius; etenim cum longâ criminationum ſeriem recenſuerat, eamque maledicentiæ accuſatione erga antiquiores omnes clauſerat, tandem ambiguè ſatis quid ipſe cenſuerit, uno verbo pronuntiat, μεμήνασι δ' οὗτοι, *verùm iſti quidem inſaniunt.* At quinam ſunt iſti? An omnes qui quippiam Epicuro objiciunt? an poſtremi qui maledicentiam? an denique qui argumenta aut impietatis aut intemperantiæ aut malevolentiæ inde deſumunt? Si prius, negat quod refellere

fellere debet; si posterius, ludit, nihilque ad hunc locum excipit, interpolatus sit necne; si postremum, transit à testimonio ad argumentum, neque inficias it vera esse testimonia, sed improbitatis argumenta ex iis desumi negat: Utcunque sit, hoc certum est non majoris esse ponderis Laertii hâc in re, quam recentioris cujusque auctoritatem, nisi antiquiorum quoque auctoritate suffulciatur. Cùm autem iis non modo prorsus destituta sit, sed omnino repugnet, satis constat eum pro nimio in Epicurum affectu temerè & nimis fidenter quicquam in illius defensionem dicere velle. Quæ dicta velim ut licentiæ quam sibi sumunt Epicuri defensores obicem ponamus; ne scilicet quoniam fictæ quædam Epistolæ contumeliæ & obscænitatis plenæ illi supponuntur, idcircò si quicquam simile in genuinis ejusdem scriptis occurrat, eâ duntaxat de causâ similis fraudis suspicemur. Et quidem si id quoque concedamus (& si placeat concedimus) tamen quicquid calumniæ Stoicos ipsi affinxisse obtenditur, ipsius principiis suorumque Apologiis jure objici oportere demonstrabimus. Quod duobus, quæ superius dicta sunt, capitibus jam probare aggredimur. Imprimis eum nullos agnovisse Deos, nullumque Deorum cultum: deinde nullam voluptatem nisi corpoream & belluinam ad vitam beatam præscripsisse. Primum, sive rationes, quibus eorum existentiam probaverit; sive descriptiones quibus eorum naturam delineaverit.

Sect. XVI. Circa prius, neque quicquam tam cordi habuit, neque cuiquam tantam operam dedit quàm ut solidiora quæque sapientum ratiocinia funditùs elevaret, nullaque argumenta nisi à populi præjudiciis desumpta, quæ ipse cum primis contempsit, afferret. Quippe cùm è solertissimâ mundi omniumque ejus partium dispositione perspicuum sit quendam fuisse opificem, qui omnia præstantissimâ arte construxerit; nihil minùs ille ad tanti opificii constructionem adhiberi voluit, sed commentis quibuscunque usus est; quibus, eo secluso, rerum naturam eum, quo constat ordine, adipisci posse explicaret. Quo solo conatu quem ad scopum collimare voluit, nimis apertè ostendit; cum nullo alio consilio id agere potuit, nisi ut omnem de Numinis

nis existentiâ certitudinem omnino tolleret; quâ sublatâ, quid superest nisi populi opinio? Atqui superesse, & satis esse dixit; dixit quidem, quis verò populum insolentiùs quàm ipse Epicurus contempsit? Annon disertissimè omnes multitudinis opiniones de Diis tanquam falsas suspiciones aspernari suos monuit? Verùm ista levia sunt, cùm nihil sit Epicuro familiarius quàm ipsum sibi contradicere, quanquam tam crassa & perspicua secum dissensio in homine non prorsus fatuo, quid reverâ velit nimis apertè prodit, sc. cum Deos esse nollet, neque argumenta quibus esse probari posset, populo tamen, quem timeret, tantum deferre se simulavit, ut solâ illorum opinione victus Deos esse crederet. Quanquam interim inter privatos parietes nihil aut sæpiùs aut vehementiùs discipulis dictitaret, quàm ne cum populo sentirent, cùm multitudinis sit semper & in omnibus, præsertim de Diis, & decipi & decipere.

Atqui unde ista tam firma omnium de Diis notio & consensio? Ab anticipatione, inquit. At nullam anticipationem novit Epicurus nisi quæ extrorsùm adveniat, mentique sensuum ministerio imprimatur; scil. cum quicquam vidimus, illius effigiem aut monumentum memoriâ tenemus, ad quam respicientes quoties eadem res rursùm occurrit, ejusdem anticipationem seu prænotionem habere dicimur. At verò quî aut quando aut cui mortalium (si Epicuro fides) apparuere Deorum numina? Cùm innumerabilibus stadiis intra proprios cancellos incarcerati longè ab omni hujus mundi commercio amoveantur; adeò ut prohibeat tum loci distantia tum murorum crassitudo, quo minùs ad sensus nostros quævis ab iis simulachra perveniant. Quanquam si propiùs admoti forent, adeò tenues sunt eorum naturæ, cùm sint *quasi corpora*, nihilque concreti aut solidi habentia, ut si huc usq; pervenirent eorum simulachra, sensus tamen nostros ferire nequaquam possent, cum illos nihil moveat aut afficiat nisi quod corpoream crassitudinem habeat. Neque verò si quicquam soliditatis haberent, quoquo modo percipi aut sentiri possent, cum secundum Epicuri decreta, omnis sensatio quibusdam corpusculis peragatur, quæ à sensibili effluentiâ tandem sensorium pulsent; atqui si talia effluvia è divinâ substantiâ avolarent, actum de illius æternitate foret, cum per-

 petuâ

petuâ partium detractione exhauriri, & tandem penitus interire necesse esset. Novi equidem Epicurum tantopere sui, suorúmque Dogmatum amore occæcatum esse, ut vix quicquam aut nihil præterea videat, tamen adeo oculis captus fuisse non potuit, quin tam obvia & perspicua clarè intueretur; & tamen quod concedere non possit homo superbus, ei pergit impudenter resistere. Duplici ratione (inquit) gignitur anticipatio, vel *comprehensione*, cum simplex rei species, quæ in sensum incidit, mente teneatur; vel *comparatione*, ad quam ratiocinatio requiritur, cum ex specie conceptâ mens aliquid inferre pergat, quâ ratione Deos cerni declarat. At cum omnis anticipatio per comparationem intellectûs ex eâ nascatur quæ per sensuum comprehensionem fiat, si Dii sensibus non percipiantur, nullâ aliâ ratione ad mentis contemplationem pervenire possent. Ludit itaque (ut semper) Epicurus cum notitiam Dei ratione percipi vult, cúmque nihil ratione percipi posse vult, nisi quod prius aliquo sensuum percipiatur. Neque quidem fæliciùs rem expediit Gassendus, cum eam excusare & explicare aggressus fuerit; anticipationem nimirum de Deo duplici potissimùm sensûs ministerio, auditûs scilicet ac visûs induci: Auditûs, quatenus quopiam describente pronunciantéque esse Deum, is qui audit, format conceptum in mente prout describi Deum percipit, & assentitur pronuncianti quem fide dignum arbitratur: Visûs, etiam, quatenus nullo monente potest mens, ex iis quæ sunt per visum comprehensa, conceptum de Deo formare, seu tanquam Principe, quo non possit magis mundus quàm respublica carere; seu tanquam Imperatore, quo ut exercitus sic mundus indigeat; seu tanquam Gubernatore, qui mundum, velut navim regat; seu tanquam Chorago, qui partes mundi ut chori moderetur, juxta prænotionem quâ præjudicatum habet, non esse ordinem sine ordinante.

Phys. sect. 1. lib. 4. c. 2.

At quam infelix labor est res excusare, quæ excusari nolunt. Cum posteriori anticipatione quam ex visu haberi voluit, ipsi Epicuro in os contradixerit, qui scilicet id imprimis in omni Philosophiâ laboravit, hunc quem videmus ordinem sine ordinante esse posse; Deíque notitiam è mundi contemplatione deduci non posse. Priori eodem quo prius

devol-

devolvitur rei probatio, ſcilicet in populi rumorem, quem tamen Epicurus præ aliis omnibus aſpernatus eſt, atque inſigni iſto loco in Epiſtolâ ad Menœceum germanas de Diis prænotiones falſis multitudinis ſuſpicionibus ſemper opponi voluit; at parvi eſt ſibi Epicurum contradicere, majoris eſt plerunque nihil dicere. Sic enim ſi rurſus ab eo percontemur unde iſta tam firma hominum omnium de iis conſenſio? ab anticipatione, inquit. At unde iſta anticipatio? eam ab hominum conſenſu ortum habuiſſe prius definiverat. Neque fæliciùs rem explicare potuit Gaſſendus, cum communem de Diis opinionem ab anticipatione deduceret, & viciſſim anticipationem à communi opinione. At ut omni candore cùm tam eximii candoris viro agam; detur Gaſſendo Epicurum à majorum traditione, Dei notitiam accipere potuiſſe; atqui quid profuit ſi noluit? ſiquidem nullum omnino Deorum cum hominibus eſſe aut uſquam fuiſſe commercium expreſsè docuerit. Quî itaque anticipationem ſeu notitiam de Deo quoquo modo habere potuiſſet ex auditu, cum ea nec ortum habeat à proprio ſenſu nec ab alieno; neque enim ſiquis ſe Deum quovis ſenſuum percepiſſe dixerit, fide dignum arbitraretur, ſed potiùs aut impoſturæ aut delirii accuſaret, cum ea anticipatione præoccupatus ſit, nihil minùs fieri poſſe quàm Deos quicquam cum hominibus communionis habere? Dicet fortaſſe Gaſſendus à primis generis humani Parentibus primùm traditum eſſe Cœli & Terræ conditorem, atque anticipationem ab eâ traditione omni fide dignâ ortum duxiſſe. At pro ſe dicat, non pro Epicuro; cum ipſe fidentiùs nihil quam omnem mundi opificem aſpernatus fuerit; omniáque (Numine ſecluſo) caſu & fortunâ tum fieri poſſe tum facta fuiſſe imprimis decreverit; atque adeò qui proximi ad rerum initium vixerunt, non aliâ ratione ad Dei notitiam pervenire poſſent, quàm qui poſtea, quique hodiè; adeò perſpicuum eſt ex Epicuri effatis tum nullam omnino anticipationem ad mentem niſi per ſenſus permeare, tum nullam de Deo per ſenſus tranſire poſſe, quòd perinde eſt ac ſi ſimpliciter & apertè quamlibet de eo notitiam haberi poſſe negaverat.

SECT. XVII. At denique si interiùs & propiùs accesserimus, post has omnes de anticipationum principio & criterio captiones, eas tandem neque à sensibus neque à ratione, sed solis ab insomniis ortas fuisse docuit, id quod disertè de eo testatur ipse Diogenes Laertius, cum ratarum sententiarum primæ proximè subjungit. Ἐν ἄλλοις δέ φησι τοὺς Θεοὺς λόγῳ θεωρητοὺς, οὐ μὲν κατ' ἀριθμὸν ὑφεστῶτας. ὡς δὲ κατὰ ὁμοιοείδειαν (ἐκ τῆς συνεχοῦς ἐπιρρύσεως τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτετελεσμένων) ἀνθρωποειδεῖς. *Aliis vero in locis aut Deos menti apparere nullo numero aut soliditate consistentes, sed similitudine quasi homini-formes propter affluxum continentem imaginum ad exhibendam menti nostræ talem naturam comparatarum.* Quibus apertissimè homines in Deorum conceptum nullâ aliâ ratione venisse declaratum est, nisi innumerabilium phantasmatum & imaginum hominibus similium affluxu, quæ animis nostris apparere videntur. Id quod clariùs & uberiùs ad mentem Epicuri expressit Lucretius. Lib. 5.

*Nunc quæ causa Deûm per magnas Numina gentes*
*Pervulgarit: & ararum compleverit urbes:*
*Suscipiendaque curârit solemnia sacra*
*Quæ nunc in magnis florent sacra rebu' locisque:*
*Unde etiam nunc est mortalibus insitus horror.*
*Qui delubra Deûm nova toto suscitat Orbi*
*Terrarum: & festis cogit celebrare diebus:*
*Non ita difficile est rationem reddere verbis.*
*Quippe etenim jam tum divûm mortalia secla*
*Egregias animo facies vigilante videbant:*
*Et magis in somnis mirando corporis auctu.*
*His igitur sensum tribuebant propterea, quod*
*Membra movere videbantur: vocesque superbas*
*Mittere pro facie præclarâ, & viribus amplis.*
*Æternámque dabant vitam; quia semper eorum*
*Suppeditabatur facies: & forma manebat.*
*Et tamen omnino quòd tantis viribus auctos,*
*Non temerè ullâ vi convinci posse putabant.*
*Fortunisque ideo longè præstare putabant,*
*Quod mortis timor haud quenquam vexaret eorum:*

Et

> *Et simul in somnis quia multa, & mira videbant*
> *Efficere: & nullum capere ipsos inde laborem.*

Quî apertiùs indicare potuerit quàm ex ingentibus quibusdam imaginibus & speciatim variis ac fortuitis noctis insomniis hominum sese decipientium animis opinionem de Diis primùm irrepsisse, quibus intelligentiæ, immortalitatis, & beatitudinis attributa affinxere? Juxta quod de Epicuro tradit Empiricus, Ἐπίκουρος δὲ ἐκ τῶν κατὰ τοὺς ὕπνους φαντασιῶν οὕτως ἀνθρώπους ἔννοιαν ἐσπακέναι Θεοῦ. Μεγάλων γὰρ εἰδώλων, φησὶ, καὶ ἀνθρωπομόρφων κατὰ τοὺς ὕπνους προσπιπτόντων ὑπέλαβον, καὶ κατ' ἀλήθειαν ὑπάρχειν τινὰς τοιούτους Θεοὺς ἀνθρωπομόρφους. *Epicurus homines ex somniorum visis hausisse Dei notitiam censet, magnis enim, inquit, & humanâ forma imaginibus per somnium incurrentibus, existimârunt esse reverâ aliquos hujuscemodi Deos humanâ formâ præditos.* Unde & Plutarchus quoque de Epicureis, *Si quid sit* (inquit) *in omni Philosophiâ risu dignum, rideantur istæ imagines mutæ, cæcæ, inanimæ, quas illi nescio ubi permanere aiunt, & infinitos annorum circulos conficere, apparendo, passimque aberrando; cum aliæ à vivis, aliæ à pridem crematis, aut etiam putredine desumptis corporibus defluxerint.* Quod denique (ne plura congeram) accuratissimè omnium describit Velleius Epicureus. *Eam esse vim & naturam Deorum, ut primùm non sensu, sed mente cernatur; nec soliditate quâdam, nec ad numerum, ut ea, quæ ille propter firmitatem,* στερέμνια *appellat; sed imaginibus similitudine & transitione perceptis, cum infinita simillimarum imaginum species ex innumerabilibus individuis existat; & ad eos affluat cum maximis voluptatibus. In eas imagines mentem intentam infixamque nostram intelligentiam capere quæ sit & beata natura & æterna.* Post tot ac tam clara testimonia nequaquam opus est rem exaggerare; cùm nihil magis perspicuum esse possit quàm Epicuri scholam, omnem de Diis notionem eodem casu, quo nascuntur insomnia, nasci credidisse, scilicet tenuibus quibusdam exuviis quæ continuo effluxu è corporibus humanis avolantes & ubique ingenti numero occurrentes, si quando hominum phantasiis occurrant, imagines præsertim in somnis sibi simillimas gignunt, atque his phantasmatis, cum realia & extrorsùm existentia censeant, Deorum naturam.

De Orac. def.

1. de N. D.



turam.

turam tribuunt. Magnum quidem Numinis argumentum! quod homines per in somnia quæ & inania sunt & haberi debent tale aliquid, videre videantur. Eo tandem certitudinis devenit omnis Epicureorum de Diis anticipatio.

Sect. XVIII. Ita quidem evenit, neque aliter in disputatione de Diis evenire potuit; etenim cum ubique in quâque Philosophiæ parte ita ratas sententias seu prima principia instituerat, ut omnem Deorum tum naturam tum notitiam labefactaret; cúmque id quod imprimis voluit sibi objici videret, omnem scilicet religionem tolli, quî fieri potuit quin innumerabilibus ubique contradictionum nodis sese implicaret; cum ea ipsa principia, quæ nullâ aliâ ratione nisi ut tollatur omnis Deorum cultus, adhibuit; quâ ratione eidem non modo conciliari, sed & inservire possent tueri in se susciperet. Ita cum in illo cœlesti (ut loquitur Velleius) de regulâ & judicio volumine inter primos Canones posuerat, omnem quæ in mente est anticipationem seu prænotionem ortum habere à sensibus, idque ut omnis Naturæ, cujus idea per sensum transire non potuit, notitiam tolleret. Hinc statim quisque vidit nullam de Deo notitiam haberi posse, vidit & Epicurus, sed fateri noluit, atque adeo aliam anticipationem rationis auxilio procreatam inducere præ se tulit, quâ in Numinis notitiam tandem deveniatur, quam tamen ita explanavit, ut nullam ejusmodi, nisi quæ à sensibus ortum duceret, esse velit. Ita vanâ & futili distinctione populo os obstruxisse se putat, quanquam apertè & disertis verbis nullam Deorum notitiam haberi doceat, nisi per insomnia. Ita etiam cùm in Physicis primum principium esse voluit, nihil aut esse aut esse posse nisi quod corpus sit, hoc est, ex atomis conflatum; quis statim non vidit inde sequi Deos non esse? Attamen quàm facile vir acutus, dicendo, esse Deos & esse *quasi corpora*, omnem reprehensionem effugisse se sibi placuit; quanquam si prior sententia *pro ratâ* habeatur, id *quasi corpus*, quicquid sit, aut corpus aut nihil sit necesse est. At de hoc paulo post fusiús. Et denique cum in morali Philosophia maximè ratarum sententiarum primam posuit, "Quod "beatum æternumque est, id nec habere ipsum negotii quic-"quam, nec exhibere alteri. Itaque nec irâ neque gratiâ teneri,

"teneri, quòd quæ talia ſunt, imbecilla ſint omnia. Quæ cùm manifeſtè cum Providentiâ divinâ pugnare videantur, quâ ſublatâ nulla cultûs divini ratio ſupereſſe poſſit; ſi enim nihil vitæ hominum tribuere aut poſſint aut velint, quorſum eſt quicquam ab iis impetrare? ſique preces non exaudiant, quorſum eſt preces adhibere? Perſpicua ſatis eſt ratiocinatio, ſed ejuſdem vim ſatis ſe effugiſſe putat, ſi Deo nihilominus ob præſtantiſſimam ſui naturam cultum tribuamus, etſi nec ipſe Deus animadvertat, nec nos quicquam commodi inde expectemus; atqui religio quæ nullum fructum nec Deo nec homini afferat, res prorsûs inutilis & otioſa ſit neceſſe eſt.

Atque eâdem impudentiâ ſe ubique & in omni quæſtione geſſit, quaſi reliquum hominum genus nil niſi fungos & ſtipites fuiſſe cenſeret, quorum hebetudini quicquid velit imponere potuiſſet; quod ut uberiùs conſtet proximè ad deſcriptiones, quibus Deorum naturam delineavit pergendum eſt; cum ejuſmodi ſint quas attulit, ut palam fiat nullos eum omnino Deos eſſe credidiſſe, ſed ſolùm credere impudenter ſimulaviſſe.

SECT. XIX. Etenim ſi Dii ſint, imprimis quærendum eſt an ſint corporis expertes? at nihil tale præter inane in rerum naturâ eſſe poſſe voluit Epicurus. An Corporei? nequaquam, inquit; quicquid enim Corpus eſt, ex atomis conſtat, & proinde mortale eſt: At ſi nec corpus Deus ſit nec corporis expers, quid eſſe poſſit? Neutrum eſt, inquit. Quid igitur, inquam, rurſus nihil eſt? Nullo modo, inquit, ſed *quaſi corpus* habendus eſt. At riſit proculdubio facetus homo tam facile humano generi illudi potuiſſe; quid enim ſit *quaſi corpus* nec ipſe intellexit, nec ut quiſquam alius intelligat curavit. Cùm verba quæcunque dare ſatis habuit, an verò aut quicquam aut nihil ſignificent ſibi perinde foret, immò idcircò uſus eſt, quod nihil omnino iis ſubjici crediderit, cum per totam diſciplinam id imprimis voluit, nihil in rerum naturâ aut eſſe aut eſſe poſſe, niſi quod corpus fuerit; omneque corpus ex atomis conflari, atque adeo quod corpus non ſit, neque proinde ex atomis conſtans, nihil omnino eſſe neceſſe eſt. Ità cùm temerè & oſcitanter dictata

ſua-

ſua effudiſſet homo imperitus, quicquam effutire mallet quam reprehenſioni ſuccumbere. Et cum ſtatim objici audiret, ſi quicquid ſit, corpus ſit, Deos quoque corpora eſſe; ſi corpora, ex atomis conſtare; quicquid ex atomis conſtat, aliquando natum eſſe; quod natum interire poſſe; ergo Dii nec æterni nec beati; non æterni, cùm ortum habuerint; non beati, cùm ſatis exploratum non habeant ſe ſemper fore in ſuis voluptatibus, quod ipſe Epicurus primum vitæ beatæ fundum poſuit. Huic tam perſpicuo ratiocinio vir effrons, cum nec reſpondere novit, nec concedere voluit, tam levi & fatuâ argutiolâ ſatis feciſſe ſe cenſuit, ita ut cùm *quaſi corpus* eſſe dixerit, omnem reprehenſionem callidiſſimè effugiſſe ſibi plaudat, etſi nemo niſi ipſe Epicurus (nec tamen ipſe) tam obtuſus reperiatur, qui non videat id ipſum *quaſi corpus* ex ipſius decretis aut corpus eſſe aut nihil, cùm nihil quod corpus non ſit in rerum naturâ eſſe vellet, atque igitur utcunque Dii ſint *quaſi corpora,* niſi quoque corpora ſint, nulli ſunt. Et pari quidem modo vir indoctus in omni Philoſophiæ parte miſerè rideri ſe fecit; cum ſcilicet animum primùm ad rerum contemplationem applicuerit, nihil magis cordi habuit, quam aliquid in re quâque innovare, ut ipſe quoque tandem ſui nominis ſectæ pater evaderet, & proinde priuſquam quid alii cenſuerint, mediocriter intellexit, ſua deliramenta, quæcunque in mentem venerant, audacter effutiit; quæ cum alii manifeſtæ ignorantiæ redarguerint, noluit concedere, ſed ut quoquo modo defenderet quod ſemel dixerat, ſe ſemper in graviora præcipitia immittere perrexit. Atque ita cum ſemel atomos dixerat innatâ gravitate directò deorſum ferri, & cum poſtea objectum audierat eo pacto coire, aut cohærere non potuiſſe, nec erubuit nec ſententiam miſit, ſed ſolum addidit declinare paululum; quanquam declinationis non modo nullam cauſam deprehendere potuit, ſed & eam contra vim Naturæ quam prius ipſe poſuerat, induxit. Quippe ſi innato pondere directò deorſum ferantur, quis ſanè non videt id omninò obſtare quo minus quoquo modo declinare poſſint. Atque adeò tandem eò impudentiæ ſeu ſtuporis devenit, ut cum argumentis premeretur, negare non timuit duarum propoſitionum quæ ſibi invi-

invicem contradicant, alteram eſſe veram. Quid non diceret frons perfricta potiuſquam ignorantiam confiteretur? Atque eodem quidem modo in decretis de Deorum naturâ ſe geſſit, ſcilicet ſtatuerat imprimis omne quod eſt aut eſſe poteſt, corpus eſſe; quod cum tueri ſe non poſſe videret, ſolum addit aliquid quoque eſſe quod non ſit corpus ſed *quaſi corpus*, quod ſi quicquam reverâ ſit, radicitùs evertit primum Epicureæ Philoſophiæ effatum; quod ſi non evertatur, *quaſi corpus* nihil eſt, & proinde cùm Deum quaſi corpus eſſe dixerit, planè nihil eſſe dixit. Atque id quidem voluiſſe, quanquam apertè effari non auderet, non modò è primis in omni diſciplinâ decretis liquet, ſed multò magis è formâ hujus *quaſi corporis*, quâ naturam divinam deſcribi voluit. Humanâ enim vult eſſe, at quis intelligit quicquam eſſe poſſe quod figuram & lineamenta totúmque corporis humani apparatum habeat, quod tamen ipſum corpus non fuerit? Perdita ſunt deliria, & nemo quidem uſque adeo vecors qui ex animo tam futilia commenta ſibi credere perſuadeat; neque quidem ipſe Graius homo eò deſipientiæ devenire potuit, ut ſibi ſeriò perſuadere poſſit. Miror itaque hominis impudentiam, cùm antiquiores omnes Philoſophos tanto faſtu conculcaverit, ſeſéque primum eſſe, qui veram ſapientiam invenit, gloriaretur; à ſe impetrare potuiſſe tam frigidis argutiis tam elato animo geſtire. Magis autem mirabimur, ſi paululum advertamus quibus ratiociniis inductus humanam eſſe Deorum formam aſſeruerit; quod ſcilicet hominum mentibus, cum de Deo cogitaverint, nulla alia occurrat; at novit (ſi quicquam noverit) talem Numinis Ideam non ſapientibus, ſed ſoli imperitorum vulgo occurriſſe: quibus uſu venerat nullos alios adorare Deos, niſi qui olim mortalitate functi in Deorum numerum relati eſſent: Qualibus Diis nemo vehementiùs quàm ipſe Epicurus renunciavit. Quid quod denique iis hominum formas ita affinxerit, ut quidem ſi quicquam ſint, eas habere nequaquam potuiſſent? cum membra habere ſine membrorum uſu voluit; ſi linguam habeant, non loquuntur; ſi palatum, non guſtant; ſi pedes, non ambulant; ſi pulmones, non reſpirant; & ne de cæteris loquar, ſi habeant, omnino fruſtra habent; & tamen ſi hominum ſimiles exiſtunt, habere neceſ-

ſe eſt. At cùm denique ut has reprehenſiones effugiat (maluit enim millies ineptire quàm veritatem ſemel confiteri) Deorum ſpecies voluit exteriora hominum lineamenta non interiora viſcera repræſentare, iis non hominum ſed cutis humanæ figuram conceſſit, at qualis iſta Deorum natura eſt, quæ cùm nec corporea nec incorporea ſit, nihilq; ſolidi habeat, certè adeo tenuis, macilenta, & umbratilis ſit neceſſe eſt, ut reverâ nihil ſit; ſi enim corpus ſit, ſolidum eſſet, ſi corpus non ſit, aut incorporeum aut nihil eſſet; & proinde cùm nullam naturam, quæ prorſus incorporea ſit, admiſerit, cúmque Deorum naturam omni ſoliditate vacuam eſſe contenderit, & cùm poſtremò quicquid incorporeum non ſit, ſi omnino ſit, concretum & ſolidum ſit neceſſe eſt, quid ſequitur niſi Deos, qui nec corpora nec corporis expertia ſint, nihil & inane eſſe? Concludo igitur Deos eſſe, utcunque luſerit, non omnino credidiſſe: ſeu ut Poſidonius, *Nullos eſſe Deos Epicuro videri: quæque is de Diis immortalibus dixerit, invidiæ deteſtandæ gratiâ dixiſſe. Neque enim tam deſipiens fuiſſet, ut homunculi ſimilem Deum fingeret, lineamentis duntaxat extremis, non habitu ſolido: membris hominum præditum omnibus, uſu membrorum ne minimo quidem: Exilem quendam atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem; quæ natura primum nulla eſſe poteſt: idque videns Epicurus, re tollit, oratione relinquit Deos.*

De Nat. Deor. lib. I.

SECT. XX. At non ſatis duxit vir *ineffabilis pietatis* omnem tum Dei notitiam tum naturam labefactare, niſi quoque omnis providentia, ſuíque cultorum cura funditus tollatur; quâ ſublatâ nil niſi fictam & ſimulatam pietatem reliquit; etenim (ut breviſſimè rem conficiam, cùm adeò perſpicua ſit ut longiori diſputatione non egeat) ſi nihil quid agamus animadvertat, ſi nec irâ cùm negligimus, nec gratiâ cum colimus, teneatur; ſive cultu quis proſecutus fuerit nécne perinde eſt: ſique perinde ſit, nihil supereſt quod numini tribuamus niſi inutilem, & prorſus operoſam hiſtrioniam. At ſi in tam inanem & ludicram ſpeciem reducatur omnis Religio, nihil intereſt ſive aſſerant ſive abnuant, cùm (ſi cuiquam uſui fuerit) tota ejus tum ratio tum obligatio à

Provi-

Providentiæ animadverſione oriatur: Quis enim preces funderet, aut gratias ageret, aut legibus obſequeretur, cùm nec preces audiat, nec gratias curet, nec officium remuneret, quibus præciſis, quæcunque ullius emolumenti ſit religio perſpicuè tollitur? At eadem quidem impudentiâ quâ prius hic etiam ſe geſſit vir modeſtus. Ut enim cùm omnia argumenta, quibus numinis exiſtentia probari poſſet, contempſerat, unum à populi præjudiciis deductum, quod præ aliis omnibus contempſit, reliquit: cúmque omnem naturam, quâ Dii ſui conſtare poſſent, ſubtuliſſet, iis poſtea tam tenuem & evanidam ſubſtantiam tribuit, ut quæ reverâ nulla ſit. Ita cùm omnem pietatem adversùs Deos, quæ cujuſquam aut usûs aut virtutis ſit, radicitùs exciderat, fictam aliam & ludicram, quæque non majoris in vitâ usûs ſit, quàm ſi nulla foret, induxit. Etenim omnis cultûs divini ratio, aut in gratitudine pro beneficiis acceptis, aut in fiduciâ pro accipiendis, aut in legum obſequio, quas ſuis cultoribus præſcripſit; aut poſtremò in admiratione eximiæ & præſtantiſſimæ naturæ ponitur. At ſi nulla Diis inſit rerum cura & providentia, nullus relinquitur gratitudini locus, cùm ab iis nihil acceperimus; nullus fiduciæ, cùm nihil expectamus; nullus denique obſequio, cùm nec leges conſtituunt, & ſi conſtituerint, iis obſequamur nécne, nequaquam curant. His autem omnibus officiis à religionis negotio detractis, poſtremum, quo ſolo omnis Deorum cultus occupari voluit Epicurus, unà quoque evaneſcat neceſſe eſt. Quid enim eximium in Naturâ divinâ ſupereſt, quod in illius admirationem alliciat? An veneremur propter formæ pulchritudinem? At cum humana ſit, quid eſt cur nos ipſi quoque non invicem colamus? præſertim cùm longè venuſtior ſit (ut Epicurus deſcripſit) hominum quàm Deorum ſpecies; quatenus corpora humana admirabili quâdam partium varietate conſtent, quarum quæque præſtantiſſimis vitæ muneribus deſtinetur; ita ut partium uſus cum earum pulchritudine certare videatur. Immo quidem longè mirabilior eſt tot partium ad tam varios uſus deſtinatio, quàm pulcherrima membrorum omnium compages & diſpoſitio; cùm hanc ars humana pingendo quodammodo imitari poſſit, iſtam vero tantum abeſt quo minus quoquo modo imitando aſſequatur, ut ne quidem

intellectu assequi valeat. Quid itaque de Diis dicendum est, qui cum iisdem membris fingantur, cum nullo membrorum usu? Si oculos habeant, cæci sunt; si os, muti; si aures, surdi; quam misera Deorum gens, quæ tantis calamitatibus semper opprimatur! Quid enim his sensibus orbati in omni æternitate agant? cùm scilicet nihil negotii aut sui, aut alieni habeant, necesse est aut exercitiis aut colloquiis ætatem fallant; at qualis cæcorum cum cæcis lusus, & mutorum cum surdis sermo? Et præter infortunium non exigua est deformitas membra habere sine membrorum usu, propterea longè pulchrior hominum quàm Deorum forma, si igitur Dii propter eximiam formam colendi sint, quantò magis homines? Præsertim cum præstantissimis humani corporis membris careant, quatenus duntaxat extrema lineamenta habeant, nihil autem interiorum viscerum, aut si omnino habeant, ita habent, ut habitu solido non sint; ita ut non tam Dii quàm Deorum larvæ & umbræ habeantur, neque aliter hominum similes existunt, quàm picturæ, cùm eorum lineamenta non habitu solido, sed solâ extremâ specie repræsentent. Nihil itaque cur colamus in formæ pulchritudine reperitur, neque cur in mentis dignitate; cùm omnis illius dignitas aut in intellectûs aut in voluntatis virtutibus ponatur: intellectûs virtus est sapientia, at omnis sapientiæ vis aut finis cujusquam electione, aut mediorum, quæ fini maximè apta, & accommodata sunt, usu elicitur. Si igitur nihil curent, nihilque moliantur Dii, quæ superest materia, in quâ suas vires omnino explicet sapientia? Aut quænam est ista sapientia quæ nihil sapienter aut consulat aut agat? Aut denique si ab omni officio & beneficio abstinere præcipuum sapientiæ munus esse putaverit, dicat quamobrem naturam tam inertem tamque delicatam quovis cultu aut honore habere obligemur. Possit fortasse ipsa sibi placere, seséque suis ulnis amplecti, at quæ pietas à nobis quoquo modo deberi potest, quos penitus negligere, nullique curæ habere novimus? Tantum abest quamvis laudem mereatur tam livida animi affectio, ut sit omnis injustitiæ & improbitatis vitium; cùm nec pessimi quique cuiquam injuriam faciunt nisi quòd aliorum omnium curam procul habeant, sibique solis consulant. Si itaque Dii tam iniquâ & invidiæ

plenâ affectione teneantur, odii potius & inimicitiæ eos quàm benevolentiæ affectu prosequi oportet. Quemadmodum ipsum Epicuri contubernium dum in hortulis suis delitesceret, suóque otio & voluptati indulgeret, nullámque curam aut patriæ aut parentum aut aliorum omnium habere se profiteretur; possent alter alteri sapientiam gratulari, at ab aliis quibuscunque nullam gratiam expectare, nedum mereri, certè possent. Cúmque Metrodorus fratri Timocrati persuaserit nihil juvare Græcorum servatorem fieri, nihil item coronas ab iis propter sapientiam obtinere, sed ventri ritè gratificari; si consilio obsecutus fuisset Timocrates, ut sui solius curam & amorem habuisset, à se solo quoque curam & amorem jure expectasset, ab aliis autem omnibus contemni, negligi, & odio haberi. Quæ eadem est Deorum ratio, si enim sibi solis sapiant, nulláque omnino beneficia, cum facilè possint, largiri velint, utcunque sibi inter se admirationi forent, nullam certè nisi à se mereri potuissent. Denique quid quod hoc Philautiæ vitium, quemadmodum in hominum vitâ elicitur, solertiæ & acuminis laudem mereatur; cum quos teneat, soleant multâ industriâ longâque eventuum prævisione suas rationes conficere. At Dii nequidem subtilitate laudandi sunt; cùm res suas nullo consilio peragant, sed solùm omni æternitate uni loco affixi sedeant, nihil aliud cogitantes quàm utcunque aliis sit sibi bene esse; quod ipsum stuporis & ignaviæ crimen est, adeo ut si eâ ratione sibi sapere videantur, nulli alii videri possent. Immò tantum abest suam sibi fælicitatem gratulentur, ut rem nullam, quâ gauderent, habeant: Etenim cùm nihil in rerum naturâ quod à corpore secretum sit esse velit; nullásque animi voluptates, nisi quæ à corpore oriantur, & in corpus desinant, nullâ fælicitate frui possunt Dii, nisi quæ inde ortum ducat eóque referatur: atqui iis istis quoque delectationibus interdixit, cùm quanquam membra humana Diis suis affinxerit, membrorum usum detraxit, è quo solo, quæcunque sit, nascitur omnis corporis voluptas. Si autem neque edant, neque bibant, neque quicquam aliud agant, quod corpori jucundum sit; sique nihil aliud sit quo sibi placere possunt, quid sequitur non opus est dicamus. Quamobrem cum eos velit in omni æternitate cogitare sibi bene esse, non

est profectò cur ita cogitarent, cùm iis nullam quâ lætentur neque corporis neque animi beatitudinem reliquerit. O immortales beatos ! qui sempiterno otio & torpore languent, nihílque habent, in omni æternitate, quo aut tædium ævi fallant, aut mentis vim occupent & exerceant. Quantò fælicior muscarum & papilionum natio, quæ vitâ nullo fastidio maculatâ utuntur, sed sese aut lusu aut melleis succis perpetuò delectant ! At tristis & misera Deorum æternitas, qui omni oblectamento carent, quo sibi placere possent, quique tam longinqui ævi fastidium sine ullo vitæ usu aut lætitiâ patiuntur. Equidem Sisyphi fatum potius optarem, quàm tam languidâ sibíque nauseante ignaviâ delassari, ipse enim dum saxo adhæret, graviores quasque animi ærumnas excutit; at hi dies noctésque sedent sibi semper displicentes, cùm quâ re aut sibi placere aut animum laxare possent, omnino nesciant. Quid autem infælicius excogitari potest quàm tam supina, tam tristis, támque desperata æternitas ?

SECT. XXI. Et quod de intellectûs, idem quoque de voluntatis virtutibus multò magis dicendum est, quæ istis tanto anteferendæ sunt, quantò melius sit bene agere quàm rectè sentire aut solerter invenire. Dii itaque Epicurei aut hominum genus juvare non possunt; aut si possunt, nolunt. Si non possunt, cur Dii potius habendi sint quàm pulices & vermes; si enim imbecilli sint, nullâque potentiâ præditi, quid in eorum naturâ præstantius quàm in vilissimo quovis insectorum genere reperitur ? Næ quidem si Dei potentiam ex operibus metiantur (& nullâ aliâ ratione metiri possunt) non intelligunt Epicurei cur plus virium Diis suis quàm cauti aut saxo tribuamus. Si enim Dii, quid valeant, nunquam experti sint, neque aut muscam procreare, aut cuiquam atomo motum imprimere tentaverint, quid est cur ullâ agendi facultate præditos esse censeamus ? Quâ sublatâ, quid eximium & admiratione dignum in eorum naturâ videamus ? Aut si sit, quid est quod ad eos colendos omnino inducat, cùm nec pietatem remunerari, nec impietatem ulcisci valeant ? Sin vero Monogrammos Deunculos suos nos quidem juvare posse, sed nolle censeant, isto pacto non modò omni virtu-

virtutis laude & pulchritudine carere, ſed & flagitioſiſſimo quovis affectu abripi arbitrantur. Quid enim tetrius eſſe poſſit quàm beatiſſimam naturam, quæ omnia facilè poteſt, tantopere ſibi ſuóque otio indulgere, ut ne cuiquam quicquam boni in omni æternitate fecerit? Atque cum videat viros optimos virtutis causâ ab improbis omni calamitatum genere vexari, tantilli curet, ut ne quidem dextram è ſinu extrahere ſuſtineat, aut ut iſtis ſuccurrat, aut ut hos cohibeat. Quid enim? ſi inter virtutem & vitium nihil intereſſe putet, ita ut nec bonos amet nec malos odio habeat, res confecta eſt. Sublato enim omni actionum diſcrimine, quid refert de religione litem movere, cùm ſi habeamus, non meliores, neque ſi non habeamus deteriores fuerimus? ſin autem inter bonum malúmque, quævis ſit diſcrepantia, ita ut alterum diligat, alterum deteſtetur, quàm intolerabilis ignaviæ eſt ne ſemel quidem in omni æternitate aut alterum evexiſſe, aut ab altero deterruiſſe, ne ſcilicet otii ſui & quietis jacturam faciat. Immò certè neutrius curam habere manifeſtum eſt, cùm quid utri acciderit, omnino poſthabeat. Attamen Naturæ præſtantiam venerantur. Quam præſtantiam? cum quicquid in omni Naturâ præſtantiſſimum ſit tollant, juſtitiam & benevolentiam. Juſtitiam, cum nullam probitatis curam habeat, quod unica juſtitiæ laus eſt: Benevolentiam, cùm nullâ charitate aut gratiâ ne quidem erga optimos teneatur. Præciſis autem iſtis virtutibus, quò perfectiorem Deorum Naturam eſſe volunt, eò deteriorem efficiunt, cùm nihil aut invidiæ aut avaritiæ magis proprium ſit, quàm neminem præter ſe ſibi charum habere. At hoc quoque in loco non aliter quàm in aliis omnibus ſe gerunt Epicurei, cùm ſcilicet omnem naturæ præſtantiam ſuſtulerunt, præſtantiam naturæ venerantur. At perſiſtunt, ſublatis aliis omnibus perfectionibus, ſuperſunt adhuc, Æternitas & Beatitudo, quæ ſuam venerationem mereri quis negaverit? Immò potius ſi Epicuro fides, quis non negaverit? Cur enim propter Æternitatem, quæ cuilibet atomo perinde ac numini conveniat? At ſi propter Beatitudinem, aut corporis aut animi; non corporis, cùm omnibus voluptatis inſtrumentis aut inſtrumentorum uſu careat; non animi, cùm nullæ ſint ejus voluptates, niſi quæ ad corpus referantur. Nulla itaque Deorum beatitudo, vel

vel si fuerit, nullus eorum cultus, cùm tantâ naturæ malignitate teneantur, ut nemini, ne optimis quibusvis quicquam boni impertire velint. Ita quidem quocunque se vertant, nullis argutiis & captionibus manifestæ impietatis crimen eluere possunt. An ergo (inquiunt) simulatè egerit Epicurus? An ergo (inquam) quis dubitavit? At bonâ fide semper egit, cùm eâdem libertate multitudinis Deos improbaverit, quâ veram divinitatem asseruit. Ita quidem apud suos in latebris & gurgustiis, ubi omnes tum fictos tum veros Deos sustulit; at in publico patriæ superstitioni scrupulosè satis morem gessit, neque quoquo modo liquet an quemvis Diis cultum præstiterit, nisi quod nonnunquam publicis ceremoniis interfuerit; ut eâ simulatione populi suspicionem effugeret, aliorúmque omnium, si quibus impietatis mysterium, quod in hortis docuerat suboleret, criminationes elueret. Adeo ut mirari non debuerit *Sanctus Augustinus* Epicurum in eâdem civitate cum gloriâ floruisse, securúmque vixisse, in quâ Anaxagoras, Socrates, aliíque impietatis crimen effugere non potuissent. Cum hi palam & apertè quos populus Deos colebat, Deos esse inficiabantur; iste autem (eorum periculo cautus) impia sua dogmata secretò & suis duntaxat insusurravit. Et ne fortè aliquando in publicum venirent, satis assiduè publicis ceremoniis interesse curavit, ut saltem speciem quandam excusationis haberet, quâ se apud populum, si in periculum vocaretur, defenderet. Sin autem quovis alio instituto Deos coluerit, postquam eorum notitiam, naturam, providentiam, omnia denique attributa, præsertim sapientiam, justitiam & benevolentiam detraxerit, profectò vir *ineffabilis pietatis* dici mereatur.

Sect. XXII. Quod ad posterius accusationis caput spectat, Epicurum scilicet summum bonum in corporis voluptate posuisse, quanquam à loco de Diis alienum videatur, tamen in eadem principia prorsus devolvitur: Quippe si ulla omninò sit pietas & Religio, unicum vitæ beatæ fundum esse confitentur omnes; si non sit, nulla extat hominum fælicitas, nisi quæ ad corpus corporísque voluptates referatur; adeo ut in utroque loco de eâdem re planè fiat disputatio. Imprimis igitur de *voluptatis* voce cum *Epicuro* non con-

contendam, & imperitè quidem ejuſdem gratiâ in eum invehi arbitror, cùm quicquid alii fælicitatis, hic voluptatis nomine intellexerit; talem nempe rei cujuſque ſtatum, qui maximè ejus naturæ conveniat, in quo cùm conſtituta ſit, in ſummâ fælicitate, ſeu in ſummâ voluptate poſitam eſſe dicendum eſt. Et propterea cum Epicuro (ſi placet) contra Stoicos dicerem virtutem propter voluptatem expetendam eſſe, quámque niſi efficeret expeti non oportere, cùm non aliud dicerem quàm quod ipſi confiteantur, dum virtutem ad vitam beatam referri velint, & propterea non propter ipſam ſed propter vitam beatam ad quam refertur, expeti. Et quanquam virtus ſummum bonum vulgò dicatur & dici mereatur, quòd omnium quæ vitam beatam aut faciant aut tueantur, nihil ſit aut majus aut ſuperius virtute; atque ita cùm mediorum ſummum fuerit, quæ ad vitam beatam conducant, ſummum bonum dicitur; quod ſi adſit, ſummum bonum afferat, ad quod tamen tanquam ad ultimum finem refertur. Et qui virtutem laudant hominúmque delectui commendant detractâ omni voluptate, omníque ad ſua commoda intuitu, magna loquuntur ſed inania; cùm omne animal ſimul atque natum ſit, ſeipſum diligat, ſibíque placere gaudeat, à quo affectu, quicquid eligit, oritur, & ad quem finem, quicquid agit, refertur; ita ut ſui ſuæve naturæ amor primum ſit in omnibus agendi principium finíſque ultimus; quod ſi ita ſit, neceſſe eſt, ut ſemper & in omni negotio ſuis rationibus inſervire res quæque ſtatuat, cùm non facilius ſit hunc affectum à re quaque quàm à ſeipſo avellere. Atque ita cùm quamdiu res quæque ſit, ſeſe amare neceſſe ſit, quamque diu ſeſe amet, ſibi quoque placere & bene eſſe exoptet; quid ſequitur, niſi ut quamdiu fuerit, ſuæ utilitatis vel voluptatis, vel quocunque alio nomine appellare libeat, cauſâ ſemper agat? Et cùm in hâc re quam πρῶτον οἰκεῖον appellant, omnes philoſophorum ſectæ conſentire videantur, cum Epicuro nolo de voce litigare; neque enim minora in homine reprehendere decet, qui tot, & tantis reprehenſionibus ubique pateat. Sit itaque voluptas ſummum bonum. At quæ voluptas, Epicure? Corporis (inquit,) cùm alia neque ſit, neque eſſe poſſit; quippe ſi nihil aliud ſit hominis natura præterquam corpus (ut ſtatuit) quis

dubitat eam nullâ aliâ fælicitate frui posse? Quæ res primo intuitu adeò perspicua est, ut nullâ omnino ulteriori probatione egeat: quis enim non videt ubi nihil sit præter corpus, nullas esse voluptates præter corporeas? Adeò minus excusandus videatur Gassendus quòd cùm Epicurum in Physicis non prorsus excusaverit, sed de numine & numinis providentiâ periculosissimè lapsum fuisse fateatur, eum tamen in Ethicis totum defendendum esse censuerit, ejúsque defensionem ingenti labore & insolitâ quadam animi indignatione susceperit. Quoties & quantâ fiduciâ Deûm hominúmque fidem implorat, Epicurum semper inter corporis animæque voluptates distinxisse, hásque illis multo antetulisse. Distinxit quidem, at ineptè & impudenter, ut omnia, quænam enim animæ voluptates, si nulla sit anima? Miror quidem tam exquisiti judicii virum tam crassâ támq; futili defensione tantùm sibi placere potuisse: Nihil enim in omni suâ Philosophiâ aut sæpiùs aut acriùs, quàm hanc Epicuri distinctionem tractare & tueri visus est, ubique nunc irascens nunc exultans ingeminat Epicurum distinxisse; & nihil minus se fecisse putat quàm ut in posterum vir probus ab omni hujusmodi criminatione liberetur. Quàm cæca res est causæ inservire! Epicuri enim defensionem susceperat, & quoquo modo tueri voluit; quî alias fieri potuit ut vir tam acris ingenii non videret animæ voluptates easdem esse, si nulla omnino sit anima, cum corporis voluptatibus? sed sit anima, quibus gaudebit voluptatibus? Nullis, rursum inquiunt, nisi corporis; cùm enim explicare pergunt τῆς ψυχῆς ἀταραξίαν istam, quam tanti æstimare volunt, mentis tranquillitatem tantúmque corporis indolentiæ anteferre, totam quantacunque sit, ad corpus referunt; quatenus nullum aliud menti aut munus aut gaudium relinquant, nisi ut præteritarum corporis voluptatum recordetur, vel futuras præcipiat. Atque eâ duntaxat ratione anteponant, quòd dum corpus solis præsentibus frui possit, animus iisdem tum præsentibus tum futuris lætetur; ita ut nihil aliud habeat quo se delectare possit, nisi vel spe vel memoriâ corporis voluptatum; adeo ut istis omnino detractis nulla supersit in animo aut lætitia aut voluptas: sin ista mentis fælicitas quam tantum ad vitam beatam momenti afferre putant, tota ad corpus pertineat, à corpore

re proficiſcatur, atque in corpus redeat, quid laborant, an ullâ niſi corporeâ voluptate fruitur? Neque quidem virtuti quenquam uſum, aut laudem tribuunt, niſi quatenus corporis voluptatibus inſerviat. Eximium quidem virtutum officium! ut non plus ad vitam beatam afferant momenti quàm ars coquinaria, neque quicquam præſtantius in ſe habeant, quàm exquiſitior quævis conditura! Neque è contra quicquam mali aut turpitudinis in vitio eſſe cenſent, niſi quatenus corporis voluptates aut impediat aut imminuat, alioqui non vident quid inter ſummas virtutes & teterrima flagitia interſit. En quàm fidenter in ratis ſententiis pronunciaverit Epicurus! *Si ea quæ ſunt luxurioſis efficientia voluptatum, liberarent eos Deorum & mortis & doloris metu, docerént que qui eſſent fines cupiditatum, nihil haberem quod reprehenderem, cùm undique complerentur voluptatibus, nec haberent ullâ ex parte aliquid aut dolens aut ægrum, id eſt, aut malum.* Atque hæc cum ita ſint, non poſſum (ut liberè dicam) quin *Gaſſendi* candorem quodammodo ſuſpectum habeam, cùm neſcire non potuit, hanc ſuam quâ tantoperè exultat, defenſionem, ab iis ipſis veterum refelli & revinci, quorum autoritate ad eam confirmandam uſus eſt. Non potuit non videre quod à Plutarcho reſponſum eſt, qui cùm contra Epicureos, quàm exiles ſint ad beatè vivendum corporis voluptates demonſtraverat, eos ad hoc quoque perfugium convolantes ſic ſequitur. Itaque hoc loco (inquit) ſentientes rei exilitatem è corpore tanquam ſterili agro finem bonorum in animum transferunt: nimirùm quòd ibi voluptatibus paſcua & ampla prata ſuppeditent, *Quando non eſt aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis porrectus ſpatiis.* Quando ſcilicet non facilis eſt in hâc carunculâ voluptatum perceptio, ſed aſpera, admixtis multis alienis, & quæ pulſando exagitent. Sub hæc Zeuxippus: Itáne,inquit, non tibi rectè videntur iſti homines facere, qui initio facto à corpore, in quo primùm ortus voluptatis conſpicitur, inde ad animam tranſeunt, rémque in eâ abſolvunt? Rectè, inquam ego, & naturæ convenienter: ſiquidem melius aliquid hic & uberius reverâ afferunt. Cùm verò audias ipſos teſtari ac vociferari, nullâ re animam gaudere poſſe,nullâ tranquillitate frui, niſi vel adſint vel expectentur corporis voluptates, háſque bonum

Cicero de fin. lib. 2.

Non poſſe ſuaviter vivi ſec. Epicur.

bonum ejus esse: nonne videntur tibi animam pro corporis colo usurpare: & voluptatem vini instar è corpore tanquam pravo & perfluente vase diffundentes per colum istud, ætatémque illi conciliantes ut fiat aliquantò melior & honestior? Quanquam vinum quidem diffusum à tempore conservatur fitque suavius. Voluptatis autem præter memoriam tanquam odorem quendam nihil animus conservat, quæ in carne ut efferbuit, ita extinguitur, ipsáque ejus memoria obscura est ac nidoris similis: perinde ac si quis pridiè quæ edit bibítve, eorum sibi imaginationes suggerat, scil. his usurus cùm recentia non sint ad manum. Quàm clarè ex eorum principiis efficit animam nihil habere quod agat, nisi ut corporis voluptatibus inserviat, quásque ejusdem jactitant voluptates ad corpus omnino referri, in eoque solo locum habere? Et in eandem rem passim Cicero in libris de finibus; at quorsum est locos accumulare, cum ipse Torquatus, qui Epicurei personam sustinet, apertè fateatur? *Quanquam autem & lætitiam nobis voluptas animi & molestiam dolor afferat, eorum tamen utrumque & ortum esse è corpore & ad corpus referri; nec ob eam causam non multò majores esse & voluptates & dolores animi quàm corporis: nam corpore nil nisi præsens & quod adest, sentire possumus: animo autem & præterita & futura.* Quî disertius declarare potuerit nullam aliam se animi voluptatem novisse, quàm quæ corporis voluptatem aut procuret aut perficiat, atque eâ duntaxat ratione uberiorem esse, non quòd re quâvis præstantiori gaudeat, sed quòd iisdem sæpiùs & faciliùs frui noverit: Et Seneca denique cùm Epicurei dogmatis turpitudinem exprobraverat; ab iis aliquem sic se defendentem fingit. *Sed & animus quoque voluptates habebit suas.* *Habeat sanè* (inquit) *cedátque luxuriæ & voluptatum arbiter, impleat se omnibus eis quæ oblectare sensus solent: deinde præterita respiciat, & exoletarum voluptatum memor exultet; prioribus futurísque jam immineat, ac spes ordinet suas, & dum corpus in præsenti saginâ jacet, cogitationes ad futura præmittat.* Vides ut tales irrideat animæ voluptates, quæ nullam rem quâ gaudere possit, habeat, nisi quatenus corporis voluptatibus occupetur. Facessant igitur Epicurei, neque posthac obtendant viros hosce magnos non è rei veritate sed è præconceptâ populi

Lib. de vitâ Beatâ, cap. 6.

puli opinione locutos esse; cùm hominis mentem planè perspexerint, & nollent ab homine immodesto aut sibi tam ridicule illudi, aut alios tam turpi sententiâ illaqueari. Atque adeo detectis suis omnibus cuniculis & argutiolis totius disciplinæ turpitudinem in apertum protulerunt. Neque quidem multo acumine opus erat ad hominis impudentiam redarguendam, qui, cùm imprimis nullam esse animam dixerat, nullásque ejusdem voluptates, nisi quæ ad corpus referantur, postea inclamare ausus sit se alias præter corporis voluptates ad vitam beatam præscripsisse, nimirum quòd animi quoque voluptates necessarias esse docuerit, quas tamen ita explicat quibúsque ita utitur, ut in corpus penitus detrudat, quæ quidem tam aperta sunt, ut exquisitis rationibus concludi non egeant, satis supérque erat solùm indicasse.

SECT. XXIII. Neque magis illâ alterâ fraude reprehensionem effugisse videntur Epicurei, se scilicet non intelligere illam corporis voluptatem, quæ in motu ipsâque voluptatis actione consistat, sed eam quæ in stabilitate, seu tali animi tranquillitate, quæ omni dolore detracto, percipitur. Cùm ista quoque fælicitas, quæcunque sit, tota in corpus refundatur, eò quòd mens nihil habere possit, quo gaudeat, nisi quòd corpori bene sit. Immo, inquiunt, non modo quòd corpus dolore sed quod mens ipsa omni molestiâ & ægritudine liberetur; atqui nihil est, inquam, secundum Epicureos, quo animo dolendum est, nisi quòd corpore doleamus, adeo ut ista animi tranquillitas in idem redeat cum corporis indolentiâ; sicut & corporis indolentia in eam tandem voluptatem desinit quæ in motu constituitur, cùm nulla sit fælicitas neque animi neque corporis, nisi quæ actione quâdam percipiatur; si enim nulla sit perceptio, quam tranquillâ cunque quiete fruamur, non beatiores sumus quàm saxa & stipites; atque idcirco non in ipsâ quiete ponitur fælicitatis vis & ratio, sed in iis actionibus, quibus optimè gaudere possumus, dum quieti sumus, eæque sunt omnes aut corporis aut animi; corporis, quatenus sensus suavi & jucundâ motione afficiatur; animi, quatenus corporis voluptatibus delectetur; at in corpore detracto omni sensu non major erit

voluptas quàm in cadavere: adeo ut planè tandem omnis ejusdem fælicitas in ipsam sensuum oblectationem reducatur. Neque quidem aliam voluptatem confert ipsa corporis sanitas seu doloris amotio, nisi quòd dum eâ fruamur, illius voluptatibus jucundiùs frui possimus, cùm nihil aliud habeat corpus quod agat aut quo sibi placeat. Neque etiam quicquam confert mentis tranquillitas, nisi quòd cùm nullo angore crucietur, se delectet corporis voluptates contemplando, dum de præteritis meditetur & futuras expectet; scilicet cùm quas qualésque animæ voluptates intelligant, aperire velint, ei nihil vitæ beatæ tribuunt, nisi quòd spe aut memoriâ corporis voluptatibus, quotiescunque velit, frui valeat. Posthæc nihili refert an Stoici Epicureos calumniati fuerint nécne: cùm iis nihil turpius suis omnibus calumniis affingere potuissent, quàm ipsi de se in defensionibus suis fateantur. Quid enim si nunquam dixisset Epicurus, *Nec equidem habeo quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates quæ sapore percipiuntur; detrahens eas etiam quæ auditu & cantibus; detrahens eas etiam quæ ex formis percipiuntur oculis, suaves motiones sive quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet è sensu?* Quid si nunquam dixisset sapiens Metrodorus, *Omnia pulchra, sapientia & subtilia animi inventa propter voluptatem carnis spésque eò pertinentes esse constituta, & omne opus inane esse quod non eodem tendat?* Quid si ad fratrem Timocratem nunquam scripsisset, *Quanto sum gaudio perfusus, quantâ audaciâ animatus quòd ventri ritè gratificari ab Epicuro didici?* Si enim non dixerint, dicere oportebat, cùm nil nisi istiusmodi flagitia omnis eorum disciplina doceat; si enim vita beata in solâ voluptate ponatur, sique nulla sit nisi corporis voluptas, neque corporis nisi quæ è sensuum fruitione oriatur; calumnientur pro suâ malignitate Stoici, nunquam quicquam turpius de iis fingent, quàm de se ipsi dixerint, & quid mirum! cùm nihil turpius aut dici aut fingi potuisset. Sed vitam sobriam (aiunt) & frugi cibísque simplicissimis contentam vixit Epicurus. Quid inde? cùm non de moribus sed de dogmatis quæratur, quæ talia fuisse demonstravimus, ut quomodocunque vixerit, nil nisi ut corpori & cuti bene esset, cordi habere posset. Et quidem quanquam probus nequaquam foret, potuit non esse

Tusc. quæst. c. 3.

Plutarch. non posse suaviter &c.

Ibid.

esse insanus; ita ut si parciùs victitaverit, non virtuti sed ventriculo debeatur, quem ferunt adeo non robustum habuisse, ut quotidianâ vomitione exonerare coactus sit. At quibus moribus cum suo contubernio vixerit, sibi solis notum est, cùm inter proprios hortulos delituere, ita ut quicquid sceleris commiserint, inter se & sine testibus peractum sit. Atqui nihil istiusmodi hominum gregi est familiarius quàm cùm omnia flagitia inter se patrari noverint, ut nihil non probitatis & virtutis de se invicem jactarent. Verùm, inquiunt, ipse morti jam proximus, cùm detraherentur omnes corporis voluptates omnésque animi larvæ, en quantâ in lætitiâ fuerit. *Cum ageremus vitæ beatæ & eundem supremum diem, scribebamus hæc. Tanti autem morbi aderant vesicæ & viscerum, ut nihil ad eorum magnitudinem accedere posset, compensabatur tamen cum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoriâ rationum inventorumque nostrorum.* Quænam inventa? Deum res humanas non curare; hominum animas morte extingui; nihil fælicitatis post hanc vitam nos manere; nihílque in hâc vitâ, nisi quod ad corpus pertineat, esse? At ista sané solatia nulla cuiquam jam morituro, imo nihil nisi angorem & desperationem afferre potuissent. Cùm, si retrorsùm respiciat, quæ fuêre voluptates, exoletæ sint, si prorsùm imminet æterna mors, quam præ omnibus malis non potuit non timere; cùm ex eodem naturæ affectu quo se amet, sui interitum exhorrere necesse sit. At si typhus, quo tantoperè intumuit aperiatur; animal gloriæ vanâ spe sibi adblandiebatur apud discipulos & successores in magno honore habitum iri. At utcunque sit & quibuscunque argutiis ipse se fallere potuerit, nullâ fælicitate, si sententiæ constet, frui potuit, nisi dum pinguis & nitidus benè curatâ cute foret.

Epist. ad Hermac.

SECT. XXIV. Atque adeo in eo desiit impietatis disciplina, nisi quod perpaucos sectatores habuerit, quorum in censu haberi possunt, Titus Lucretius Carus, Poeta præstantior quàm Philosophus, & si Philosophus (ut erat quidem non ignobilis) totus Epicureus: tum deinde Lucianus Scurra qui pro ingenii fastidio & petulantiâ Religionem irridere quàm redarguere maluit; & postremo Plinius, quem Philologum potiusquam Philosophum appellemus, qui ingentem

tem rerum farraginem nullo judicio, nullóque delectu cumulavit; in his & viris quibusdam politicis brevi expiravit Epicureæ impietatis successio. Non modo quòd fidei Christianæ ubique per orbem promulgatione extincta foret, sed quòd Reges nimium experiundo edocti, tam perniciosa dogmata, quæ omne regimen planè evertebant, coercere, sui imprimis interesse reputarent. Neque rursum caput efferre potuit ante ultimum quod effluxit seculum, & primùm Italiam invasit. Quo cœlo cùm acrioris ingenii homines semper nascantur, mirum non est si quidam vafrâ animi levitate ducti vim & acumen suum singulari nequitiâ ostentare cogitent. Cùm igitur post diuturnam multorum seculorum barbariem bonæ literæ à viris quibusdam cordatis revocari cœperunt, quidam aut quòd sibi nominis gloriam quâvis aliâ ratione assequi desperaverant, aut quod ambitione & innovandi studio capti fuerant, flagitiosa quædam & impia dogmata secretò & è gurgustiis ausi sunt murmurare. Primi autem quibus huic stultitiæ viam aperire licuit, tuti & incolumes Aristotelis autoritate muniti latuere: Quam maximam cùm in scholis tot seculorum serie obtinuerat, si quis eam ad fidem dogmati cuivis faciendam interposuerit, nihil aut malitiæ suspicari aut periculi extimescere potuerunt. Ut autem obscuriores nonnullos Heroum filios prætercam, cùm nihil lucubratione dignum attulerint, non modo quòd Philosophiam mechanicam & veterum politiorem, sed ne quidem barbaram istam Scholasticorum intellexisse videantur. Teterrimi hujus fœtoris omnium gravissimè olere videtur Andreas Cælaspinus Aretinus, qui ut olim Aristoteles (quem quid velit recentiorum hic primus & pene postremus cepisse visus est) causam omnium productricem attulit, ita tamen ut eidem omne Providentiæ imperium detraxerit, quo sublato Deum esse dicat an omnino tollat nihil interesse demonstravimus. Primum itaque Motorem, *Intelligentiam Speculativam non Activam* esse statuit; deinde intellectum speculativum eum esse voluit, qui nihil cujusvis finis gratiâ operatur, sed solâ contemplatione totus occupatur; activum autem, qui ad finem respicit, atque eundem ut assequatur, artem & consilium adhibet; Deum itaque cùm nihil aliud per omnem æternitatem nisi sui ipsius perfectionem contemple-

tur

tur, nihil efficere aut voluisse aut cogitâsse, quanquam ipso nihil tale cogitante, omnes naturæ effectus inevitabili quâdam necessitate inde nascantur; etenim cùm sit summum numen summè beatum, summè appetibile quoque esse, necesse est; summè autem appetibile cùm sit, non potest quin in aliis appetitum gignat, atque adeo reliquis intelligentiis, quæ singulis cœlorum orbibus insistunt, motum quendam eorum appetitum ciendo imprimit, quem suis orbibus impertiunt, orbes elementis, quorum diversis motibus & misturis omnis generatur natura, atque adeo ab initio ad exitum nihil consilio, sed brutâ necessitate facta fuisse omnia. Atque porrò rem totam artis & naturæ discrimine explicat, quòd ista prudentiâ & consilio semper utatur, quæ soli homini inter ea quæ naturâ constant propria esse voluit; hæc autem nihil cujuspiam nisi sui solius gratiâ intelligat, *In quâ*, inquit, *dum persistat, reliquis substantiis ab ipso pendentibus ex necessitate appetitus ille innascatur, quæ natura dicitur uniuscujusque, à quo omnis motus naturalis perficitur*, aliáque hujusmodi complura quæ passim & ubique legas, potissimùm verò quæstionum Peripateticarum libro secundo; quanquam disciplinæ istius impietatem neque hîc uberius declarare neque redarguere libet, quòd utrâque provinciâ satis defuncturi sumus, cùm demum ad ipsum Aristotelem venerimus; quem Atheorum omnium principem atque ipso Epicuro apertiorem religionis hostem singulari disputatione demonstrabimus. Atqui tamen quod solâ illius autoritate usus sit vafer hic Italus, apertissimæ impietati publicam autoritatem obtinuit; quam ut obtineret libro præfari opus non erat se, si quid in toto opere dictum fuerit quod sacrosanctæ Dei Ecclesiæ ac veritati aut repugnet aut non consentiat, indictum velle; cùm isto seculo ea fuerat *Philosophi* Autoritas, ut non tutior haberetur ipsius summi Pontificis approbatio; atque adeo eum sapientum Pontificem maximum quidam appellarunt. Quanquam verò fortè subtilior fuerit impietatis ratio quam in mundo condendo secutus est, quàm ut quis minus aut prudens aut eruditus mediocri attentione intellexerit, tam aperta tamen est sententiæ impietas quam de generis humani exortu attulit, ut mirer sanè quempiam tam oscitanter dormitare posse, qui eam primo intuitu non planè perspiciat.

Quæst. Perip. Lib.5.Quæst.1.

Cùm hominem cæteráque omnia animalia è putri materiâ orta esse posse demonstrâsse se censeat, quòd scilicet idem è putredine oriatur calor, qui è semine, quo fieri possit ut quæcunque è semine nascuntur, sponte & casu nasci potuissent. Atque adeo cujusque speciei initium exoriri poterat, è cujus semine soboles in secula propagetur, quemadmodum quibusdam hodiè contingit è solâ putredine propagari. Ut igitur animalcula quædam indies putredine gigni contingit, ita quasque majorum animalium familias initio gigni contigisse voluit. Atque adeo tritam istam Aristotelis sententiam, hominem homine & sole gigni, ad suam opinionem accommodatissimè interpretatus est, non quòd ut alii ad cujusque ortum coire, sed quod modò Sol modò homo eodem munere separatim (ut ait) fungi putaverit. Atque hujus interpretationis rationem affert ex ipso Aristotele, cujus tum maximè valebat autoritas, qui nempe libro secundo de animalium generatione, capite autem tertio, eandem esse cœlestium vim vitalem dicit, atque ipsius seminis, adeo ut sine semine rem perinde perficiant. Et denique cuivis qui, si primùm è putredine nascantur homines, interrogaverit cur hodie nisi ex ipsis hominibus nunquam nasci videamus; id demum duplici ratione (sua ipsius sunt verba) contigisse respondet, *Verum quidem esse in regionibus quas habitamus nunquam visam esse perfectorum animalium ut hominis & quadrupedum generationem spontaneam: Cùm enim hæc plurimum adepta sint caloris innati & corporis molem amplissimam, non brevi tempore perficitur eorum generatio: nam quædam non nisi biennio perficiuntur in utero parentis, ut Elephas; quædam annum expostulant, ut Equus, & Bos; quædam menses decem aut novem, ut Homo; idcirco si hæc calore uteri tanto tempore foveri est necesse, non possunt extra Tropicos calore Solis perfici, recedente enim Sole ad alterum Tropicum fit hyems & frigiditas, quæ inchoatos conceptus devastare nata est.* At si porro interrogaveris, quamobrem cùm loca ista olim inaccessa tandem accessérimus, homines vermium ad instar è terrâ exilire non videamus; *Credendum esse*, inquit, *calorem cœlestem in materiâ conclusum circa initia longè magis vegetum esse quàm procedente tempore, ob mixtionem enim materiæ debilitari oportet, quanto magis distat à principio.* Et denique perorat se mirari ipsum

Lib.5.Quæst.1.

Ari-

Aristotelem, cùm quædam è semine facta dixerit, non ausum de omnibus idem dixisse. Jam itaque, si utrumque commentum cùm de mundi tum de hominis exortu conferamus, ut alterum necessitate, casu alterum, utcunque dissimulare vellet, non sine quâdam animi contentione contigisse voluerit, perspicuum satis est, nihil majus in animo habuisse, quàm ex instituto providentiam ab utroque exclusisse. Hunc tamen quicunque postremò edidit medium inter Philippum Mocenicum & Bernardinum Telesium, summâ aut vafritie aut inscitiâ imprimi curavit, quanquam vafrè potiùs quàm oscitanter factum fuisse arbitror, quòd cùm hic omnem Providentiæ vim longissimè à rerum naturâ exulem esse voluerit; isti, Telesius potissimùm, omnem rerum naturam solo numinis consilio institutam fuisse acerrimè ut poterant, temporibus illis docti, disputarunt. Hunc eâdem impietatis viâ & ratione non modò secutus est, sed superavit Claudius Berigardus Molinensis, qui unà cum impia Aristotelis disciplinâ obsoletam istam quoque veterum Ionicorum (quemadmodum de iis ipse censuit ac alii plerique censuerunt) revocavit; cùm enim disputationes suas dialogorum consuetudine perscripsit, sermonem in duas personas Charilaum & Aristæum distribuit, quorum alter Aristotelem, qui præter materiam, quendam primum motorem, providentiæ tamen expertem posuit, alter antiquos istos defendit, quos omnia corporea esse velle, nullúmque primum motorem ab universo corporeo distinxisse putavit. Atque adeo uno eodémque opere diversas cùm Epicureæ tum Peripateticæ impietatis rationes adornavit, quanquam Aristotelis disciplinam fusiùs & ardentiùs excoluit, atque eam potissimùm quam libro Physicorum octavo, librísque de Cœlo & rerum Generatione tradidit, quibus universam mundi fabricam sine Providentiâ architectrice extruxisse se putat Philosophus. Neque nefaria sua dogmata dispersè uno aut altero capite (ut Cæsalpinus) insinuavit, sed apertè omnem peripateticæ impietatis rationem secutus est, neque numinis providentiam ut ille è rerum naturâ tollere satis habuit, nisi & salsè dictis (qualia vir non admodum facetus potuit) increparet. Tantum tamen abest ut in quam reprehensionem incurrat, ut laudem & autoritatem à S. Inquisitorum officio obtinuerit. Quòd

ſcilicet quæ in Ariſtotele reprehendenda ſint omnia callidè præfatus fuiſſet, *poſuiſſe mundum ejúſque materiam primam æternam, primum motorem ſupremæ duntaxat ſphæræ medio circulo inſiſtentem, libertatis expertem, nihil aliud aptum intelligere, niſi ſeipſum, nec aliud efficere quàm motum æternum, & quidem non ut cauſam efficientem propriè dictam, ſed ut finem: proinde nec mundum nec aliud quidquam ex nihilo creare poſſe: item de reliquis Intelligentiis, quarum infimam videtur facere intellectum agentem, & animam unam communem toti ſpeciei humanæ; unde conſurgit innumerabilium errorum ſeges, quibus damnatis, retinere poſſumus ejus principia ad normam ſacræ Theologiæ caſtigata.* Qnanquam prima & præcipua ſint iſta Ariſtotelicæ philoſophiæ effata, & quæcunque præterea dogmata habeat, iſtorum gratiâ, aut quod confirmarent, aut quod admodum cum iis convenirent, docuit; ut tota quidem ipſius diſciplina iis ſolis innitatur, eorúmque præſidio inſerviat, neque hic quoſvis Ariſtotelis libros excoluit, niſi qui ejuſmodi decreta præcipuè continerent. Atqui tamen tantum opinio præjudicata poterat, ut quicquid cùm Ariſtotelis diſciplinâ conveniret, ſolâ illius authoritate pium ſanctúmque exiſtimarent, quanquam cum eâ nihil convenire poterat, niſi quod omnes pietatis radices, ipſáſque radicum fibras evellat. Hunc autem ſicut & Cæſalpinum, quanquam multò uberiùs rem tractavit, & quidem integrum peripateticæ impietatis ſyſtema deſcripſit, hoc loco redarguere operæ pretium non exiſtimo, quòd in uno Ariſtotele vincantur qui ab eo ſteterunt omnes, cùm tam abſolutam impietatis rationem reliquerit, ut hactenus diſcipuli nihil invenire poſſint, quod addere potuiſſent, iſto igitur devicto, de universâ Peripateticorum gente conclamatum erit.

SECT. XXV. His duobus ſunt qui Hieronymum Cardanum annumerandum eſſe arbitrantur, quod omnia divinæ providentiæ phænomena aſtris aliiſque cauſis naturalibus aſcribi voluerit, atque adeo inter alia quamplurima quæ in naturali Philoſophiâ ſe inveniſſe gloriatur, pene maximum exiſtimat quòd ad generationem animalium perfectorum non aliud principium requiri niſi calorem cœleſtem invenerit, quo fieret ut hominum genus omniáque animalia nullâ

*De vitâ propriâ, cap. 44.*

numinis

numinis providentiâ sed solâ siderum vi gignantur, quæ cùm nullâ ratione aut consilio prædita sint, si iis solis mundus administretur, sequitur nullo omnino numine administrari. Atqui verò de homine minimè vafro judicium nimis acre ferre videntur; & si quid impium fortasse dixerit (ut quidem nihil est, quod animi æstu raptus sibi dissentaneum non dixit) ei veniam dari oportet, ut aliis omnibus damus quos sui compotes non esse novimus. Magnum enim Cardani ingenium magna dementiæ mixtura contaminavit, unde cùm per intervalla in insaniam incideret, idem illi quod aliis omnibus insanis contigit, ut qui multa dicunt quæ nec sentiant nec meminerint. Insanienti autem proximum vixisse quis de isto homine dubitare possit, qui (ut optimè narrat "Naudæus) somniis, ostentis, auguriisque vanissimis & ma"ximè ridiculis fidem adhiberet; qui totus ex delirantium "vetularum observationibus penderet; qui quoties vellet, à "sensibus per extasim peregrinaretur; qui spectra & larvas "videret; qui paredrum aliquem & sibi faventem genium "adesse vel stultè crederet, vel malignè mentiretur; qui "uxorem duxit sine dote; qui filiorum educationem neg"lexit; qui juniorem ex illis auriculâ avulsâ, puerum verò "nomine Guilelmum, verberibus, licet immerentem sæpius "multavit; qui se jactatum à patre pro spurio fuisse, & "abortivo medicamento priusquam nasceretur tentatum re"fert; qui pannosus aliquando, mox ornatus in publicum "prodiret; qui inter amicorum colloquia lubentius nihil "diceret, quàm quod illis ingratum fore cognoverat; qui "Lunam non secus in cœlo de die quàm noctu videret; qui "Romæ diverso ab aliis cultu spectandus incederet; qui "Bononiæ suffultum tribus tantum rotis currum aliquoties "usurparet, qui juvenis rixas miscebat, adultus meretrices "sectabatur, vir factus à ludis & aleâ non temperabat, senex "quoque carcerem vitare non potuit; qui denique probra "vitæ suæ, turpitudinésque vel minimas è privatæ domûs "secreto ubi non secus ac aliorum hominum sordes & flagi"tia delitescere rectiùs potuissent, non evulgavit modò, sed "nauseanti fermè per tot ineptias & narrationes inconditas "lectori obtrusit: Nam si facere istæc sapientis est, nescio "sanè cur Orestes, Corœbus, Amphistides non ipsi quoque "sapientes inter numerari possint.

Atque sanè siquis quæ de se ipse scripsit, legerit, his omnibus longè dementiorem esse deprehendet. Quis enim nisi prorsus insanierit ea de se narraret; quæ si de inimico dixeris honos præfandus est? Quis tam grandia, & secum pugnantia de se mendacia fingeret? Quis tam vana de Spectris, Lemuribus, Geniis, Portentis, Auguriis, Insomniis, aliísque ejusmodi anicularum ineptiis crederet, iísque maxima vitæ momenta gubernaret? neque quidem insaniisse miremur, cùm universis exagitaretur furiis, quarum singulæ quemvis sanioris mentis in extremam dementiam impulisse poterant. Earum autem præcipuæ quatuor fuere; primùm anomola (ut ipse vocat) naturæ indoles, tum immensa cogitandi assiduitas, deinde immoderata gloriæ cupido, postremò maxima totius vitæ calamitas, quæ omnia si cuivis hominum, Cardano certè singulari modo contigêre.

Primùm singularis quædam indoles se innumerabilibus indiciis prodidit, quòd capillis longis nigris & crispis natus fuerit, quòd parentibus maximè iracundis procreatus, quod febribus creberrimis correptus, quòd caro sulphur oleret, quòd à primâ penè infantiâ phantasmata pompásque inanes videret; quòd multis annis noctu in somnis obambularet, clamores ederet, nisi mater & matertera impedierant, sæpe præcipitaturus; quòd denique quippiam in se esse senserit, (splendorem sæpe appellat) quòd quid sit nesciat, viribus propriis majus, quo præter voluntatem multa quæ expedit, faciat, & quicunque de se sermones uspiam haberentur, audiret, multáque ejusmodi quæ de se ipse narrat: mirum itaque non est si in mores inconditos vitámque ebrii ad instar inequalem præcipitaverit tam anomola sanguinis temperies, quæ cùm melancholica fuerit & adustæ bilis copiâ referta, ventosa (ut inquit Naudæus) facit ingenia, & magnarum rerum, ut nominis, honorum, auctoritatis desiderio flagrantia, & præterea suspicaces, morosos, invidos, malevolos, simultatum tenaces, immites, ἀςόργυς, ut veluti in extremo confinio naturæ humanæ positi, cœlestem vel belluinam aut mixtam interdum ex utrâque levissimo impulsu suscipiant. Quâ causâ se sibi tam adversum ipse descripsit, nunc sævum esse, pertinacem, contentiosum, asperum, imprudentem, iracundum, ultionis ultra vires sitientem, (unde fortasse inter dicta familiaria

Cap. 37.

Cap. 6.

Cap. 38.

miliaria plus se malis medicis quòd hostes perdant, quàm bonis quamvis amici sint, debere profitetur) parùm pium, & linguâ incontinentem, maximè iratum ut pudeat & tædeat sui, libentius nil dicere quàm quod audientibus displicere novit, atque in hoc scientem & volentem perseverare. Mox tamen veracem esse, beneficiorum memorem, justitiæ & suorum amantem, pecuniæ contemptorem, Dei ob venerationem ultionum occasiones oblatas consultò negligentem, paupertatem, calumnias, adversa omnia patienter ferentem, amicitiæ ad mortem usque religiosum cultorem, in utrâque fortunâ semper eundem sibíque constantem, religionis Deique cultûs semper observantissimum. Quanta contradictionum moles! summæ omnes virtutes extremáque omnia flagitia in eodem convenêre, ut Cardano nemo melior, nemo deterior videatur. Et quod ipse de rudi hominum genere se observâsse dixit, bonos quosque esse optimos, malos pessimos, de se præcipuè dici poterat, simul optimis & pessimis moribus vixisse. Nequè sanè malè se descripsit, cùm ob æstuantem naturæ indolem omni vitæ ratione sibi inæqualis fuerit, pannosus, ornatus; tacitus, verbosus; lætus, tristis; in eundo celer, tardus; importunus, solitarius; ut per omnem vitæ ætatem omnis consilii expers vixisse, solóque sanguinis æstu huc illuc jactatus esse videatur. Atque igitur Horatianum illud de Tigellio sibi ipse ingenuè adaptavit:

> *Nil æquale homini fuit illi; sæpe velut qui*
> *Currebat, fugiens hostem; persæpe velut qui*
> *Junonis sacra ferret, habebat sæpe ducentos,*
> *Sæpe decem servos: modo reges atque tetrarchas,*
> *Omnia magna loquens.*

Atque ab hac levitate orta est ista inæqualitas quam in illius scriptis notavit Thuanus, *quòd in quibusdam plus homine sapere, in pluribus minus pueris intelligere* videatur. Hinc denique tam multa de se inconsideratè & futiliter scripsit, cujus ne plura exempla sequar, quàm ridicula historia est quam magno animi impetu de Aurigâ suo narravit. Cùm scilicet ad locum quendam per angustam viam ipse Cardanus pedibus ire vellet, Aurigam jubet ut cum carpento quo rede-

at conveniret, ille aliud intelligens aliò se confert; Cardanus, confecto quod habebat negotio, cùm prandium redire cogitaret, deerat carpentum; quo casu in quas miserias incidit vir omnium infælicissimus! Quid agat? Quo se vertat? Deo se commendat, patientiâ opus esse cogitat, omnémque medicinam adhibet, quâ se in filii morte solatus est. Dum verò in summâ desperatione langueret, sine ullâ rerum expectatione meliorum, Deum immortalem! en præsto est Auriga, qui errore animadverso herum invenire statuerat, tandémque invenit. Quantum gaudium! Quanta numinis providentia! Si carpentum cœlo demiserat Deus, majori admiratione rapi non potuerat. Carpentum autem cùm subiisset in crumenâ forte tria grana uvæ Creticæ quibus jejunium levaret invenit, id quoque eâdem singulari & miraculosâ numinis benevolentiâ: Domum verò reversus continuò in musæum convolat, atque arrepto libro quo scribendo tunc occupari contigit, eidem importunè infercit totius rei tragœdiam ipso Oreste prolixiorem.

Cap. 21. Naturæ autem indoli proximè accessit perpetua cogitandi consuetudo, quâ sanguinis bilis acrius adusta est. Id quod de se narrat, quamvis alia omnia inæqualia sint, solam cogitationem perpetuam esse, sed non perpetuò in iisdem; nihilominus tam intentè adesse, ut neque comedere, neque voluptatibus operam dare, immò nec dolorem sentire, sine cogitando concessum sit, sed (ut alibi) equitando, edendo, in lecto, vigilando, colloquendo semper aliquid meditabatur. Atque ita dum iter ageret in Ligeri flumine, nec aliud haberet quod faceret, prolixa sua in Ptolemæum commentaria conscripsit. Quid autem ipsius de se testimonio opus est, cùm tot industriæ & eruditionis monumenta reliquerit, ut quidem nemo mortalium cum Cardano doctrinæ varietate conferendus videatur. Primùm enim veterum omnium scriptis admodum versatus est; neque summa librorum capita solùm delibavit, ut quorundam mos est, quos non tam doctos quàm peritos Bibliopolas haberi oportet, quique (ut ipse ait) non scribunt sed transcribunt. Sed authorum quoscunque legit (quanquam pene omnes legit) intimas sententias tenuit, cujus rei exemplo esse possit, non modo quæ ipse scripsit, sed quæ se *extemporaneè* fecisse narrat, ut si

Cap. 23.

Cap. 45.

Cap. 53.

quando qui cum eo diſputaverint veterum authoritates recitarent, fortè in particulâ quâvis aut fefellerint aut lapſi fuerint; ipſe ſtatim erroris redarguere potuit. Atque ut omnia aliorum ſcripta devoravit, ita immenſas voluminum moles ipſe ſcripſit, in omni ſcientiarum genere nihil intentatum reliquit, in pleriſque nova multa invenit, adeo ut *virum inventionum* appellaverit Andreas Alciatus, quem ille patriæ luminis titulo rependit, ſaltem tot libros de omni diſciplinâ ſcripſit, ut iis ſolis Bibliothecam omnium artium & ſcientiarum perfectam conficere & ornare liceat. Atqui tamen quanquam librorum quos reliquit mole fatiſcant Bibliothecarum Armaria, non plures in publicum venerunt quàm periêre. Ipſe enim uno tempore novem totos exuſſit, alio non pauciores quàm centum & decem, præter alios complures, qui in angulis antequam typis ederentur, interierunt. Deus bone! quantas vigilias! quantos in ſtudiis labores exantlaverit, qui iſtæc omnia poſſit! Tam diu itaque vehementiſſimæ contemplationi incubuit, ut ad *repræſentationem* tandem ſe perveniſſe cenſuerit quâ res quaſque non ſtudio ſed interni *ſplendoris* uſu facillimè intelligeret. Quo tam diu támque obſtinatè in ſtudiis nonnunquam evigilâſſe ſcias, ut viſa quæ in animi deliquiis videre viſus eſt, vera & quaſi divinitus immiſſa ſibi ſeriò perſuaſerit.

Cap. 45.

Cap. 39.

Altera quæ eum corripuit veſania, dulcis fuit gloriæ cupido, cujus tam immani & impotenti deſiderio flagravit, ut non tam famam & laudem quàm nominis memoriam ſe deperiiſſe fateatur; atque ideo cum Alexandri, Annibalis, Scipionis, Curtii, Heroſtrati ſtultitiam increparet, quòd cum vitæ diſpendio, cum ſummâ infamiâ, cum cruciatu maximo hanc ſpem præ cunctis prætulerint; potiſſimùm verò Syllæ & Cæſaris; illius, quod non modò veterum omnium labores, ſed & ſuos ac ſequentium omnium familias perdiderit: hujus, quod Juliorum familia à Commodo imperatore prorſus ſublata ſit, cùm denique optimis & exemplis, & rationibus iſtius ardoris ſeu potius pruritûs ſummam fatuitatem exaggeraverit; his tamen omnibus intellectis, ſtolidam iſtam cupiditatem velit nolit ſuperſtitem eſſe fatetur. Unde tam vanas & incredibiles de ſe ubique fabulas decantavit, adeo ut quicquid etiamſi humano generi commune ſibi contigit, porten-

tum esse crediderit; quanquam itaque in reliquis, quæ sua non intererant, à fraude satis alienus fuit, tamen cùm de se narretur, sibi à magnis & impudentibus mendaciis temperare non poterat; atque hinc cum genio quodam constanter se versatum esse, omniáque ejusdem monitu fecisse ad nauseam usque jactavit, quanquam alibi quicquam tale se habuisse solenniter ejuraverit; tum deinde linguarum omnium scientiam, potissimùm Græcæ & Latinæ, sibi divinitus seque nesciente inflatum fuisse mentitus est, quanquam ipse quo tempore & labore linguas quasque didicit, memoriæ tradiderit. Nihil lucri attulit mendacium, sed quoniam magnum quiddam & prodigio simile existimabat se tam singulari numinis curæ fuisse, ut quasi divinitus excitetur, qui omnium scientiarum fines proveheret, istuc sibi contigisse sibi seriò assentatus est: & quidem tantum abest quicquam Providentiæ divinæ detraxerit vir fanaticus, ut nihil tam vile támque usitatum poterat sibi contingere, quod singulari numinis curæ deberi sibi non persuaserit.

De varietate, *cap. 93.*

His autem tribus præcipuis dementiæ causis cùm accesserit extrema vitæ calamitas, quis tam sanæ mentis esse possit, quem in summam dementiam non præcipitaret? Atque eum, si quem mortalium, ab incunabulis ad usque extremum vitæ spiritum persecuta est nunquam satiata Junonis ira. Si quæ sibi fides habeatur, venenis quæ abortionem pariant se antequam natus est tentatum esse scripsit, neque tam natum quàm mortuum è matris utero extractum; & statim nutritio qui peste ægrotavit eâdémque mox periit traditum; parentibus summâ cum crudelitate tractatum, & cùm adhuc infans fuerit, verberibus pæne cæsum, primâ juventute morbis confectum, canibus sæpius laceratum, multísque casibus periturum, nunc è scalâ ipsum decidere, nunc cùm vix convaluerat, lapidem nucis ad instar acutum è domo sublimi verticem ferire, & priusquam ad ætatem virilem pervenerat, amisso patre, in extremâ paupertate fuisse, adeo ut Ephemerides scribendo familiam aleret, calumniis, litibus, insidiis tam vitæ quàm famæ semper obrui, aleatoribus vulnerari, dolo & venenis tentari, somniis & inanibus portentis perterreri, quicquid ambiverit fere semper cum dedecore repelli, extremáque senectute in carcerem detrudi. At totius

tius vitæ tragœdiam perfecit miſerabilis filii primogeniti Joannis Baptiſtæ exitus, qui in ipſo ætatis flore ob venenum uxori exhibitum publico judicio ſecuri percuſſus eſt. Hinc lacrymæ, hinc dolores, tantum vulnus nec ferre nec ſanare poterat, ſed omnem fælicitatem deſperans intolerabili miſeriæ ſuccubuit. Quanquam enim ſecus naturâ ferreus fuerat, ac omnibus adverſis ſuperior futurus, hoc tamen caſu penitus fractum & obrutum ſe eſſe ſenſit. *Hoc*, inquit, *primum & maximum infortunium, per quod neque retineri honeſtè poteram, neque ſine causâ dimitti, nec tutò habitare in patriâ, nec eam ſecurè relinquere poteram; deſpectus obambulabam urbem, contemptus converſabar, ingratus devitabam amicos, quid agerem non occurrebat, quo me conferrem non habebam, neſcio an infælicior an odioſior.* Atque hujus tam triſtis casûs memoria ſpectri ad inſtar homini infæliciſſimo ſemper obverſabatur, hinc toties támque importunè in ſcriptis omnibus caſum iſtum collacrymavit. Et quoties in filii mentionem incidit (quod ſæpius cùm de re prorſus alienâ agitur inopinatò egit) nimium ſe ſui nequaquam compotem eſſe oſtendit, & quidem niſi hominis infæliciſſimi miſereret, cuique profectò riſum moveret, cùm seriò narret quemadmodum ſomnum recuperaſſet, poſtquam perpetuis vigiliis ob dolorem fere inſaniret. Cùm ſcilicet dolore obrutus in lectulum ſe præcipitaverat, *ſtatim abripuit ſomnus, & ſubitò appropinquantem viſus eſt vocem ex tenebris audire, quam neque cujus eſſet, nec quis eſſet dignoſcere* (inquit) *potui ob tenebras; dicebat enim illa*, Quid quereris, ſeu quid doles? *Nec expectatò reſponſo ſubjecit*, De Filii morte? *Cui ego*, An dubitas? *Tum is reſpondit*, Lapidem quem collo ſuſpenſum habes, in os impone, & quamdiu habebis, filii non recordaberis; *& ſomno illico ſolutus, cogitabam quid ſmaragdo cum oblivione? ſed poſtquam nulla erat alia evadendi ſpes, recordatus verbi illius* credidit in ſpem præter ſpem & reputatum eſt ei in juſtitiam (*de Abrahamo loquentis*) *impoſui lapidem, & ecce quod ſupra fidem omnem eſt, ſtatim ita omnium, quæ ad filii memoriam pertinebant, obliviſcebar.* Quis hominem qui talia aut crederet aut credidiſſe ſe diceret prorſus inſanire dubitaret, aut ſi inſanierit, vitio vertendum eſſe quis quæſo exiſtimaret, neque re quâpiam Cardanum quàm vehementiſſimo adverſus liberos affectu

Cap. 43.

fectu laudandum esse puto, atque eum in hoc valde sempérque amavi, præsertim verò quòd fælicitatem summam quæ in vitâ humanâ haberi potest, liberorum amore quærendam esse statuerit, quo solo maximum præclaræ indolis signum dedisse visus est; si enim benevolentiâ & charitate divinius nihil sit, divinissima ista sit necesse est, quæ tam charâ naturæ necessitudine allicitur, & cùm mutuæ inter homines justitiæ caput sit amicitia inter parentes & liberos, eam eo vinculo conglutinari voluit optima numinis providentia, quod nemo dissuere possit nisi prius vim suæ naturæ fecerit. Si verò tam vehemens sit in universo hominum genere divinus iste affectus, si in Cardano tam singulari ardore flagravit, si denique in charissimi filii casu tam miserabilem exitum habuit, parvi est ut insaniat nisi lapis fiat, saltem cùm tanto luctu opprimatur, qui tot alias dementiæ causas secutus est, ut ab eâ horâ sui compos sit expectare non omnino debeamus. Si quid itaque flagitiosius scripsit, homini inquam ut insanienti cuivis, condonandum esse. Alioqui enim in omni Philosophiæ genere tam piè philosophatus est ut philosophorum nemo religiosiús. In scriptis quæ ad mores spectant, Religionem vitæque futuræ spem unicum vitæ beatæ fundum esse statuit, ubique clamat nullam mortalium nisi à morte fælicitatem esse, neminem nisi qui eam præstolatus fuerit, fælicem esse; quemque, cùm certissima sit, si fælix esse velit, noctes atque dies præstolari oportere, & si eâ quâ oportet fiduciâ præstoletur, summâ semper fælicitate, quibuscunque conflictetur calamitatibus gaudere; denique hoc uno momento res humanas stare, si summæ numinis providentiæ curæ simus, post funera neque ante fælices fore, sin aliàs, nunquam nasci præstare, & propterea cùm nisi illius consilio in hanc vitam nasci non posse liqueat, quin in alteram naturi simus prudenti cuivis dubitare non licebit. Talia ubique legas in libris de optimo vitæ genere, de consolatione, de vitâ propriâ, in memoriali, in promptuario, quos cum paucis aliis ipse optaret solos è suis superesse. Denique in ipso extremo Tragœdiæ actu, cùm omnes vitæ anteactæ ærumnas enumeraverat, interroganti annon vixisse pigeat, fælicissimum se semper esse clamat, quòd in miserâ hâc mortalitate naturam suam divinæ immortalitatis participem certò esse noverit,

Cap. 46.

noverit, & quidem tam geſtienti animi affectu & ardore de vitâ futurâ ſemper loquitur, ut haud quemvis alium legiſſe meminerim qui eam aut conſtantiùs credere, aut ad eam acriùs anhelare videatur: In Phyſicis Deo omnium Authore ſemper uſus eſt, atque rerum naturæ rationes à finibus quos ipſe in mundo condendo habuit, inveſtigandas eſſe voluit, quos itaque ipſe complures invenit & expoſuit, potiſſimùm de terræ ſitu, de mari, de ejuſdem magnitudine, æſtu, ſalſedine, de fontium & fluminum ortu, aliiſque quæ ad orbem hunc noſtrum pertinent Phænomenis, quorum varios uſus primum inveniendo, cauſas phyſicas quæ iis aſſequendis inſtitutæ ſunt, quodammodo explicavit; & quidem eo præditus erat animi acumine, ut magnus Philoſophus fuiſſet, ſi Peripateticus non eſſe auſus fuiſſet. Et denique in Aſtrologicis quanquam tantam aſtris vim aſcribi voluit, Aſtra tamen numinis providentiæ ſubjecit, neque iis tanquam cauſis principibus uſus eſt, ſed tanquam primæ miniſtris, & tam vana ubique, cùm in aſtrologiâ ſuâ tum in cæteris ſuis inanibus diſciplinis, de Deo, divinâque providentiâ commentatus eſt, ut quicunque legat non omnino Atheum ſed totum Fanaticum fuiſſe concluſerit. Cùm itaque tam parvæ ſint hujus turpiſſimæ ſuſpicionis ſcintillæ, cúmque è contra tam validæ rationes quæ eidem adverſentur, ne quæſo immenſo miſeriarum cumulo hanc impietatis accumulemus infamiam, ſed potius viri eruditi, quo nemo nec ipſe qui in fabulis Philoctetus infælicius vixit, triſte fatum doleamus.

SECT. XXVI. Hunc ſecutus eſt aut ſaltem ſequi ſe putavit Lucilius Vaninus; quanquam quid vellet vix ipſe novit hominum vaferrimus, neque ſanè tenui iſto Sophiſtâ quævis hominum ætas virum peperit qui tantâ de ſe opinione & ſcientiæ oſtentatione, minùs intellexit; & quid mirum, cùm quâvis conditione Heros fieri arderet vir pedaneus? Et quidem tam impotenti gloriolæ deſiderio ſemper exarſit, ut ſibi nunquam temperare poſſet, quin inſolentiſſimè de ſe ipſe ubique gloriaretur. Ipſam dedicatoriam Epiſtolam quam Illuſtriſſimo Baſſompetro inſcripſit, cùm patroni laudes celebrare debuerat, à putidiſſimâ ſui ipſius admiratione exorſus eſt; & cum pecuniolas emendicando concluſe-

cluserit, quo uberiùs viri munificentissimi liberalitatem evocaret, ei, nominis, solùm quod suo libro inscriptum erat, æternitatem pollicetur. Cujus promissi fidejussores mox affert Poetam & Typographum. Atque in ipsis Dialogis, quanquam Lucilii nomen à sacro fonte acceperat, sibi tamen Julii Cæsaris imposuit, neque cum quovis nisi ipso Alexandro sermonem habere dignatus est, quem tamen tam immensis laudibus se cumulare fecit, ut si in ipsâ Julii Cæsaris sellâ aureâ sedisset, ampliores ab adulatoribus suis tribuendas esse non expectaret. Cùm enim Dialogorum scriptoribus proprium acumen laudare detur, quatenus personis in quas sermo distributus est se invicem laudare liceat: Se tamen non aliis laudibus efferre decet, quàm quales viros eruditos sibi invicem urbanitatis jure tribuere oportet: Hic autem se ubique tam immodicis laudibus ornavit, ut modestus nemo in vita civili cùm de se dici audiverit, sine rubore audire debeat. Quanto adulationis apparatu ad disputandum eum pellexit Alexander. Tu (inquit) absque controversiâ de quâcunque scientiâ optimè mereris: Tibi lectissimæ non desunt observationes infinitæ penè lectionis, quas adhuc adolescentulus selegisti, adest ingenii vigor insignis, acerrimúmque judicium. Atque obtrectatorum fastidia tuis virtutibus multò minora esse jam eruditi viri intelligunt; quid quæris, quid exoptas amplius? Plus es apud sapientum judicia consecutus laudis, quàm ut ne tantillum quidem bonæ famæ per Aristarchorum detractionem, & semidoctorum censorum malevolam invidentiam amittere tibi sit periculum: habes quod perpaucis bonis viris contigit, clarum nomen apud proceres. Quibus blanditiis & assentationibus delinitus tandem ad colloquendum exoratur, atque dulcibus hujusmodi illecebris, animum, si quando fatiscat, semper erigit, atque adeo se celebrando pergit, dum tandem ut exorsus est concluserit. *Dii tibi Nestoreos pro literarum reipub. emolumento dies impertiant: vix trigesimum nunc attigisti annum, & tot præclara eruditionis monumenta admirabili cum laude edidisti.* Quanquam autem sibi semper placere voluit, nunquam tamen suaviùs se titillasse visus est quàm Dialogo 55. ubi ut *Thomas Morus* inquit, *Qui cùm Erasmum ignoto habitu acutissimè disserentem excepisset, vel Dæmon*

[Margin: Dial. 1. — Dial. ult.]

*Dæmon es vel Erasmus dixit, ita de tuâ sapientiâ eloquar, vel Deus es vel Vaninus.* Dignus profectò homo qui uni Deo rerum omnium scientiâ par sit aut secundus. Quid autem est quod docuit hic secundùm Deum sapientum princeps? Duo præcipuè argumenta tractavit, Naturam & Religionem. De naturâ autem cùm vix quicquam supra scholasticorum Peripatismum & qualitatum Philosophiam sapuerit, nihil quod aut scitu aut quidem refutatu dignum sit, attulit. Et quidem tam crassa & insulsa sunt quæ in Physicis scripsit, ut equidem fatear in legendo ab initio ad finem, etiamsi sæpe conatus sum, perseverare nunquam potuisse. Quanquam id in eo singulare deprehendi, quod cum acerrimus sit Aristotelis sectator, adeo ut aut *Philosophorum Deum*, aut quem Deo proximum habuit, *Pontificem maximum* habuerit, ei tamen ubiq; acerrimè adversetur, eúmq; omni ferè quæstione studiosissimè redarguat. Quod quo instituto fieri potuit nisi ut hominum sapientissimo sapientior ipse videretur? Nisi potius cùm *Deum* & *summum Pontificem* appellaverit, ei eâ de causâ illudendum esse putaret, cùm id unicum cordi habuerit ut omnem religionem, potissimùm quæ patriis legibus instituta sit, contumeliis insequatur. Quanquam verò magistro in multis, quæ non admodum magni momenti sint, recalcitravit, eum tamen in maximis effatis, satis fidè & accuratè secutus est, cùm abacto Deo Deam quandam summâ rerum potiri vellet. Quatenus admiranda providentiæ divinæ arcana naturæ Reginæ Deæque mortalium attribuat. Si verò natura ista intellectrix fuerit, perinde est Deus an Dea nuncupetur, si non, nihil aliud est quàm temeritas & fortuna. Atqui cùm ipse Aristotelis naturam intellexerit, ista quid sine Providentiâ possit, postea, cùm de ipso Aristotele dicemus, quo uno discipuli omnes abundè refellentur. In Religione huc usque Cardani vestigiis institisse fateor, quod fabulis astrologicis nimium tribueret, quanquam quod Cardanus stultè & incautè, ipse quantum poterat vir minime facetus, impiè & callidè fecit. Cùm itaque Cardanus Religionum ortus & interitus stellarum opus esse statuerit, quòd summum numen in omnibus suis operibus earum ministerio usum fuisse ex animo crediderat, hic mordaci sale, ut putat, in omnis Religionis, speciatim fidei Christianæ opprobri-

Dial. 52. probrium ubique & ad nauſeam uſque inſinuare geſtit. *Quælibet* (inquit) *Religio in ſui ortu & interitu, non in medio miracula oſtentat, cujus rei ratio illa eſt, quia in longiſſimis temporis intervallis potentiſſimæ intercedunt Planetarum conjunctiones, quo tempore novam religionem inſtitui ac proinde ceſſare veterem clariſſimis experimentis aſtronomi comprobant, & ego validiſſimâ ratione: ea eſt, quia ex magnis ſiderum conjunctionibus, inferiora hæc ſummam cùm nanciſcantur poteſtatem, admiranda opera proferunt, inſuper hominum voluntates tum immutantur: Phantaſia, quâ intellectus voluntatis conſiliarius utitur, cœlo ſubjicitur: Quare vir ſapiens ſacros æterni nominis honores appetens, cùm hæc futura prævidet, Prophetam à Deo miſſum ſe prædicat, quæque neceſſariâ cœleſtium corporum vi miracula fiunt, conficta ſui ipſius omnipotentiæ adſcribit, atque ita deluſa plebecula illum admiratur & adorat: ſanè ea miracula vocitantur, quæ poſt longiſſimas cœlorum circuitiones accedunt, non quæ naturæ vires exuperant.* Quo fieri comprobare pergit, ut eadem cœleſtium vis quæ uno tempore religionem Ethnicam peperit, quæque alio mutatâ cœleſtium diſpoſitione legem Chriſtianam, alias novas religionis rationes certis annorum intervallis ranunculorum ad inſtar procreatura ſit, donec tandem antiqua iſta Ethnicorum ſuperſtitio, aſtris ad eandem poſituram redeuntibus, eâdem neceſſitate quâ periit redintegretur. Et ne miracula Domini noſtri Jeſu Chriſti divinâ quavis potentiâ facta eſſe credamus, quicquid mentiti ſunt Plinius, Albertus Magnus, aliíque omnes graviſſimi mendaciorum ſcriptores, non modo credendum eſſe perſuaderet, ſed quemadmodum fiat aut intelligentiarum, aut imaginationis viribus expoſuit. Sic Oracula, Sibyllarum vaticinia, ſacrarum apud Ethnicos imaginum reſponſa, auguria, mirabiles valetudinum curationes, mortuorum reſurrectiones, mechanicè contigiſſe multis & prolixis diſputationibus demonſtravit. Quid autem iſte mechanicè explicare deſperet, qui quemadmodum acies in aere ſolâ aciei in terrâ reflectione apparuerint explicare non diffidat? Aut quemadmodum juvenes ſolo oculorum intuitu puellis amorem afflare poſſint, non aliter quàm perdices (ut refert Plinius) ſupervolantium afflatu concipiunt. Aut quemadmodum *Cyppus, qui poſtea electus eſt Rex Italiæ, dum Tauro-*

Dial. 51.

Dial. 59.

Dial. 57.

*Taurorum pugnam vehementiùs admirans meditaretur, in illâ curâ obdormiens, manè corniger repertus sit, non aliunde quàm virtute vegetativâ vehementi imaginatione stimulatâ, humores in caput elevante, ex quibus informatrix virtus imaginativæ facultatis ancilla cornua effinxit.* Aut quemadmodum Pharaonis Magi ranas vehementissimè appetendo consimilem in salivâ saporem reddiderunt, quæ in terrâ projecta ranunculos produxit. Aut denique quemadmodum omnia fascinationis & necromantiæ portenta eodem spirituum mechanismo atque affectuum naturalium quique motus perficiatur, v. g. sit vetula quævis, quæ crudis frugibus vescatur, cœmeteria frequentet, cadavera tractet, limosis casulis, aut sub nucum arboribus, unde ob frondes crassas vapores à sole attrahi nequeunt, noctu immoretur; ista, inquit, cùm teterrimos anhelitus spiret necesse sit, si quando irâ, odio aut invidiâ accendatur, ferit quem cupit, præsertim pueros & infantes, quorum caro tenella cùm sit, faciliùs quosque vapores intus accipit, atque ita fœtidis istis effluviis, quæ venefica tunc vehementiùs ejaculatur, correpti, in omnes istos fascinationis affectus incidunt quos plebecula dæmonum auxilio imprimi opinatur. Atque ista si fortè per segetes transeat, quosdam tetro anhelitu suo fascinabit, hæ fascino corruptæ proximas, istæ alias, donec invalescente putredine totus ager contabescat. Immo naturali hâc suâ magiâ quemadmodum Eutelidas se in flumine conspiciens seipsum fascinare potuit, scitè exposuisse se putat, *quòd nempe suæ formæ amore captus, cùm voti compotem fieri se desperaret, in ægritudinem lapsus est, atque ita ægri facti sunt spiritus, hi autem vibrati in imaginem quæ in aquâ erat, ab eâ repercussi suum lædebant Authorem,* Mechanica profectò Philosophia! Et aut Philosophorum Deo digna aut Vanino!

Dial. 59.

Atqui verò præter egregios hosce mechanismi conatus suspiciones quasdam in fidei Christianæ opprobrium insinuavit vir facetus; at tam insulsæ & portentosæ sunt, ut nemo certè tam excors esse possit, qui cuiquam faciliùs non assentiret, quàm assensum ob fabulas tam ineptas cohiberet. Quàm subtili naso B. Jesu calliditatem suspectam habet, quòd Antichristum, qui idem hominum scelestissimus foret, venturum prædixerit, ut si quis postea decretis, quæ ipse docuerat, contra-

contraveniret, discipuli, anticipatione istâ quâ ipsos imbuerant, Antichristum crederent, atque propterea odio haberent. Quàm politicam vafritiem in divo Paulo invenit, quòd maritos ut uxores diligant monuerit, quemadmodum dilexit Christus Ecclesiam; ut cùm mulieres Christum optimum conjugem existimarent, ejus ideam menti imprimerent, mens spiritibus, spiritus semini, semen fœtui, adeo ut vi imaginatricis facultatis Christiani quodammodo nascantur, non aliter quàm fœmina quædam apud Petram Sanctam, oppidum in Pisanis confinibus situm, natam peperit toto corpore feræ instar hirsutam, quòd dum conciperet, D. Johannis Baptistæ imaginem, quæ ad lectulum erat, conspexit. At tam malevolæ, támque petulanti malitiâ fictæ sunt hujusmodi suspiciones, ut nemo tam integer animi, aut alienus à fraude esse possit, quem iisdem calumniari non liceret, atque igitur cùm cuivis sive innocenti sive reo eadem objectari poterant, nullâ aliâ defensione dilui opus est, quàm ut calumniam & maledicendi voluntatem viro impudenti exprobremus. Ne verò quicquam de vafrâ istâ suspicione dicam, quâ humanissimum S. Pauli monitum calumniaretur, cùm tam insulsa sit, ut ne quidem ipse fecerat, nisi quòd occasionem obscœnè scribendi dederit, in quem locum ubique quicquid argumenti tractat, quasi effræni naturæ impetu abreptus non tam delabi quàm præcipitare videtur. Nihil de divino nostro legislatore dicere opus est, nisi quòd cùm optimam legem benigniores quasque virtutes humano generi imperando se tulisse noverat, novit quoque quale sit humanum genus, improbos semper nasci & naturos, quos nulla legis sanctitas ab impietatis instituto coercere potest; hos itaque futuros vidit, atque cùm ipse suis omnibus simplicitatem summámque charitatem jusserat, aliis sub istâ innocentiæ larvâ fraudem facturos, séque flagitiis omnibus contaminaturos. Ab his si suos summo integritatis amore cavere moneat, en nasutus Sophista, qui tam prudenti támque pio consilio manifestam astutiam imputaverit. At justas stultitiæ suæ pariter & impietatis pœnas dedit, suíque exemplo alios si minus sæsapere, saltem silere docuit. Cùm verò varia de homine narrentur & sint (quòd maleferiatis semper & ubique usu venire novimus, ut quicquid publicâ authoritate fiat calumnientur)

entur) qui in juvenum aures insusurrant, imperitos quosdam & ex officinâ delectos judices virum eruditum, quòd quædam sapuerit quæ Plebs Catholica Oppidi Tolosani nunquam antea audiverat, summâ cum eruditionis injuriâ percussisse, & cùm quid sit Philosophia nescriverint ipsi, doctiorem quemque aut impium, aut hæreticum, aut veneficum haberent. En itaque brevis illius historia & descriptio, quam à viro cùm gravi tum docto, qui eum probè novit, omníque judicii actioni interfuit, accepimus. Atque sic ille.

Gab. Barthol. Gramond Historiarum Galliæ ab excessu Henrici quarti, lib. 3.

Iisdem ferme diebus Parlamenti Tolosani placito damnatur Lucilius Vaninus, apud plerosque pro hæresiarchâ habitus, mihi pro Atheo: neque enim hæresiarcha qui Deum negat: medicinæ in speciem professor erat, re seductor incautæ juventutis. Illi in irrisum sacra & religiosa; Christi humanitatem execrabatur, Deum ignorabat, sorte omnia fieri existimabat; naturam pro matre optimâ & omnium autrice adorabat, ut dici posset ex multis unus error, quem pervicaciter profitebatur Tolosæ, loco sancto. Et ut novis allicimur, præcipuè dum calescit primâ adolescentiâ sanguis, statim errorum sequaces habuit non paucos ex iis quos schola recens dimiserat. Gente Italus, literarum rudimentis Romæ imbutus, Philosophiæ & Theologiæ incubuerat magnâ spe, cùm ad impia & sacrilega prolapsus sacrum sacerdotii characterem polluit libro infami, quem scripsit in hunc titulum, *De Arcanis naturæ*, quo non erubuit profiteri naturam omnium Deam. Ob crimen cujus in Italia reus erat, in Galliam profugus Tolosam venit. Non alibi in hæreses armantur severiùs leges, & quanquam Calvinistis fides publica edicto Nannetico debetur, qua mutuò nectimur habendis simul commerciis & unà administrandis rebus, nunquam se Tolosæ credidere Sectarii, quo fit ut una inter Galliæ urbes Tolosa immunis sit hæreticâ labe, nemine in civem admisso cujus sit suspecta sedi Apostolicæ fides. Delitescit Vaninus per tempus, donec illum libido in gloriam adigit, ut fidei Catholicæ arcana vulgaret in problemata primum, dein in irrisum. Statim altâ admiratione defigi adolescentes, quibus, inter nova, placent maximè quæ probantur paucis; mirari quæcunque diceret, imitari & sequi. Postulatus corruptæ per novum dogma juventutis in vincla conjicitur, Catholi-

Anno, 1619.

tholicúmque ſe orthodoxum mentitus, differt quam meruerat pœnam, jámque probatione ambigua dimittebatur: cùm Franconus (vir proſapiâ illuſtris, vel uno hoc indicio vitâ probiſſimus) negatum ſibi à Lucilio perſæpe Deum, datáque objicit in ludibrium fidei arcana Chriſtianæ: committitur reo teſtis & ſuſtinet, ſiſtitur Senatui audiendus de more reus; in ſella ſedet, rogatúſque de Deo quid ſentiat, reſpondet; *Coli ſibi in Trinitate unum qualem adorat Eccleſia Orthodoxa. Deum plane convincere naturam ipſam.* Hæc cùm diceret fortuitam è terrâ paleam legit, manúque ad judices protensâ, *Hæc* (inquit) *jubet ut credam Deum eſſe:* dein ad providentiam prolabi, *ut jactum in terram ſemen ut elanguiſſe viſum & mori, ut ex putrefacto albeſcit, ut viret & naſcitur ut ſenſim creſcit, ut adoleſcit rore matutino, ut luxuriat infuſâ largiùs deſuper aquâ, ut in ariſtas armatur prohibendis per ſpicula avibus, ut in ſtipulam erigitur & frondeſcit, ut flaveſcit provectiùs, demiſſóque ut ſupercilio languet, donec moritur: ut poſtmodum trituratur, ſeparatóque ut à paleâ fructu, grano homines, paleâ vivunt animantes uſui hominum debitæ;* unde concludebat Deum eſſe naturæ autorem: Quòd ſi id totum fieri à naturâ objicitur, regrediebatur ab hoc grano ad proximè antecedens in hunc modum: *Si id ſeminis natura produxit, quis immediatè proximum? ſi & illi debita ex natura proceſſio, quis antecedens? donec ad primum veniret, quod neceſſarium eſt fuiſſe creatum, cùm non eſſet à quo produceretur; naturam creationis incapacem eſſe probabat multis; ergo Deus eſt Creator omnium.* Hæc Lucilius in oſtentationem doctrinæ, aut metu magis, quàm ex conſcientiâ. At enim quia probationibus planè convincebatur, ſolenni placito poſt exactum in lite inſtruendâ ſemeſtre, capitali judicio condemnatur. Vidi ego (dum plauſtro per ora vulgi traducitur) illudentem Theologo è Franciſcanis, cujus cura erat mollire ferocitatem animi obſtinati. Fruſtraneum eſt viro deſperato ſubſidium quod momento tranſfigitur: ſatius foret ſtata temporum intervalla concedi condemnatis, quo vomitis irâ & ultione reſipiſcerent. Apud Gallos condemnato ſtatim innoteſcit ſententia, & dum implacidâ mortis imagine horreſcit totus, rapitur in patibulum: Meliùs Hiſpani & reliqui Europæi, qui temporum ſpatia concedunt

dunt condemnatis quantum ſatis molliendo mortis horrori, abluendíſque per pœnitentiam meditatâ confeſſione noxis. Lucilius ferocitate contumax dum in patibulum trahitur monachi ſolatium aſpernatus, objectam Crucem averſatur, Chriſtóque illudit in hæc eadem verba; *Illi in extremis præ timore imbellis ſudor, ego imperterritus morior.* Falsò ſanè imperterritum ſe dixit ſceleſtus homo, quem vidimus dejectum animo, philoſophiâ uti peſſimè cujus ſe mentiebatur profeſſorem. Erat illi in extremis aſpectus ferox & horridus, inquieta mens, anxium quodcunque loquebatur; & quanquam philoſophicè mori ſe clamabat identidem, finiiſſe ut brutum nemo negaverit. Antequam rogo ſubderetur ignis, juſſus ſacrilegam linguam cultro ſubmittere, negat, neque exerit niſi forcipum vi, apprehenſam carnifex ferro abſcindit; non aliàs vociferatio horridior, diceres mugire ictum bovem, reliqua abſumpſit ignis; in aerem ſparſi cineres. Hic Lucilii Vanini finis, cui quanta conſtantia fuerit, probat belluinus in morte clamor. Vidi ego in cuſtodiâ, vidi in patibulo, videram antequam ſubiret vincula: flagitioſus in libertate, & voluptatum ſectator avidus, in carcere Catholicus, in extremis omni philoſophiæ præſidio deſtitutus, amens moritur: Vivens arcana naturæ ſectabatur, Medicúmque ſapiebat, magis quàm Theologum, quanquam pro Theologo audiri amabat: capta cum ipſo ſupellex omnis, inventúſque incluſus vaſe cryſtallino immanis inter aquas bufo: objicientibus veneficium, reſpondit ex vivo bufone poſtquam ad ignem liquatus fuerit, malo remedium eſſe aliàs lethali. In carcere ſacramentis frequenter utebatur, diſſimulans aſtutè conſcientiam, ubi videt ereptam ſpem vitæ, larvam exuit, qualíſque vixerat moritur.

Apta & acuta ſanè Athei cujuſque deſcriptio; homo ſcilicet mediocris & ingenii & eruditionis, quocunque vagari contigit, oppidanos primum obſcuris ſuis gurguſtiis, ne nimium Sacerdotum fraudibus ſe falli patiantur, à ſuæ urbis Religione cavere monet; iſti, & potiſſimùm adoleſcentes, qui ignavi è ſcholâ nuper prodierant, hominis ingenium deprædicare, & pluſquam aut Eccleſiæ aut reipublicæ authoritatem quam antea ſuſpiciebant, mirari. Quâ illuſtri gloriâ ad uſque ſidera elatus jámque, heros factus, impia ſua dogma-

dogmata palàm & ubique in publicum exhalare pergit; donec forte ad legum publicæque incolumitatis custodes sui famam pervenisse fecerit, qui quamprimùm suâ authoritate uti exorsi sunt, ne in culpæ periculum ipse veniat, omnia quæ docuerat, ejurando se subductum iri putat. Cùm verò subduci se non posse videat, indecoram & belluinam quandam fortitudinem ad extrema usque induere & simulare conatur.

Cujus admiratione quanquam abripi etiam se simulant sui sequaces, tristi tamen ejusdem exemplo prudentiores facti, opinionis defensione, quam jam antea ardenter tueri susceperant, se prorsus exuunt. Quem hîc exitum sua in Vanino impietas habuit, cujus causam discipuli omnes, cùm magistrum ad flammas raptum viderunt, deseruere, nisi quòd *Theophilus*, magistro dignus discipulus, in exilium missus fuerit, qui ut ab eodem authore traditur, cùm eruditione levi, promptâ in dicacitatem facundiâ, fertili maledictis ingenio fuerit, scripta sua omnia impietate & Venere deturpavit, quâ de causâ eodem anno in carcerem conjicitur, placitóque Lutetiani Parliamenti finibus Galliæ exactus, morbo non multò post extinguitur, cujus & Vanini supplicio funestæ istius pestis rabies deleta est; & si quos ab eo tempore corripuit, aut omnino delituêre, aut in publicum nisi aliquâ larvâ induti nunquam proficisci ausi fuere.

SECT. XXVII. Donec tandem infæliciori nostro seculo exortus est alter *Graius homo*, ipse *Malmsburiensis senex*, qui *Gargetticum* in omnibus secutus est, an casu an consultò nescio; hoc probè scio ipsum nihil nobis obtulisse, nisi quod apud veteres in Epicuro reprehensum inveniamus. Ut enim Epicurus omnia à Democrito surripuisse dicitur; ita Hobbius omnia Epicuri flagitia ingenti fastu tanquam sua recudit; atque ut nova videantur novis nominibus (quorum ille, ut sunt novatores omnes, egregius Artifex) appellare affectavit. Exemplo sit magnum istud & primum omnis suæ Philosophiæ moralis & civilis effatum; ut enim Epicurus *Voluptatem* ultimum cujusque finem esse statuit, ita hic eâdem vocabuli ambiguitate *sui Amorem*; at sicut ille solam corporis voluptatem, ita hic nil nisi corporis ejusdémque

mem-

membrorum amorem intellexit; sic enim ubique desinire placuit; quocunque igitur nomine appelletur, sive *voluptatis* sive *sui amoris*, eodem revolvitur; scilicet cum nullam *voluptatem* Epicurus, nullúmque *sui amorem* Hobbius agnoverit, nisi quæ ad corpus ejúsque membra referantur, quid sequitur nisi sapientem ejus solius curam habere, ejúsque gratiâ omnia agere, atque adeo ab utroque vitam belluinam induci? Si enim nihil habeat sapiens cujus curam habere aut debeat aut possit, præter corpus corporísque membra (quod cum brutis commune habet) non major erit in humani generis societate, quam in belluarum gregibus aut virtutis aut religionis usus. Verùm de his posteà, interim quid ipse docuerit, videamus. Et imprimis quod de Epicuro monuimus, idem quoque de Hobbio dicendum est, prima & præcipua philosophiæ ejus Axiomata in religionis ruinam duntaxat inventa fuisse; quæ cùm quàm impia & perniciosa sint ab aliis conclusum videret, ineptis & irridendis distinctionibus excusatum ivit; quo labore ut dogmatum suorum impietati nullum velamen obduxit, cùm adeo aperta & perspicua sit, ut nullis quibuscunque argutiis vel minimum obtegi potuerit, ita se ubique innumerabilibus contradictionum nodis illaqueavit, cùm semper contra quod intus sentiret & præcipuè vellet dicere, dicere coactus sit. Quod ut quàm brevissimè potero evincam, illum per eosdem cuniculos, per quos Epicurum sum secutus, sequar. Atque primùm omnem de numinis existentiâ certitudinem multò apertiori circuitione quàm Epicurus labefactavit, immo disertis propositionibus quemvis, quavis ratione in illius notitiam pervenire posse negavit; quòd scil. neque Argumentis neque Phantasmatis sciri possit: non Phantasmatis, *Quia infiniti phantasma nullum est, neque enim homo neque ulla alia res præterquam quæ ipsa infinita sit, infiniti conceptionem ullam habere potest.* Neque Argumentis, *Etsi enim ex eo quod nihil potest movere seipsum, satis rectè infertur primum aliquod esse movens, quod fuerit æternum, non tamen inferetur, id quod inferre solent, nempe æternum immobile, sed contrà, æternum motum; siquidem ut verum est nihil moveri à seipso, ita etiam verum est nihil moveri nisi à moto. Quæstio igitur de origine mundi non à Philosophis, sed ab iis qui ordinando Dei cultui legitimè præsunt determi-*

Physica, cap. 26.

*terminanda est, illos igitur qui mundi originem aliquam fuisse rationibus suis à rebus naturalibus demonstrâsse se jactitant laudare non possum, &c.* Quibus verbis non modo primam causam sive motûs principium esse è mundi ortu probari posse inficiatur, sed contra, primo motori adversari infert; siquidem nihil à seipso moveri possit, quicquid igitur movetur, non à se, sed ab altero moveri necesse est, atque idcirco tantum abesse à rebus naturalibus primam esse causam demonstrari, ut inde neque esse, neque omnino esse potuisse demonstretur. Cùm prima sit rerum omnium lex, ut nil, nisi extrorsùm moveatur, movere possit, ita ut primum movens sibi ipsi contradicat, si enim primum foret, seipsum moveret, quod cùm fieri non possit, sequitur nullum ejusdem esse posse principium, sed æternam fuisse moventium & motorum seriem, résque omnes eodem ordine quo moventur cæcâ & fatali materiæ necessitate moveri; atque ita à rebus naturalibus unicum Atheismi principium demonstrâsse suo more se putat Hobbius, nullum esse mundi opificem & rectorem, sed omnia quæcunque fiunt, solius materiæ necessitate fieri. Et quidem si Deum quendam agnovisset, talis foret, qui nullum cultum aut obsequium mereri potuisset, scilicet cùm ipse à se nihil agat, sed causarum exteriorum *Aggregato* ad efficiendum quicquid efficiat impellatur; si quid omnino bene agat, gratiæ illi non sunt omnino habendæ, sed potiùs causis antecedentibus, quæ istam necessitatem ipsi impresserunt; neque iis tamen, cùm ipsæ etiam ab aliis cogantur; neque quibusvis, cùm omnes & singulæ cæco & fortuito materiæ impetu moveantur. Venerandum numen! quod non majori potentiâ præditum sit quàm ventilogium aut veruversorium; quatenus in omni æternitate nihil aut egit aut agere potuit, nisi ab aliis causis extrorsùm impelleretur, non aliter quàm istarum Machinarum altera ponderum gravitate, altera ventorum flatu moveatur. Et hoc unicum in omni suâ Philosophiâ sategisse videtur Malmsburiensis, ut omnes quotquot videmus effectus, tum naturæ communis tum humanæ, solis materiæ viribus ascribantur. Unde in primâ Philosophiâ causam definiit, qòud sit *Aggregatum omnium accidentium, tum agentium quotquot sunt, tum patientis, quibus omnibus suppositis, intelligi non potest quin effectus sit unà productus*

Cap. 9.

*ductus, & supposito quòd unum eorum desit intelligi non potest quin effectus non sit productus.* Obscura quidem satis est definitio, tamen quid ipse velit nimis perspicuum, cùm idcirco adduxit ut demonstraret (quicquid enim dixerit demonstratum est) quæcunque producta vel erunt vel fuerunt necessitatem suam in rebus antecedentibus habuisse. Quo postea tanquam postulato utitur ad demonstrandum omnem deliberationem & volitionem à causis necessariis & extrorsùm impellentibus oriri, ita ut neque Deus, neque homo, neque quicquam aliud de re quâpiam deliberare, aut rem quampiam velle possint, nisi quatenus causarum exteriorum *Aggregato* & vi quâdam mechanicâ determinentur. Et propterea nullam rebus libertatem inesse voluit, nisi eam intelligamus facultatem non quidem volendi, sed quæ volunt faciendi, quæ libertas hominibus & brutis (inquit) æquè convenit, cùm quod velint agere non impediantur, quo pacto automatis etiam, immo ventis & imbribus perinde quoque conveniat. Si enim facultas faciendi necessariò voluntati obsequatur, si voluntas necessariò spirituum animalium impulsionem sequatur, si spiritus animales eò quo moveant objecti phantasmata impellantur, talis relinquitur in animalibus libertas, qualis in ventilogio dum vento eò flante in Austrum flectat. Hæc demonstratio ubique occurrit, & omni parti Philosophiæ tum primæ, tum physicæ, tum morali, tanquam firmissimum fundamentum substernitur.

Phys. cap. 25. sect. 13.

SECT. XXVIII. Quâ occasione quin Hobbii multò magis quàm Epicuri audaciam non possum non mirari. Hic enim sua effata sibi pro arbitratu sumpsit, suísque ut optima scientiæ vitæque beatæ principia reliquit. Hobbius autem sua dogmata non modo arripuit, sed hominum Generi procaciter imposuit, imo, (quid enim multa) omnia impudenter affirmando se demonstrare jactat. Ita nullam rerum primam causam esse, nullam rebus libertatem inesse, omnia causarum naturalium *Aggregato* mechanicè & necessariò fieri demonstrat, quoniam seipsum nihil movere potest; quod quem qui contra sentiret sibi daturum esse putat? si enim ita foret, quid opus est disputatione? id enim qui censeret, nunquam de sequentibus dubitaret; qui non censeret, nunquam

quam ejus gratiâ, iis assentire, cogi se pateretur, adeo ut quanquam sit ipsa res de quâ disceptetur, tamen ubique sibi rapit, & fit demonstratio, & quid magis perspicuum esse possit quàm rebus nullam facultatem se movendi inesse quòd nihil se movere possit, atque ita tandem & magno labore celeberrimus Europæ Mathematicus demonstravit, quòd nihil potest movere seipsum, quoniam seipsum nihil movere potest? En quàm modicè habitet Philosophia imò & modestè! Assurgant omnia Græciæ *phantasmata* ex Academiâ, è Stoâ, è Lyceo, immò etiam ex ipsis hortulis, genua flectant, capita aperiant, & gratias agant Malmsburiensi Thomæ, qui primus circulum quadrare, idémque ad idem redeundo geometricè demonstrare invenit. Altera egregia ejusdem demonstratio hæc est; nullam esse substantiam incorpoream, *Quoniam corpus & substantia idem significant, & proinde vox composita substantia incorporea est insignificans, æque ac si quis diceret corpus incorporeum*; Quod erat demonstrandum. Quàm valida quámque perspicua demonstratio, ut sufficiat quidem ad *regnum tenebrarum* evertendum! nemo enim est proculdubio qui substantiam incorpoream asseruit, quin nullam esse substantiam nisi corpoream censeat; quo dato, quis tantæ demonstrationi obluctari sustineat. Quid verò si quis non concesserit? Quid? *Phantasma* est, & Geometriam non intelligit. *Et si enim non omnia omnibus, omnia Geometris demonstravit.* At digito, non ratione. Ita si quid semel dixerit, demonstratum est, at si sæpiùs & *lacessitus* dixerit, quis adeo demens, desipiens, delirans, ut contra dicere audeat? Quis verò crederet, antequam Hobbius natus esset, omnem totius Europæ Theologiam, Philosophiam, Mathematicam, Politiam tam facilè è mundo abigi & exterreri potuisse? Ubicunque tamen apparuerit Thomas cùm suis definitionibus, avolant tanquam Dæmonia exorcismo perterrita. Sic ipse in tribus libri sui partibus prioribus, quæ Logicam, Philosophiam primam, & Physicam complectuntur, omnia ex definitionibus legitimè esse demonstrata gloriatur. Nempe primùm suas, quales placuit, cuilibet vocabulo significationes imponit, quas definitiones vocat: tum deinde quid mirum est si ex iis suas quoque, quales vult, demonstrationes efficiat? Atqui sane nemo lemurum

Leviath. c. 34.

Epist. ded. ad lib. de corpore.

Ibid.

est in *Regno Tenebrarum* quin isto pacto omnia sua *Phantasmata* demonstrare potuerit. Quid enim si definiat *Oberonem* significare omnium Regem, & *Papam* totius orbis Episcopum? Quid sequeretur clarè videt hominum perspicacissimus. At non rectè (inquiet) definirent lemures. Id quoque ipsi de eo queruntur; Quid igitur si urgerent, ut suas ipse etiam definitiones demonstraret? Profectò fieret & ipse *Phantasma*, quî enim Mathematico cuivis idem significare *corpus* & *substantiam* quâvis demonstratione confirmaret? At quidem sumptâ istâ definitione cuiquam (etiamsi Geometra non sit) magni laboris haud foret eandem esse substantiæ & corporis significationem demonstrare. Quis tam modestè Philosophiam *habitare* posse crederet, cùm summos penè omnes viros tanto fastidio ubique acceperit, ut tam inanibus Phantasmatis tantopere sibi placere potuisset? Hominis modesti fiduciam sæpius miratus fui, at in omni loco quo de incorporeo disserit, plane stupeo. Quis enim non stuperet, cùm omnium mortalium tantum intersit ut mentem à corpore distinctam habeant; cùm publicis religionibus omnino necessarium sit, rerúmque publicarum paci imprimis utile; cùm summi Philosophi rationibus ex omni Philosophiæ parte depromptis id demonstravisse se putarint; cùm denique firmissimâ ad unum omnium, tum doctorum tum indoctorum consensione ratum habeatur; Quis, inquam, non stupeat cùm hominem videat qui speret se hominum genus ab opinione, quæ tantas ubique radices egerit, nullâ physicâ ratione sed solùm fidenter contradicendo dimovere posse? Quanquam fortasse par fiduciæ specimen in tertiâ suâ demonstratione, quam disciplinæ civili tanquam fundamentum substravit, reperiemus; nihil scilicet aut justum aut injustum esse ante institutam civitatem, quoniam omnia licita sunt in statu naturæ, hoc est, in eo statu quo sunt extra societatem civilem. Jam rem prorsus demonstratam quis non videt? Immo quis hominis solertiam non miretur, qui tam crassâ circuitione quicquid velit demonstrandi methodum invenit? Cùm enim nullas esse aut Religionis aut virtutis leges, nisi quæ à summo cujusque civitatis imperio constituantur, stabilire vellet, hoc est, nullas omnino esse leges divinas: Id ut efficiat, quid agit vir facetus? Fingit statum quendam in

quo homines extra omnem societatem collocentur, atque in eo statu, quasi nullus sit Deus mundíve Rector, omnia licere, nihílque justum & injustum esse colligit, quòd nullis legibus coerceantur, è quibus quàm planè demonstratur, nullas esse boni malíque regulas nisi quæ à publicis legibus sanciantur? Certe nullæ sunt si nullæ sint. Atqui etiamsi homines extra societatem civilem fingantur, quis quæso in tali statu positos nullis legibus obnoxios esse daret, cùm in eo statu leges divinæ superessent; si enim Deus omnino fuerit, ejus imperio in omni vitæ conditione subjici necesse est, sique ullas leges sanxerit, sive intra, sive extra societatem civilem fuerimus suâ solius authoritate validas quoque esse. Et proinde nullus fingi potest naturæ status in quo omnia omnibus facere liceat; cùm in eo non minus quàm quovis alio Dei legibus teneantur. Quàm autem ineptè in suâ sententiâ aut tuendâ aut excusandâ se gessit Hobbius, postea dicemus; interim è paucis istis quæ diximus, satis perspicuum est nihil eum demonstrare, sed solum quicquid demonstrâsse se jactat, impudenter sibi arripuisse. Quo evicto licebit eò unde divagati sumus redire, ut scil. quid de numinis existentiâ reverà censuerit, investigemus. Cùm igitur nullam esse causam primam, nihil se aut quicquam aliud movere, nisi ab alio quopiam moveatur, omniáque causarum naturalium aggregato fieri demonstraverit; hoc est, postquam nullum omnino Deum aut esse, aut esse posse docuit, pergit vir admodum profectò liberalis explorare quî in certam numinis notitiam devenire possimus, scil. scripturarum revelatione, more patrio, legúmque reverentiâ. Quî verò revelatione? cùm (ut ipse novit) alteri factam nisi novâ cuique factâ scire nequeamus, & propterea nullum obsequium scripturis deberi ipse voluit, nisi quatenus pro legibus haberi jusserit Civitas. Atque ita omnis à scripturis detrahitur autoritas vel in legum reverentiam penitus devolvatur. Et magna quidem est, quam legibus concedit, reverentia: etsi enim demonstraverat egregius Mathematicus nullum posse esse Deum, tamen quia Deum credere exigunt mos patrius regníque leges, nefas putat contra disputare. Quanta legum authoritas, quæ demonstrationes silere jubeat! Atqui tamen etiamsi jusserint, non Deum credere

Phys. cap. 26.

Leviath. c. 26.

Ibid.

dere sed solùm dicere obligarent, cùm ut civitati obediamus, non ut credamus obligemur. En quò tandem pietatis deducatur Hobbiana Religio, ut quanquam Deum non esse sciat, neque omnino esse credat, tamen quia sic imperant leges mehercule esse dicendum est. O virum sanctum, qui numinis majestatem esse solùm fatearis, ne si negaveris, luas capitis supplicio! Cùm igitur tam apertè negaveris; quid merearis, de te ipse judices. Et quanquam non disertis verbis omnem Religionem sustulerat, tamen cùm nullam esse dicit, nisi quatenus legibus jubeatur, omnino nullam esse dicit, cùm omnem præter humanam autoritatem tollat; at si nulla alia fuerit, quorsum est de Deo aut religione ulteriùs disputare? Quid enim Deus est, sublato ejus imperio; aut religio, sublatis Dei legibus? Nil sanè ipse Deus nisi regni tenebrarum princeps, aut religio nisi *Phantasma*, ita ut si cives suos civitas jusserit Deum non esse dicere, non esse dicere, nisi perduellionis crimine teneri se velint, obligarentur.

SECT. XXIX. At sit Deus, dicat tamen qualis sit, cujúsque substantiæ: an incorporeæ? Id dicat, qui *corpus incorporeum* diceret; at *filius lucis* nollet se adeo excordem & phreneticum esse censeamus qui tam anilibus phantasmatis sibi imponi patiatur. An itaque corporeæ naturæ esse concedet? nullo modo; si enim corpus fuerit, aut universum, aut universi partem esse necesse erit; cùm nihil aliud esse velit, præter universum & universi partes, atque universum esse aggregatum omnium corporum, nullámque habere partem, quæ non sit etiam corpus, si itaque Deus corpus fuerit, aut erit ipsum omnium corporum aggregatum, vel pars aggregati. At neutrum dabit Hobbius: *Cùm qui ipsum mundum vel mundi partem dixerint esse Deum, omnino esse negant: nam per nomen illud* Deus, *intelligitur mundi causa; dicentes autem mundum esse Deum, dicunt nullam esse ejus causam, hoc est, Deum non esse.* In Philosophiâ primâ & physicâ demonstraverat nullam mundi causam esse potuisse, sed omnia æternâ motûs successione in corporum aggregato evenire. At nunc nisi sit mundi causa, nullum esse Deum quis dubitarit? Quàm bellè in eodem cerebro conveniant hæc Phantasmata! Neque quis *Geometram* excuset, hæc ab illo oscitanter &

Leviath. c. 34.

& inconsultò excidisse, cùm fieri potuisset ut in tanto locorum intervallo tantáque scriptorum varietate quædam quæ secum invicem pugnare videantur, fortuitò exciderent. Non enim id facimus, ut in quot quantasque contradictiones inciderit, comprobemus; quanquam & id in viro omnium demonstratore minus ferendum est; neque ut è loci unius & alterius, aut paucorum autoritate accusemus; sed ut quid seriò censuerit è totâ disciplinæ ratione eliciamus. Cùm igitur ubique & in omni ferè paginâ id maxime & quidem unicè sudaverit, ut omnia quæ quoquo modo fiant & accidant, solo corporum motu exoriri, & præter ipsa corpora, nullam aliam primam esse causam stabiliret, cúmque nullam esse substantiam quæ corporum aggregato non contineatur, voluerit; cùm denique nec ipsum aggregatum nec aliquam ipsius partem Deum esse concesserit, quid est quod diutius se Atheum non esse contendat? Et quidem etiamsi corpori cuicunque numinis naturam ipse non planè negasset, negare non opus esset, cùm nullum corpus internâ vi aut cogitandi, aut se movendi præditum esse voluerit; at tale numen adhibere quod nihil omnino agat aut agere possit, nisi quatenus eodem modo quo mechanica omnia moveantur, externo corporum impetu impellatur; non est numen sed machinam in cœlo collocare. At cùm postquam naturam omnem incorpoream sustulisset, expresè quoque corpoream Deo abnegaverit, quid vellet satis (opinor) conclusum est. Atque hoc loco etiam apertius, aut lusisse, aut hallucinatus fuisse videtur Hobbius quàm Epicurus; cùm hic postquam Deum, nec corpus, nec incorporeum esse dixerit, suæ impietati fucum quendam obduxit *quasi corpus* dicendo; at Hobbius postquam eadem apertè dixerat, neque ullis præstigiis sententiæ audaciam occultare operæ pretium duxit, nihílque sæpius lacessitus affert quo se tueatur nisi quòd Deum esse corpus ante eum affirmaverit *Tertullianus*. At quid si idem Tertullianus, postquam affirmaverat Deum nihil esse nisi sit corpus, affirmaverat quoque neque esse corpus neque esse potuisse? Isto pacto quî se tuâ dialecticâ excusatum haberet, si in Atheismi crimen vocaretur? Immò quid si Tertullianus Deum tale corpus esse definiverat, quod nullâ potentiâ aut facultate se vel quicquam aliud movendi præditum foret, nisi

Append. ad Leviath.

ſi quatenus extrorſum idque vi mechanicâ moveatur? ſi dixerat, nemo, credo, expectaret donec Deum quoque non eſſe diceret.

SECT. XXX. At ſublato numine mirari non oportet, ſi fidem, ſi juſtitiam, ſi omnes leges divinas ſuſtulerit. Quo tamen conatu ſuas vires præcipuè exercuiſſe videtur, & tandem effeciſſe maximè gloriatur. Cùm philoſophia civilis non antiquior ſit libro, quem de cive ipſe ſcripſit, in quo tamen nihil novi & non vulgare reperies, niſi omnia in naturæ ſtatu, hoc eſt, ſublatis legibus humanis, licere; unumquemque facere quæcunque & in quoſcunque libet ſine injuriâ poſſe; nihil eſſe juſtum aut injuſtum antequam homines aut propriis pactis aut reipublicæ legibus obſtringantur; atque hujuſmodi quidem principiis quid mirum ſi tantâ perſpicuitate nullas eſſe boni aut mali regulas demonſtraverit, niſi quæ ſummo cujuſque civitatis imperio inſtituantur? En quàm clarè quámque neceſſariò articulus articulo connectatur. Unicuique, inquit, in ſtatu naturæ jus eſt ſe conſervandi per Art. 7. Eſto; eidem ergo jus eſt omnibus uti mediis ad eum finem neceſſariis, per Art. 8. Id quoque; media autem neceſſaria ſunt, quæ ipſe talia eſſe judicabit, per Art. 9. Eidem ergo jus eſt omnia facere & poſſidere, quæ ipſe ad ſui conſervationem neceſſaria eſſe judicabit, verum ergo eſt in ſtatu merè naturali omnia facere omnibus licere. Vides quàm præclarè omnia cohæreant! Atque hâc methodo omnia demonſtrat Hobbius, præmiſſarum alteram ponit veram, falſam alteram, tum deinde ex utriſque, quaſi æquè certæ fuerant, concluſiones ſuas, quaſcunque libet, facillimè elicit. Atque ita unicuique in ſtatu naturæ (aut quocunque alio) jus eſſe ſe conſervandi, atque omnibus mediis ad eum finem neceſſaris utendi, quis quæſo adeo parcus, ut non concederet? Media autem omnia neceſſaria eſſe quæ ipſe talia judicabit, putátne quenquam qui aut Geometriam aut Dialecticam, aut quicquam aliud intellexerit omnino dare? quod ſi non detur, penitus abſciſſa eſt Hobbiana concluſio; ſin detur, concluſione opus non erat, & dixiſſe non demonſtrâſſe oportebat. O fælicem demonſtrationum architectum! cui quicquid probare vellet, ſuo jure ſumere liceat! demonſtra-

Ep. ded. ad lib. de corp.

ſtraret igitur id quod ſumit, quicquid quiſque in ſtatu naturæ ad finem neceſſarium judicabit, idcirco neceſſarium eſſe. An quia in ſtatu naturæ nemo errare poſſit? Immò errare poſſe, inquit, at non peccare, atque igitur media, quibuſcunque utatur, quanquam neceſſaria non ſint, licita eſſe. Quî vero id probet? quaſi quis, inquit, dubitarit, cùm in ſtatu naturæ nullis legibus obſtringatur: quanto conatu magnum nihil efficere poſſunt magna ingenia? cùm poſt tantum præmiſſarum, concluſionum, & demonſtrationum ſtrepitum eò tandem revolvimur quò orſi ſumus. Id enim ipſum eſt quod imprimis demonſtrare debuit, in ſtatu naturæ nullas eſſe naturæ leges, cùm eâ de re tota fiat diſputatio. Si enim nullæ ſint, quis dubitarit nullas omnino eſſe antequam humanæ ferantur; ſi ſint, an quenquam qui ita cenſuerit tam facilem eſſe putet Hobbius, ut ſibi concedat non eſſe; quod ſi non conceſſerit, iis non minus in ſtatu naturæ quàm civili obſtringimur. Omnes itaque qui Hobbianæ civitati bellum indicimus, naturæ leges naturæ Authore conditas eſſe dicimus, quibus in omni ſtatu ſive intra ſive extra ſocietatem quique homines obſtringantur; atque adeo etiamſi in ſtatu naturæ, qualem ipſe fingit, vivere contigiſſet, ſuum quiſque judicium ſuarum actionum regulam non haberet; ſed naturæ, i. e. Dei leges, quibus tum judicia tum actiones accommodare obligaretur. At ſi in iſto quem fingit ſtatu, nullæ ſint leges divinæ, nullus eſt Deus, aut ſi ſit, nulla ad virtutem aut pietatem obligatio, cùm hominibus non imperet, neque quid agant curet, nimirùm curare non poteſt, ſi nullas leges iis præſcripſerit, at nullas præſcripſiſſe primum ſuæ civitatis fundamentum jecit Hobbius; aut ſi præſcripſerit, nullius momenti eſſe voluit, antequam ſummo imperio in reipub. leges aſciſcantur. Quod ſi ita ſit, neque refert an præſcripſerit, neque an omnino ipſe fuerit. Quæ quidem adeo perſpicua ſunt, ut hominis fiduciæ pudeat & quidem pœnè miſereat dum ſe excuſatum eat. *Non quod in tali ſtatu peccare in Deum, aut leges naturales violare impoſſibile ſit.* Siccine ineptire potuit omnis philoſophiæ moralis & civilis magiſter? Satius profectò foret tantâ gloriâ, quantacunque fuerit, carere, quàm tam invitam ſibique reluctantem deperire. Dixit, palam, & ubique, & ad nauſeam uſque dixit

De cive.cap.1. Annotat.

xit nullas omnino esse justi injustique regulas nisi quæ à summâ potestate edicantur, & si quæ quoquo modo imperentur, leges non esse priusquam ea ratas habuerit; & jam se subducturum sese putat? quod cum in statu naturali omnia omnibus facere licere millies dixisset, non ita se intellexisse dicat quasi in Deum & naturæ leges peccari non possit, sed quod in tali statu in leges humanas nunquam peccetur. Quasi cùm dicat se non dixisse quod adeo plane dixerit, omnino excusatum habere teneamur, quanquam toties clamaverit in statu civili in naturæ leges non peccari, nisi quatenus eas civitas imperaverit, atque adeo sublatâ civitatis authoritate nullo statu nulloque modo in eas peccari posse. Sciat Hobbius, quantocunque fastidio, aliorum omnium ingenia contempserit, sui detrectatores (sic enim omnes qui suæ impietati & stultitiæ adversantur appellat) adeo neque obtusos neque incautos esse ut tam crasso prætextu sibi illudi patiantur. Ne itaque diutius secum luctetur; sed aut sententiam mittat aut defendat; si in statu naturæ, naturæ leges validas fateatur, ne dicat omnia licere, neque quenquam cuiquam, quocunque damno affecerit, esse injurium, neque postremò in statu civili quenquam obligare priusquam civitas pro legibus haberi jusserit. Sin naturæ leges non esse putet, ne se tam frigidè excuset quòd cum ante institutam hominum societatem nullas esse leges dixerit, solùm leges humanas negaverit, id est (ut omissâ impietate ei solam fatuitatem exprobraverim) leges humanas non esse antequam sint. Quantum effatum atque præclarissimo omnis sapientiæ inventore dignum! At hoc est quod veteres omnes Philosophos *Phantasmata* appellemus? Hoc est quod omnia demonstrare, solisque Geometris scribere profiteamur? denique hoc est quod hominum genus bonos mores primum docuisse gestiamus! Quid enim novi, quódque suum appellare possit, in dilectissimo isto de cive libro reperimus, nisi quòd naturæ statum finxerit, in quo omnia licere voluit? Quâ fictione si nihil aliud intellexerit (ut se excusare vellet vir modestus) quàm homines considerari posse ut nullis societatis sed solis Dei & naturæ legibus obstrictos, nihil aliud dixit *Philosophiæ civilis Inventor*, nisi quod ante eum dixêre omnes, neque quicquam est quod vetera omnia pacis & regiminis funda-

menta moveamus, cùm noverint & veteres in leges humanas, antequam sint peccari non posse. Quod si novum non fuerit, cætera omnia vetusta sunt & vulgaria, & quæ in quovis systemate reperiantur. At quorsum purgationis suæ insulsitatem ulterius insectarer, cùm totius operis instituto adeo perspicuum fuerit nullas eum omnino leges nisi humanas agnovisse ; & propterea hunc finxisse naturæ statum, in quo, cùm nullis legibus coerceamur, nihil justum injustúmve fuerit, & quenquam cuiquam quicquam facere liceat : Et denique cùm omnes in societatem coegerit, eos tamen nullis legibus divinis aut naturalibus teneri voluit, nisi quatenus à Societatis authoritate sanciantur. Cùm autem omne imperium præter humanum detraxerit, non opus est ut Deum esse neget, cùm id tandem sit planè negasse.

Sect. XXXI. Neque hic quoque demonstrationibus conficiendis modestiorem se præbuit quàm in Physicâ aut primâ Philosophiâ, etiamsi enim omnia accuratè in Articulos digesserit, tamen non aliter invicem connectuntur, quàm quòd alter alterum sequatur. Et quidem tam liberaliter secum ipse egit, ut in primis Articulis, & quibus totius operis moles innitatur, ab eâdem causâ contrarios effectus eosque necessarios demonstraverit. Quippe in primo capite statum naturæ esse statum belli demonstrat à naturali hominum inter se Æqualitate, unde inquit nascitur mutuus metus, & mutua se lædendi voluntas ; atque adeo quam planè demonstratur necessitas belli omnium in omnes ? Et tamen paulò post ab eâdem virium Æqualitate, mutuóque se lædendi metu necessarium societatis ortum demonstrat, naturamque dictare cùm omnibus quatenus fieri potest quærendam esse pacem. Quod si dictaverit, cur quæso prius in bellum impulerit ? Aut quî primum (ut ipse vult) naturæ dictamen esse potuit, cùm prius ejusdem dictamen fuerit quemque se armis tueri ? Quam inconstans & vafra ista natura est, quæ tam contraria ab eâdem ratione dictaverit. Si autem per naturam, rationis compotem intelligat (ut, si humanam vult, intelligere necesse est) certè non potuit dictamina tam secum pugnantia eâdem de re semper & in omni homine edicere, cum alterum omni rationi contrarium planè intelligat,

ſi enim alterum ſequendum dictet communis hominum ratio, alterum eâ de causâ fugiendum dictare neceſſe eſt. Et tamen quàm promptè utrumque demonſtrat! Homines mutuò ſe timent, ergo ſi prudenter ſibi conſulant, quiſque cuique hoſtis erit: & rurſum homines ſe mutuo timent, ergo ſi prudenter ſibi conſulant, quiſque cujuſque amicitiam quæret. Ita quicquid tetigerit Thomas, fit aurea demonſtratio. Sin autem primùm ſit naturalis rationis dictamen quærendam eſſe cùm omnibus pacem, iſto ſolo dictamine prorſus tollitur naturalis belli omnium in omnes ſtatus. Et certe iſte duntaxat ſtatus naturalis humanæ naturæ dicendus eſt, quem dictat humana ratio, ſi itaque imprimis quærendam eſſe pacem dictaverit, alius naturæ ſtatus niſi pacis neque eſſe neque fingi poteſt. Et iſte quidem quem fingit Hobbius, nil niſi ſtatus ſceleratorum eſſe poteſt, qui conculcatis omnibus naturæ & juſtitiæ legibus omnem humani generis ſtatum evertere conantur. Quorum ſcelera dum hominis naturæ imputari voluit, id quidem effecit ut incautis & ignavis perſuaſerit peſſima quæque impiorum flagitia eſſe ipſius naturæ dictamina; unde quoque efficitur omnes, utcunque ſimulent nonnulli, à quâdam naturæ neceſſitate Fures & Nebulones eſſe. Quâ non modo tollitur proborum ab improbis diſcrepantia, ſed ab omni culpâ ipſa abſolvitur improbitas dum naturæ legi & neceſſitati aſcribatur. Et quàm latè impietatis ſuæ contagionem afflaverit jam ſerò nimis dolemus, cùm incauta juventus, ut vitiis ſuis patrocinium quoddam quærant, dogmatum ejus virus avidiſſimè exhauſerit. Atque quidem in vano & petulanti ſeculo adeo ubique pergraſſata eſt Hobbiana tabes ut innatas populariam ſuorum animis virtutes pene deleverit; adeo ut ipſo magiſtro gens olim morum probitate, & omni virtutum genere, præſertim juſtitiæ ubique nobilis, perfidiæ nequiſſimis artibus eruditiſſima eſſe incipiat. Quî itaque hominis petulantiam feremus, cùm ſe mortalium primum eſſe jactaverit, qui philoſophiam civilem docuit; quaſi non ſatis duxerat patriam perditis moribus, quantum in ſe eſt, evertere, niſi intolerabili faſtu glorietur ſe primum extitiſſe, qui non modo Britanniam ſed & totum terrarum orbem bonis moribus inſtituerit? O Jane pater quas tibi referemus gratias! tu homines ſeſe mutuò

fustibus excerebrantes manus jungere docuisti: tu urbes & oppida, tu tecta, tu leges, tu præsidia contra feras peperisti, tuque omnem vitæ pacem & tranquillitatem largitus es. Tibi quicquid in vitâ humanâ pulchrum aut delectabile habemus, debetur: à te didicimus

Lucr. lib. 5.

*Navigia, atque agriculturas, mænia, leges,*
*Arma, vias, vestes, & cætera de genere horum*
*Præmia, delitias quoque vitæ funditus omnes,*
*Carmina, picturas, & Dædala signa polire.*

Sine te viri cùm fœminis conjugia nunquam inierant; sine te liberi in parentes sempiternum bellum gesserant; & denique sine te genus humanum, diu antequam natus esses, mutuis odiis funditus interierat. O fælix vitæ dux omnisque prudentiæ indagator! Quid quatuor imperiorum authores sine te potuissent? tu Belo adfuisti dum Babylonem; & Romulo dum Romam mœniis cinxerit: cùm matre Evandri locutus es; & Italiæ Aborigines primus expulisti. A te Solon & Lycurgus rerumpub. instituendarum rationem acceperunt. Et ante diluvium proculdubio natus es, qui primus societatis civilis artem invenisti, cùm ab isto ferè tempore magna floruere imperia, quæ tuo solius consilio, ortum proculdubio debuerunt. At quænam sunt magna ista quæ inveneris? An pacem cùm omnibus, si haberi possit, quærendam esse? An pactis standum esse? An ei qui benefecerit ingratum non esse? An quemque se cæteris commodum præstare? An oportere si opus fuerit alterum alteri auxiliari? An postremò quæcunque jura unusquisque sibimet ipsi postulat, ut eadem etiam unicuique cæterorum concedat? At hæc ante te norunt Pythagoras, Socrates, Plato, Aristoteles, cæteraque Græciæ Phantasmata; neque non norunt Scythæ & Indi. Quid ergo invenisti? Homines fatali quodam naturæ impetu in mutua odia mutuasque cædes impelli, & postquam in societatem consenserint, eorum neminem quicquam bonum aut malum æstimare oportere nisi quatenus sui solius commodo inserviat: adeo ut si quisquam quicquam sceleris sui interesse putet, ei id facere liceat, cùm quemque sibi soli consulere in omni vitæ statu tum intra, tum extra societatem

unica justitiæ & prudentiæ ratio stabiliatur. Hæc (fateor) nova sunt, & hactenus tum Græcis, tum barbaris inaudita; & quidem si audirent qui humanâ carne & cruore vescuntur tam nefanda dogmata execrarentur, cùm nulli usui inservire possint, nisi ut omnes omnium interitum moliri persuadeant. Quis profectò homini sibi adblandiendi veniam non daret, qui tam utilis & egregiæ disciplinæ primus author extiterit.

SECT. XXXII. Hæc lectorem interpretari nollem quasi Hobbio omni aut eruditione aut ingenio caruisse exprobrarem, in eo enim libenter mediocrem doctrinæ copiam, plusquam autem mediocre mentis acumen agnosco. Sed ut videat quam infausta res sit causæ defensionem in se suscipere quæ nullo ingenio nullâque eruditione defendi aut vult aut potest. Et quid mirum cùm omnis disputatio de legibus naturæ & principiis boni malique ad unicam disputationem de numinis existentiâ devolvatur; si enim mundi Rector sit, leges sunt quibus mundum regat; sique leges non sint quibus regat, neque rector erit. Atquî eo devolutâ quæstione, nihil superest disputandum nisi an sit mens sempiterna quæ rerum naturam finxit & exstruxit, an omnia cæco & nescio quo aut fatali aut fortuito materiæ concursu efficiantur. Quò cùm deveniatur, quò progrediamur non habemus; cùm nihil amentius vel quidem fingi potest quam quî quoquo modo admiranda omnia naturæ opera, absque præstantissimâ mente fieri potuissent. Non igitur dico naturâ fatuos aut mente non integrâ esse Atheismi Magistros, sed mirari non oportere dico si prorsus fatuos se præbeant, qui crassissimam fatuitatem & amentiam affectaverint. Neque quidem judicii ductu, sed incredibili quodam innatæ arrogantiæ impetu in istum furorem impelluntur. Et hoc quidem vitio captis perit omnis rationis usus; nihil vident, nihil sapiunt, nihil agunt, nisi ut ad ingenii laudem & gloriam grassentur. Id quod præcipuè de Epicuro & Hobbio dicendum est, qui quanquam modestiam simulare vellent tamen summâ petulantiâ cæteros omnes contempserunt, nihilque non magnum de se ipsi prædicarunt. Alioqui quidem in utroque eam ingenii facilitatem reperimus, ut facile docti & sapientes esse possent nisi quod modesti esse non potuissent

ſent. At denique quænam ſunt egregia iſta inventa, quorum gloriâ & ambitione ita miſerè dementari contigit? Quid in diſciplinâ civili invenerit Hobbius jam ante diximus. Quid autem in omni Philoſophiæ genere? nihil ſane niſi quod ante eum Epicurus. Quid igitur Epicurus? An Atomos & Inane & Deorum Idôla & innumerabiles mundos? At ſunt tota Democriti. An corporis voluptatem ſummum eſſe bonum? At ab Ariſtippo ſuffuratus eſt. Quid ergo proprium induxit? Quid? ſolem bipedalem eſſe, ſeu tantum quantus videtur; & Atomos declinare perpaulùm non modo ſine causâ ſed contra vim naturæ. At hoc eſt mî Neoclis filî quòd ludimagiſtrum aſpernemur! Hoc eſt quòd Nauſiphanem Pulmonem & ſensûs expertem dicamus! Hoc eſt quòd Democritum λημόκειτον appellemus! Hoc eſt quòd Pythagoram, Socratem, Platonem, alióſque omnes antiquiores probris & ſcommatis proſcindamus! Hoc eſt quod quidpiam didiciſſe negemus, & magiſtrum habuiſſe nullum gloriemur! denique hoc eſt quòd non modo primas inter Philoſophos nobis deberi, ſed & ſoli verum inveniſſe jactitemus? Proculdubio Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi. At ſi neque Hobbius neque Epicurus quicquam invenerit, quid tandem Democritus & Leucippus invenere? profectò & ipſi nihil, ſolùm diſciplinam ab antiquioribus acceptam mutilarunt: ab iis dedicerant naturæ artificium ab artifice quodam è Materiâ formari, at hi relicto artifice ſolam materiam adhibuere, & quicquid antiqui de intimo agendi principio quod cauſis ſecundis indiderat cauſa prima diſſerere ſolebant, diſſeruerunt quoque & iſti, niſi quod de causâ primâ nihil omnino dicere voluiſſent. Atque adeo nihil de ſuo induxerunt, ſed id ipſum naturæ artificium ſeu mechaniſmum, quod inveſtigaverant veteres, ſibi ſumunt, & quî fiat ſine artifice explicare moliuntur. Opus quidem (ut Ciceronis verbis in alia re utar) patriâ Democriti quam Democrito dignius. Quî enim tentarunt (& quidem tentarunt ſumma ingenia) conatum Amentium inſomniis quam Philoſophorum lucubrationibus digniorem oſtenderunt. Id quod diſputationibus quæ ſequuntur demonſtratum iri pollicemur.

# DISPUTATIO SECUNDA.

## *A Rerum finibus, qui in sola Terra Cernuntur, Deum esse demonstratur.*

SECT. I. QUantùm de Deo, sit, an non sit, dissenserint Philosophi, jam ante diximus; & de iis qui Deum omnino sustulêre, satis dictum esse arbitramur. Qui vero asserunt, ii quoque in argumenti ratione, qua ad conclusionem adduci oporteat, magnâ opinionum dissensione inter se dividuntur, Sunt enim qui, quanquam Dei numen esse fateantur, in illius tamen notitiam venire nos nequaquam posse putant, aut innatâ quavis naturæ divinæ opinione, aut quovis rectæ rationis auxilio: sed omnem ejusdem scientiam solâ patefactione divinâ, aut Majorum traditione, haberi volunt. De insitâ Numinis opinione, an quæ sit, & quanti valeat, posteà fortasse dicemus. Atqui Numen esse quoquo modo naturæ contemplatione, atque rationis usu, demonstrari posse nihil opus est, ut disputemus, quod si demonstrare possimus demonstrari posse sine disputatione quâvis seorsim institutâ conclusum erit. Interim verò omnem de Deo notionem ab ipsâ rerum naturâ detrahi nollem,ut soli hominum authoritati ascribatur, cùm multò stabilior sit, quæ à mediocri naturæ contemplatione opinio habetur, quam quæ ab optimâ (ut aiunt) traditionis fide haberi possit; non modò quod tot tantaque in omni mundi ornatu ejusdem argumenta ubique, vel quidem palpemus, & videamus; cùm nihil in quâvis scientiâ magis perspicuum esse possit, quàm tam variam in universo rerum omnium commoditatem à mente sapientissimâ conditam fuisse; sed etiam quod historiæ fides (potissimùm, si vetusta fuerit) multò obscurior sit, quàm sit scientia,quæ à cujusque rationis adjumento oriatur. Non igitur

tur hominum genus numinis opinione imbui inficiarer, quæ, cùm initio à primis humani generis parentibus accepta sit, in omnes omnium seculorum posteros se diffudit, quanquam an quæ hujusmodi opinio per omnia omnium populorum secula propagetur, multùm equidem, an verisimili quâcunque ratione comprobari possit, dubitare me fateor: aut si possit, longè tamen debiliorem ejusdem lucem esse dico, quàm quæ ab admirabili naturæ usu, & pulchritudine, cuiquam, qui oculos tollit, emicet, & effulgeat. Neque sane quisquam qui Deum esse diceret contradixisse poterat, nisi qui idem omnis Philosophiæ, præsertim veræ, & veteris fuerit ignarus. Atque adeò F. Socinus cum nullâ aut artium, aut antiquitatis scientiâ imbutus ad Theologiam accesserit, fieri non potuit, quanquam stupendo quodam ingenii acumine valeret, quin sæpius, non modo in falsa, sed & inepta dogmata laberetur, præsertim cùm & ipse in omnibus, quæ scripsit, novitatis gloriam affectaret. En igitur quàm peritè Deum esse è mundi machinâ cognosci non posse demonstraverit. *Quod præstantissimi quidam Philosophi, inter quos maximè, ut creditur Aristoteles, qui ingenii acumine omnes superâsse videtur, qui hanc mundi machinam non aspexerint, modo ut cæteri omnes, aut quemadmodum multi fecerunt, eam sunt contemplati, sed diligentissimè in ipsâ universâ, ejúsque singulis partibus rimandis, atque expendendis sunt versati, ne creatum quidem à Deo mundum fuisse assequi potuerunt, immo id plane negârunt.* At tamen de præstantissimis Philosophis ipse ne quidem fando audivit, neque sanè aut quâ mundi ætate, aut ubi terrarum vixêre, novit. Aristotelis forte inter Aulicos, aut cucullatos mentionem audierat, at nunquam vidit, neque ii, à quibus quod sit ipsius nomen didicerat, fortasse viderunt. Atque igitur illius potiùs quàm Epicuri, Democriti, aut aliûs cujusvis authoritate usus est, quod reliquorum omnium nominibus, prorsus inauditis, eum, inter suos, *Philosophum* appellari meminerat: Sic enim iste Socini ætate, & patriâ solus audiebat. Sciat itaque præstantiores omnes philosophos, ipsam rerum naturam contemplando summam opificis, qui eam construxerat, sapientiam summâ cùm veneratione semper suspexisse. Et si qui aliter censuere perpaucos fuisse, eosque neque præstantissimos Philoso-

praelect. Theo. Cap. 2.

phos,

phos, neque optimos viros, ſed aut perditâ morum nequitiâ, aut intolerabili mentis arrogantiâ depravatos fuiſſe: Deum eſſe fateri iſti nollent, quia non eſſe ſui maximè intereſſe reputabant, nollent hi, quia quicquam modo ſeorſim dicant, ineptè, & odiosè dicere mallent, quàm ut, quod alii, ipſi quoque ſapere videantur. Quid itaque ſi ipſe Ariſtoteles, aliíque nonnulli mundum à Deo factum fuiſſe non aſſequerentur? an idcirco aſſequi non potuerant? Nequaquam ſequitur: neque enim alia, crede mihi, *Fauſte*, cùm tu ipſe neſciveris, complura viderunt, quæ tamen non videre non poſſent, niſi quod videre nollent. Quanquam autem ipſi divinam numinis ſapientiam in mundi opificio videre nollent, viderunt tamen alii, iíque, & plures, & nobiliores nihil omnino in naturâ, aut fieri, aut quidem intelligi potuiſſe, ſine præſtantiſſimâ mente, quæ omnia tam pulchrè, & commodè fabricavit. Debuerat itaque *Fauſtus* cùm antiquorum monumenta quadantenus excuſſiſſe, priuſquam, quid cenſerent, ipſe tam fideliter pronunciaverat; tum ipſam rerum naturam paululum intellexiſſe, priuſquam, quid inde ſciri poſſit, aut non poſſit, concluſerat. Atquî ſanè ſi tam levi ratiocinio naturalem omnem religionem tolli putat, quid quæſo de ſuâ Theologiâ fiet, cùm multa dogmata è ſacris ſcripturis ſe procudiſſe geſtiat, quæ nullos, ante ſe, Eccleſiæ Doctores, in iis vidiſſe credit? Quid igitur ſi in ſe ſuo gladio quiſpiam inſurgat. Præſtantiſſimi non modo quidam, ſed omnes Theologi, qui diligentiſſimè in ſcripturis omnibus rimandis, atque expendendis ſunt verſati, tua dogmata in ſacris libris doceri non viderunt, an inde in iiſdem non omnino doceri ſequitur? ſi ſapiat, non dicet *Fauſtus*, ne itaque omnino dicat. Quid autem autoritatibus pugnet, quas ipſe omnes contempſit? non ergo *Philoſophi* nomen, ſed rationes afferre oportebat, quas ſi attulerat, quanta quoque ſit iſtius hominis autoritas, intellexerat, qui tantis nugis, tantâ cum gravitatis ſpecie tantoperè delectetur. De quo, quanquam poſtea fuſiùs dicturi ſumus, interim tamen, ſi paucis ſcire velis, quàm nugatoriè magnus iſte ſapientiæ princeps rem confecerit, præſertim ut in uno Socini exemplo diſcant ſemidocti omnes, quàm periculoſa, & indecora res ſit, doctorum opiniones, aut famâ, & rumore,

aut in plateis, aut quod plerumque fit, inter sermones convivales colligere. Sic se res habet si interroges, quî mundus eo ordine, quem habet constiterjt? Sempiternâ, inquit, naturæ necessitate. At cùm cæca, & consilii nescia sit ista necessitas, si quî omnia tantâ cùm omnium commoditate disposuit, interrogare pergas? Quòd, inquit, isthuc postulaverat rerum natura. Quid? an usus, & convenientia? ergo causa quædam intellectrix Universum fabricavit, non è necessitate, sed consilio, nempe ut optimè rerum emolumentis expediret. At istuc cùm nollet, sed universum eo quo stat, quod sic se rerum natura ultro ferebat, ordine disponi, quemadmodum processit, & emanavit, si porro interroges? à primi, inquit, motoris summâ atque absolutâ perfectione proficiscitur. At nihil ad rem in quæstione positam. Si enim universa rerum natura, à nullo primi motoris consilio emanaverit, id est quod semper flagitamus, quî tam commodè, & convenienter rerum utilitatibus se disposuerit? Atqui hîc surdus est Philosophus, & quanquam unica res sit, quæ in controversiâ versatur, nullum responsum dedit. Porrò verò primus iste motor quis est, atque ubi habitat? Summæ, inquit, omnium cœlorum sphæræ incumbit. Quid ergo? an domicilium istud sibi elegerit? nequaquam, inquit, sed per omnia secula eodem loco, nescio quâ necessitate, hæsit, & hærebit: si autem quæ sit ista necessitas nesciat, scientiam polliceri desinat. Quid autem per omnia secula egit, & acturus est? nihil, inquit, nisi quod se summè beatum esse semper cogitet, & contempletur. Quid ergo? an nihil, quod extra se sit efficit? nihil omnino inquit. Quamobrem verò? Quòd prima naturæ lex sit nihil se movere posse: isthuc demonstret. Minimè verò sed semper & ubique sumendum esse putat. At cùm Deus se beatum esse cogitat, an non suæ cogitationis principium sit? cur igitur non & aliarum actionum? at hîc quoque tacet. Si vero nibil extra se agat, quî in reliquis motum ciere potuit? quemadmodum, inquit, eum in appetitu appetibile exorditur. Id autem quî fiat? Cæteræ, inquit, intelligentiæ, cùm summæ istius beatitatem intelligant, eam imitandi desiderio moventur, quo motu motum suo quæque orbi imprimit. Unde autem istæ intelligentiæ? an eas prima genuerit? nequaquam, sed eâdem sempiternâ neces-

necessitate, quâ ipse summo cœlo, istæ suis quæque incubuere cœlis. Itane? ergo tot numina sunt, quot cœli, cùm omnes non aliter quàm prima, à nullâ nascantur, neque ista aliâ quâvis ratione prima dicatur, nisi quòd fortè summum locum occupare contigerit. Quis igitur suo quamque orbi, alligavit? Ad istuc autem nihil dicit. Unde vero totidem sint, neque plures, neque pauciores? de eo quoque dicere non cogitavit. Quî ergo solâ cogitatione orbes suos tanto impetu circumegerint? neque de eo quicquam: sed satis se dixisse censuit, quòd cujusque contemplationem sui orbis motum sequi dixerit, perpulchra sanè illius ortûs descriptio! Molas quoque trusatiles non jumentis, sed de orbium cœlestium motu cogitando, moveat ipse Philosophus. Cùm vero cœli versantur, quamobrem in orbem? Quòd cum reliquis, inquit, corporibus quæ simplicia sunt, motus simplices conveniant, ut elementis recti sursum, & deorsum, huic circularis cùm sit, & simplex, & simplicium perfectissimus, convenire necesse est. Atque alia hujusmodi quamplurima, quibus universam cœlestium fabricam construxit, quæ tamen afferre nihil necesse est, quòd si quis rationum rationes petat, Philosophum nihil nisi propria insomnia dixisse intelliget. Cujusmodi enumerari possent immobilem esse terram, quòd moveatur cœlum. Ignem esse quòd terra sit, quoniam si contrariorum alterum naturâ, alterum esse necesse est, & si extrema, eâdem quoque necessitate, media, ergo & aerem, & aquam. Cœlum ab ortu in occasum moveri, non contra, quòd pars cœli orientalis dextra sit, perfectiorem autem in dextram motum esse, quàm in sinistram. Et denique, ne omnia sequar, cœlum primum tot stellis ornari, cùm inferiora non nisi unam quæque habeant, quod cùm sit omnium princeps, ea omnia tantum ornatu, quantum dignitate anteire oporteat. Quibus omnibus sublatâ causâ intellectrice, quantillum insit ponderis, nemo tam cæcus est qui non videat. Quid enim (ut in uno omnium exemplum præbeam) si plaga mundi orientalis dextra sit? quid si dextra sinistrâ præstantior? Quî, quæso, sphæræ cælestes utrumque, cùm nihil consilio agant, intellexerint, atq; cùm non intellexerint quî quòd istâc ratione flectant, in unam, potiusquàm contrariam partem se vertere voluissent? Adeo ut, quanquam germanæ

fuerint, quas naturæ leges, & rationes, attulit Philosophus, perspicuum sit nullius fructûs esse posse, nisi causam adhibeat, quæ & easdem intelligat, & ad earum normam, rerum naturam moderetur. Hæc, inquam, si vel levissimè legerat Socinus, eo acumine esse novi, ut solâ tam vani hominis autoritate, summam numinis sapientiam, in admirabili universi ordine, cernendam esse, negare non potuisset. Proximè verò, à Philosophorum, ad ipsius Dei autoritatem provocat, loci autem quos è sacro codice, ad opinionem stabiliendam affert, adeò planè nihil tale innuunt, ut omnino expendi nequaquam mereantur. Præcipuus ex Epistolâ ad Hebræos desumitur, Cap. 11. vers. 6. cùm ait divinus Author, sine fide Deo neminem placere, *ergo recta* (infert) *de Deo opinio, è principiis naturalibus haberi non potest, cùm solâ fide, quæ non nisi revelatione divinitus factâ gigni possit, acquiratur.* Quasi Apostolus per fidem non intelligeret qualemcunque assensum, cuicunque argumento sive rationis, sive revelationis innitatur, & quid revera intellexerit, ipse se statim explicat, opinionem scilicet intellexisse quomodocunque acquisitam, Deum esse, & præmia sui cultoribus largiri. At quid multa? cùm omnino frustra quicquam fieri non posse disputetur, quod pro certo factum esse experimur. Ad eos itaque accedamus, qui rem demonstrare conantur, & sic conantur Scholastici.

SECT. II. Aut quippiam in rerum universitate esse inquiunt, quod infectum sit, aut facta esse omnia. Si prius dicas, summum Dei numen esse fateris. Nec enim Deus ipse, qui sit, alio modo intelligi potest, nisi quod sempiterna natura sit, cæterorúmque omnium causa, Si posterius, quicquam omnino esse negas; quî enim quicquam fieri potuit, cùm nihil esset, à quo fieri potuisset. Nisi itaque quædam natura sit, quæ ipsa facta non sit, nulla causa esse potuit, quæ omnia, quæ fiunt, efficiat, nisi quid, quod ipsum sibi causa fuerit, esse dicas; quod si dixeris, quod ais, negas: si enim fiat, priusquam fit, esse non potuit; & tamen si se fecerit, antequam fiat esse necesse esset. Cùm igitur propositionum omnium quæ sibi adversantur, prima sit esse idem sui ipsius & causam, & effectum, neque devitari possit, nisi natu-

naturam quandam ponamus, quæ infecta est, eadémque alia omnia fecit, planè tandem sequitur, aut Deum esse, aut esse nihil. Cùm autem sint, qui mundum ab omni æternitate, autore extra se nullo, extitisse dicunt, adeo ut in quoque genere, nec primum fuerit ullum, nec futurum sit ultimum, sed sempiterno quodam circulo nascantur omnia, & intereant: Hos etiam sic profligare non dubitant, quod si sempiternæ fuerint rerum generationes, infinitæ jam ante præterierunt, finitæ enim si sint, ad initium perveniendum est. Si verò præterierint infinitæ, infinito, quo nihil majus esse potest, majus erit: Cùm quicquid postea nascatur, iis, quæ præcesserunt, fiat accessio. At vera ut infinito accedat incrementum, fieri nequit, quod infinitum non sit, nisi sit ab omni parte interminabile, at pars extrema est, quæ postremo, quod natum est, terminatur. Præterea si infiniti fuerint homines, infinitos ergo & viros, & fœminas esse; si enim in alterutro sexu primus fuerit, generationum exordium fuit, cùm antequam iste primus in quocunque sexu extiterit, nulla fieri poterit generatio; si vero in utroque infiniti fuerint, infinitum erit infinito duplò majus; atque innumerabiles istæ alterius sexûs homines, non nisi dimidia pars erit infiniti istius numeri, qui ex utroque conficitur. Quam argumentationem capillorum multitudine, si cum hominum numero conferatur, exaggerant; quòd, quanquam innumerabiles sint homines, ad immensam tamen capillorum multitudinem tam exiguus sit eorum numerus, ut millesimam illius proportionem non obtineat. Alii verò, qui ingenii acumine antecellunt, nihil suâ referre volunt, an præcludatur infinitus causarum, & effectuum processus, nécne. Sint enim, inquiunt, si placet, quæ sempiternâ quasi hæreditate alterum alteri successerunt, aut facta, aut infecta fuisse omnia inquiunt, si facta, cùm fieri non possent, nisi ab aliquo fiant, id ipsum etiam, cui, quod sint, debent vel infectum, vel ab alio productum fuisse dicas necesse est; infectum si dixeris, id rursum est, inquiunt, quod volumus; sin minus, unde oriatur, adhuc rogamus? atque ita demum in æternâ istâ causarum, & effectuum serie, tandem aut quippiam esse fatearis necesse est, quod ipsum, cùm non sit, suam sibi essentiam elargiri potuit, aut quippiam, quod suæ naturæ

ræ virtute existat, atque aliis omnibus, quæ suâ non existunt, existentiam impertiat. Alii autem, qui his etiam sapientiores videri vellent, non universâ naturâ, sed singulis rerum speciebus disputationem arctiùs premendam esse sic volunt. Si quæ sempiterna successio sit, an rerum ejusdem ordinis, ita ut homo hominem ab æternis seculis genuerit, an diversi, ita ut genus humanum à superiori quodam rerum ordine procreatum fuerit, & hic ab adhuc nobiliori, qui insuper ab alio, & sic deinceps. Si rerum successionem ejusdem generis fuisse dicas, ut dicas quoque postulant, quî ab æterno homo hominem genuerit, cùm ea sit hominis, atque omnium animantium conditio, ut non statim, atque ipse nascatur, aliud procreare valeat, sed ætate aliquâ provectum esse oporteat priusquam vim genetricem assequatur; sempiterna itaque hominum generatio esse non potuit, cùm tempus aliquod præterierit, antequam quisque quemque genuisse potuerat. Atque etiam ut ab æterno procreare non possent, ita neque gigni, cùm certo quodam tempore generatio omnis absolvatur, sempérque interjecti sint aliquot menses, antequam suscepta proles ad enixum matura sit; si verò cujusque hominis nativitatem tempus præcesserit, ab æterno nulli nasci potuerant. Pereat itaque, necesse est, sempiterna ista gignendi successio, cùm semper tempus aliquod fuerit, antequam, aut gignere, aut gigni potuissent. Sin verò successionem diversi generis fuisse dixeris, in eâdem, inquiunt, difficultate, quâ ab initio versaris, quòd nisi summa demum reperiatur natura, quæ ipsa omni perfectione cumuletur, reliquísque suam, quam habent, existentiam impendat, nunquam omnino extitisse poterant, eò quod sibiipsis principium esse non possint, sed porro suum quæque ortum superiori debeant, quæ superiora etiamsi in infinitum usque ascenderis, si suâ naturâ nihil fuerant omnia, nunquam aliquid fuissent. Propterea cùm quædam esse videamus, cogimur demum eo visu naturam aliquam suspicere, quæ & ipsa sempiterna sit, & reliquorum omnium quotquot aliquando extiterunt, fons sit, & origo, atque hunc, inquiunt, summum habeto divum, hunc perhibeto Jovem.

Quâ disputatione, quanquam Scholastici quæstionem ad exitum perductam esse censeant, quasi perspicuè satis contra

tra Atheos eâ conclusum esse arbitrarentur, quòd rem quandam, quæ ipsa sempiterna natura sit, cæteráque omnia procreaverat, invenissent. Huc usque tamen Atheos non modo comites, sed & præcursores habemus, qui in eâdem sententiâ consentiunt ad unum omnes, infecta fuisse omnia, atque se effato omnibus communi è nihilo nihil fieri, sua quisque disciplinæ ratione tuentur, cùm alii ipsam rerum universitatem eo ordine, quo stat, æternam esse velint; alii primam omnium materiam, sive sit ista atomorum congeries, sive alia quæcunque mundi principia, è quibus, quæ sunt, quæque nascuntur omnia, sine novæ cujusvis rei procreatione nasci arbitrantur. Quod quicquid denuo fieri videaatur, id variâ istorum concretione fiat, quicquid interire, id quoque eorundem dissipatione intereat. Atque quod de universâ naturâ, idem de singulis rerum speciebus statuunt. Nempe qui mundi æternitatem, æternam quoque cujusque animantium generis successionem asserunt; qui vero ex atomorum concursione fortuitâ ortum, ex eâdem effici omnia, quæ in quoque genere efficiuntur. Atque etiamsi quæ contra sententiæ primæ Authores sempiternam esse non posse animantium successionem disputantur, quandam verisimilitudinis speciem præ se ferre videantur; cuivis tamen, qui rem seriò perpenderit, sophismata potius, quæ ab intellectûs humani, qui quòd infinitum sit, non capiat, imbecillitate, quàm rectæ rationis usu orta esse videbuntur. Si enim, quî sempiterna esse possit rerum successio, non intelligamus, neque quî non possit, intelligimus, quod nullum in omni æternitate sit momentum, quo cùm antea esse non possent, esse cœperunt, & si quis tempus, quo potuisse cœptum sit, esse dixerit, fuisse quoque dicat, quo Deus ipse quoque efficere non potuerat; si enim semper poterat, semper etiam effici potuerant: Si verò non poterat, ipse quoque effecisse cœpit; cùm verò sempiterna fuerit, qualiscunque sit ipsius potentia, quicquid procreavit, procreare posse nunquam cœpisse dicendum est; atque propterea cùm, an sempiterna esse, an non esse potuerit rerum successio, nesciamus, quidni sophismata esse concludantur, quibus in contrarium demonstrare nituntur, cùm in pares difficultates incurratur si assenserimus, ac si ab assensu omni nos cohibeamus?

mus? Quòd si, quì æterna rerum successio esse possit, non intelligatur, neque quì esse non possit. De his autem, cùm de iis, qui ab eodem principio soliti sunt in Aristotelem disputare, uberiùs dicturi sumus.

Philosophis verò, qui in alterâ sententiâ fuere, mundum, & quæ in eo sunt, quæque cernuntur omnia materiæ mechanicis motûs legibus exagitatæ concursione nasci, nihil, quo eidem contravenire possint, habent scholastici, aut si quicquam habere se existimant, nihili æstimandum esse putant mechanici, cùm quod an quæ omnino, an quales sint mechanismi vires, ipsi nequaquam intellexerint, tum quòd nullas naturæ leges, si quæ sint, nisi quas ipse Aristoteles ratas esse voluit, sciverint, iísque solis, quid ferre, quid non ferre natura recusat, judicaverint. Quibus quicquid isti conclusum esse, hi nihil concludendum esse putant, qui se putant meliores, atque ipsi rerum naturæ magis consentaneas tulisse. Atque igitur cùm è solo præjudicio, atque Aristotelis authoritate, non ex ipsa rerum veritate disputaverint, non tam iis respondendum esse, quàm omnes cùm suis argumentis contemnendos arbitrantur. Alia itaque ineunda disputandi ratio, & reperienda via est, quâ simul utrosque redarguamus. Præsertim cùm ex utrisque conflari possit, & quidem confletur sententia, primùm ipsam mundi fabricam, eo, quo est ordine, ab æternis seculis stetisse; deinde ea omnia, quæ in eo nascuntur, & intereunt, solis materiæ motibus, nasci, & interire. Quorum primo mundi æternitas, contra quam nihil quod disputare possunt, habent scholastici, obtinetur. Secundo autem, hominum, & cujusque generis animantium, ut sponte ortorum ortus, & interitus. Quibus duobus omnem universi complexum sine providentia explicuisse se putant. Priori ipsam rerum universitatem nullum exordium habuisse, posteriori omnia animantium genera, ut sponte orta, causis naturalibus procreata fuisse. Quo etiam non modo profligatam quæstionem censent an sempiterna esse potuit hominum successio, sed & multo difficiliorem istam quì natura humana nisi causâ quâdam quæ ipso hominum genere non contineatur, procreari, aut omnino esse potuerit. Ista enim, cùm vi naturæ suæ existendi necessitatem non exigat, ab aliquâ causâ, quæ aut totum hominum genus, aut

aut generis primum genuit procreata ſit, neceſſe eſt. Cùm enim ipſa hominum natura nuſquam, niſi in ſingulis reperiatur, nullam exiſtentiam habere potuit, niſi quam in ipſis habuit. Si ergo ipſi omnes aliquando orti fuere, totum quoque genus ortum ſit neceſſe eſt. Atque adeo ab æterno eſſe non poterant, niſi aut cauſa quædam ſit, quæ initio totum genus procreavit, aut homo quidam immortalis, qui cùm reliquos mortales genuerit, ipſe neque natus ſit, neque interiturus. Qualis cùm non fuerit, totum genus aliâ quâdam causâ procreatum eſſe neceſſe eſt. Atque igitur, quanquam æterna fuerit rerum univerſitas, nihilominus animantium omnium exordium fuiſſe neceſſe fuit. Quo, quid quæſo, quod veroſimilius ſit, reperire poſſent mechanici, quàm quòd iiſdem naturæ viribus quibus inſecta omnia procreentur? Cùm enim immenſa iſtorum multitudo, quovis annuo ſolis curſu, ſolâ cauſarum naturalium facultate procreetur, quidni etiam, inquiunt, majora cujuſque familiæ animantia, cùm & iſtæc pari artificio fabricentur? Diſputationem itaque eâ ratione, quæ utrique communis ſit, inſtituere oportet, ut neque ipſa rerum univerſitas, eo, quo ſtat ordine, ſine cujuſdam providentiâ ſtare, neque quæ in eâ cujuſque generis naſcuntur, naſci potuerant. Quibus id unicum, quod in diſceptationem venire poteſt, obtinebimus, nempe cùm utrinque ſempiternum, & improductum quippiam eſſe agnoſcatur, an ejuſmodi ſit, ut id cultu, & veneratione proſequi oporteat, nécne. Si enim conſilii, rationíſque exors fuerit (quod volunt Athei) fruſtra omnino eſſemus, ſi veneraremur; ſin conſilii, & rationis compos, fatentur omnes ſummâ veneratione excipi oportere, nóſque omnia amoris, & gratitudinis officia eidem exhibere eſſe obligatos, tum quòd omnibus dignitatis, & ſapientiæ numeris emineat, tum quòd longe optimè de nobis mereatur, cùm univerſi Dominus ſit, noſtrûmque parens. Si itaque immenſam hujus mundi machinam non niſi Architecto qui omni rationis acumine excellat, extrui, neque noſmetipſos, niſi & ipſe procreaverit, naſci potuiſſe demonſtravero, omnium ſuffragiis etiam Atheorum (qui omnes nervos intendunt, ut mundi opificem tollant) Deum eſſe conſtabit, non modo qui cultûs, & obſequii compos fuerit, ſed & qui ſummo jure utrumque poſtulaverit.

Sect. III. Ab hoc itaque principio, utrumque sic exordior. Quæ ad finem referuntur, atque ejus causâ, quo referuntur, omnia faciunt, ea necesse est, vel suo, vel alieno consilio regantur, cùm in finem collimare, aut eundem assequi nequeant, nisi causa sit, quæ tum illius utilitatem noverit, tum media ei assequendo idonea elegerit, & postremò de mediorum, quæ elegit, usu judicaverit. Nosse verò, eligere, & judicare, solius sunt consilio, & ratione utentis. Si itaque naturalia omnia in suos ferantur fines, neque tamen suo cujusque consilio, cùm nullâ intellectûs facultate sint prædita, dicendi initio res confecta est, omniáque rectoris cujusdam consilio confici & gubernari sequitur; atque is est, quem summum numen, seu rerum omnium Dominum, & authorem dicimus; & quanquam cùm hac ratione instituatur disputatio, optimè contra Atheos concluserimus, quòd mundum à causâ sapiente, quæ in totius compage, & partis cujusque dispositione, ad certos quosdam fines respexit, conditum fuisse demonstretur, ut tamen omnem impietatis causam in æternum profligatam dederimus, nullâ quoque aliâ quâcunque causâ, nisi quæ finis gratiâ se dirigat, effici potuisse demonstrabimus. Qua ratione si instituatur disputatio, nihil interest, an mundi æternitatem, an ortum mechanicum asseruerint. Si enim omninò neque esse, neque eo quo stat ordine, stare, nisi consilio potuisse effecero, quid refert (cùm sine eo esse nequeat) an æternum, an aliquando ortum dicant? non enim cùm scholasticis procreatum fuisse dicerem, quod sempiternus fuisse non poterat, sed sempiternum, vel saltem infectum non fuisse, quod consilio factum fuisse demonstrari possit, & postquam consilio factum fuisse liqueat, disputare non opus esse, opinor, factum fuisse. Et denique, quanquam satis sit argumentum utrumque universali ratione conclusisse, tum mundum nullo modo, nisi efficiatur, esse, neque effici, nisi summo consilio potuisse; ne verò quæ belli reliquiæ, quibus renascatur, supersint, utramque hypothesin, tum mechanicorum, qui mundum casu fieri, tum Aristotelis, qui eundem necessitate, auctore extra se nullo, extitisse voluit, funditus evertam. Quæ omnia cùm perfecerimus, si quis rem non satis confectam dixerit, quid dicam, tam vili, támque abjectæ sortis

ani-

animalculo nihil ſupereſt, niſi ut in petulantiæ pœnam protervæ Atheiſmi crudelitati æternum damnetur.

Quæ autem omnia ut efficiam, per univerſum naturæ complexum pervagari nihil neceſſe eſſe arbitror, quanquam enim philoſophos inter ſe diſputare novi, an aſpectabilis iſte, qui mundus habetur, rerum complexus univerſam naturam complectatur, an alii porro ſint mundi, qui per omnem ſpatiorum immenſitatem ſparſi ab oculis noſtris præ ingenti intervallo ſubducuntur; de quibus ſuam ſuo quiſque arbitratu ſententiam tulit, quidam non niſi unum, quidam plures, atque eorum alii finitos, alii infinitos volunt, quâ tamen de re, etiamſi nihil norunt, fidenter, ut ſolent, pronunciant, ne quâ de re dubitare videantur. Nihil enim in ſuâ opinione compertum, & exploratum ſatis habere poſſunt, niſi quod rerum univerſitatem aſpectu noſtro non definire veroſimile videatur; cùm nova indies aſtra, quæ nudis oculis videre non licet, tubi Batavi adjumento videamus. At tamen cùm à rebus noſtris adeo remota ſint iſta omnia, ut ſi ſint, quo uſu, aut ſine ſint, ſcire non poſſimus, ſint, an non ſint, de iis nihil dicemus. Neque etiam de iſto cœleſtium, quæ in aſpectum cadunt, ordine, quòd immenſam propter diſtantiam, ſi quid ad uſum noſtrum pertineant, nihil ad ſcientiam pertinere poſſunt. Quanquam profectò ſi quis admirabilem iſtum ſiderum innumerabilium ordinem aſpexerit, utcunque quæ ſit iſtius ratio neſciat, non poſſit quin miretur immenſam iſtam cùm ſapientiam, tum potentiam, quæ tot, tantóſque orbes eo ordine inſtruxit, ut ab omni ataxiâ ſe omnes tamdiu tueantur. Quæ autem duo maximam admirationem evocare videntur, ſunt incredibilis iſtorum tum magnitudo, tum multitudo. Quanquam enim, quâ ſint magnitudine ob immanem diſtantiam non certò aſſequamur, planetis tamen, aut æquales, aut majores eſſe certò novimus, quòd, etiamſi tam immenſo præ iis intervallo diſtent, pari tamen magnitudine appareant. Quid igitur admirabilius eſſe poſſit, quàm rerum tam multarum, atque tantarum, tam ordinata diſpoſitio? Ubicunque terrarum pedem figas, tam innumerabili multitudine per omnem cœli immenſitatem ſparguntur, ut continuò plures, quàm numerare potes, intuearis: & tamen, ſi in alium quemvis locum migrare velis,

aliæ innumerabiles se ubique produnt. Dic itaque, inquam, quî summum istorum omnium, nisi summâ admiratione raptus, ordinem aspexeris, ídque sive sphæris suis, tanquam clavi impacti hæreant, sive libero æthere pendeant. Si sphæris impingantur, quanta est opificis potentia, qui fornices tam vastâ amplitudine hiantes extruxit? & cùm extructi fuerint, quî, quæso, tot sideribus, ea nisi quis implantaverit ornari potuisse cogitas? si vero libero æthere pendere putas, quenquámne, quæso, qui idem non sit summè potens, moles tam immensas, támque innumerabiles sedibus suis summâ cum stabilitate disposuisse censes? Quis denique, qui ipse summè sapiens non sit, tam varias motuum vicissitudines gubernare possit, adeo, ut quanquam implexâ varietate choros ducant, tam certis tamen modis, & numeris consentiant, ut mutuis incursionibus nunquam allidantur. Isthæc verò omnia, cùm non tam scire, quam admirari detur, summam opificis, qui ea condidit, potentiam suspiciamus; mihi verò, à rebus, quantæcunque sint, tam longe distantibus, cùm loco tam perspicuo versemur, argumentari non libet.

Neque postremò quicquam de admirabili Planetarum ordine, quanquam ad orbem nostrum pertineant, dicendum esse arbitror. Etsi enim cursus suos, conversionésque mirabiliter conservant; cùm tamen quo fine nesciamus, quod rationibus suis quas sibi præscriptas habent, plerumque inserviant, nostris verò (si Solem, & Lunam excipias) parum, aut nihil conferant; in iis quoque solùm summi opificis solertiam mirabimur, qui effecit, ut tantâ varietate, & constantiâ eosdem semper progressus, & regressus conservent. Ut Zodiaci lineas nunquam perrumpant, sed citra omnem errorem, suum quisque cursum moderetur, ut vagis, & dissimilibus motibus sibi mutuò nunquam occurrant, sed invariata prorsus distantiâ, rata inter se spatia semper definiant. Nisi hoc unum mechanicos interrogare liceat, an quo casu tot ingentes fabricas in suum quamque orbem tam aptis intervallis consedisse putant? aut si contigerit, earum nullum tot sæculorum ætatibus justo propius, aut inter se, aut nostro terrarum orbi appropinquasse? Ullámne casûs speciem prodit, tam amica, tam varia, támque perplexa rerum conspiratio? Quanquam itaque sitûs rationem, quâ tum planetas, tum

tum ſidera omnia diſpoſuit imperſcrutabilis opificis divini ſapientia non intelligamus; hoc tamen certò intelligimus, difficilius factu nihil eſſe, aut, ut fiat, plus ſolertiæ poſtulare, quàm ut in tantâ rerum varietate ordo & conſtantia ſervetur.

SECT. IV. Miſsâ itaque cœleſtium omnium ratione, argumenti ſatis terra noſtra præbebit, quam, etiamſi tam exiguam univerſi partem exiſtimarint Philoſophi, ut ad omnem cœli complexum puncti inſtar eſſe arbitrentur; tamen, cùm ſit domicilium noſtrum, nobis, ut ſua cuique domus nota eſſe dicitur, faciliùs innoteſcet. Quam ipſam, & quæ in ea ſunt omnia ſic extructa eſſe dico, ut nulla cauſa eſſe poſſit, quamobrem eâ quâ ſunt deſcriptione, fiant, niſi quod ſuos fines, quorum facta ſunt causâ, habeant & aſſequantur, atque eâ ſublatâ, nullam cauſam phyſicam ſupereſſe, quâ omnino extrui potuiſſent: Quod eâ argumenti vi & perſpicuitate demonſtraturum eſſe ſpero, ut neminem reluctari poſſe confidam, niſi qui idem hanc, quam quotidiè pedibus calcat, terram eſſe negaverit. Ne verò nimiâ expectatione torqueam, primùm dicite, Philoſophi, quid eam ſuâ ſede poſuit, & cùm quam habet, nacta ſit, quâ vi, quibus radicibus, quo ponderum æquilibrio, ne nutet, undique teneatur? Quantillum ſpatii eſt quod occupat, ſi omni immenſitatis amplitudini comparetur? Ipſa enim ſi omnium Planetarum complexioni, Planetarum complexio, ſi omnium fixorum diffuſioni, fixorum diffuſio, ſi omni immenſitati comparetur, in punctum, quod magnitudinem nullam habere dicitur, prorſus evaneſcit; cùm iſta innumerabilia æqualis cum iſtis omnibus magnitudinis ſpatia, in ſe complectatur: Dicite igitur quâ causâ, tam opportunè iſtam ſedem, quâ jam ſita eſt, delegerit? Et primùm, tu *Thales*, cùm omnium primus ſis, quid tu ais? Terram aquæ innatare. Solùm ergo dicas, mi Philoſophe, quid aquam ſuſtineat. Quid ergo, tu *Empedocles?* Columnis ab inferiori parte fuſis ſuſtineri. Neque à te quicquam poſtulamus, niſi ut dicas, quid iſtas columnas ſuſtinuerit. Quid vos *Anaximenes*, *Anaxagoras*, *Democritus?* Terram propter ampliſſimam figuræ ſuæ latitudinem aeri, ut aquæ ferrum, ſupernatare, cùm enim diſci adinſtar

lata sit, aer inferior, qui locum non habet, quo migrare possit, Terræ pondus facile sustinebit. An vero non intelligatis arctioribus angustiis, quàm sit immensum istud spatium, quod à terrâ usque ad cœlum diffunditur, aerem non coerceri? Huic autem si totius terræ amplitudo conferatur, in punctum & puncto minus evanescit: Sumite ergo discum testaceum diametri pedalis, quæ majorem ad ingentem quamvis aulam proportionem habet, quam habeat terra ad omne spatium ad usque Lunam; atque experiamini si è lacunari dimittatis, an deciderit, an aeri semper supernataret. At puerorum infantium nugæ sunt isthæc omnia. Quid ergo *Anaximander*, qui veterum omnium optimè censuisse visus est? Terram cùm in medio collocetur, atque æquè ad extrema se habeat, non magis ad supera, quàm ad infera, aut versus latera ferri oportere. Atque adeo cùm simul ad contraria moveri non possit, neque causa sit, quæ huc potius, quàm illuc moveat, sede quam ab initio nacta est, semper manere. Nullam itaque esse causam vidit, quòd hoc potius quàm alio loco consistat, nisi quòd in eo ab initio collocetur: quanquam quâ causâ, & quo fine istum, quem tuetur, obtinere potuit, aut non vidit, aut non dixit Philosophus. Si igitur porrò sciscitemur, quamobrem isto, quo jam sita est, loco, ab initio constituta sit? aut nihil, quod respondeat, haberet, aut nihil aliud, quàm quòd summo opifici sic placuisset: & placuisse, quòd cum eâ rerum naturæ Idæa conveniret, quam ipse sibi in mundo condendo præscripserat. Atque nisi numinis consilio res fiat, nulla certè est ratio physica, quamobrem hunc locum potius, quàm quemvis alium ab initio occuparet; aut si quem fortè occupet, quamobrem tueatur; poterat enim in omni immensitate quemcunque obtinere; quod itaque peculiare quodvis punctum affectaret, aliud in causâ esse necesse est, quàm quòd sic fortè contigerit. Partes enim, è quibus coaluit, aut ab eâdem plagâ omnes, aut à diversis diversæ pervenere: si ab eâdem omnes, quid est quod cùm ad hoc punctum pervenerint, ne ire pergant, inhiberet? Quisquámne enim putat rem imaginariam suâ solâ vi tantam molem, ne quo tendat, pergat cohibere? Si à diversis diversæ, quid est quod ex oppositis undique regionibus in idem spatii punctum impellat? aut si quid impulerit,

Aristot. de Cœlo. l. 2. c. 13.

felici

felici admodum aleâ cecidit, quòd in ipſo puncto, neque ante, neque poſt convenerint, aut ſi fortè convenêre, unde tam æquali undique vi, & mole? Si enim inæquali, altera iſta quæ majori impetu, aut pondere valebat, alteram ſecum abripuiſſet. Et poſtremò, cùm in loco ſuo æquali partium omnium oppoſitione revinctæ librentur, nulla uſquam fieri potuit partium mutatio, quin eâdem tota moles extra punctum ſuum revulſa ruat, & intereat. Quippe ſublato in quâlibet parte æquipondio, cùm robuſtiori oppoſitæ pondere vincatur, tota concidat neceſſe eſt. Anaximandro, aliiſque, qui præceſſerunt, rem paulo propiùs attigiſſe videtur P. Gaſſendus; terram ſive in centro mundi, ſive in alio quocunque loco conſtituta à Deo fuerit, ibi idcirco quieſcere, quòd ipſa ſecundum ſe totam neque gravis ſit, neque levis, ut deprimatur, aut avolet; ac centrum interim in ſe habeat, cujus reſpectu partes ipſius graves, levéſque intelligantur, ac cenſeantur proinde deſcendere, dum in ipſum tendunt, aſcendere dum ab eo recedunt, veluti globus ex eâ confectus materiâ quæ ſub pari mole æquiponderet ipſi aquæ, quieſcit in vaſe aquâ oppleto, quacunque in parte eam poſueris, ſive in ſuperficie, ſive in medio, ſive in fundo. Genuinam quidem terræ ſitûs, quem ab initio habuit, cauſam attigit, nempe authoris arbitrium, qui hoc loco, cùm alio poterat, ſitam eſſe vellet, cùm autem conſtituta ſit, quâ vi defixam ſe teneat, niſi quam qui condidit impreſſit, ipſe non magis phyſicè, quàm cæteri, expoſuit; Globus enim iſte qui ſi in quâcunque aquæ parte poſueris, quieſcit, idcirco quieſcit, quòd aquæ æquipondio libretur, adeo ut quæ aquæ pars ei ſuccumbit, eum, cùm ipſa pari ſit pondere ſuſtineat. Iſtuc verò quid ad terræ globum, qui tenui aere, eundem etiamſi multis gravitatis momentis vincat, ſuſpenſa tenetur, atque ita æquipondii ratione, ut globus iſte non conſiſtit, at ſi iſta fixa non ſit, hactenus quamobrem quieſcat, nihil explicatur. Quod autem gravitatis vim non toti terræ, ſed ſingulis ejuſdem partibus ineſſe inſinuaverit, id prorſus ab æquipondii exemplo alienum eſt. At verò quæ ſit admirabilis iſta virtus, & unde dicendum eſt, id enim quærimus, quî ipſa materia, ſi ſibi relicta ſit, undique ab omni parte in medium feratur? Sin vero, eam aliunde

Phyſ. Tom. 2. l. 1. c. 1.

aliunde acceperit, à summo conditore datam esse fatendum est. Et quidem quantâ artis solertiâ rem comparavit, mox dicemus.

V. Præcipuè Guildinum de centro gravitatis, & Cabæum de magnete, l. 1. c. 18.

Sententia autem omnium maxime trita, & vulgaris ista est, quam Philosophi ad unum omnes è Societate Jesu tuentur; qui Ecclesiæ pariter interesse putant, ut in Philosophiâ Aristotelis, ac in fide summi Pontificis decretis obsequamur. Clamant hi, sensu simul & experientiâ constare, atque doctissimorum omnium virorum testimoniis, & rationibus comprobatum esse, gravia omnia, nisi quid impediat, innato suo pondere deorsum ferri, neque quovis loco quiescere, donec centra sua universi centro aptaverint: Adeo ut centrum centro, medium medio undiquaque consentiat, ut si terræ moles, aut loco dimoveatur suo, aut in nihilum abiret, corpus aliquod grave undique ad universi centrum convolaret, neque cùm extimâ sui parte centrum attigisset, quiesceret, sed eo usque moveri pergeret, donec suæ gravitatis centrum, ipsi universi centro incederit; ad hanc tamen opinionem comprobandam, quam doctissimorum omnium rationibus comprobatam esse clamant, solius Aristotelis authoritatem interponunt, isti vero suo loco responsum erit, hos interim, ne nimium exultent, monuisse sat sit, cùm in omnes partes immensa sit regionum magnitudo, istius neque medium, neque extremum esse, atque igitur nullum in omni spatio centrum, ad quod gravia omnia convolarent inveniri posse. Atqui tamen in ipso mundo, inquies, reperietur, qui scilicet cùm orbis formâ extruatur, gravia omnia undique ab ipsius extremitate, suo pondere ad centrum delabuntur. Hi verò laborem labori cumulant, nunc enim ab iis, non quid terram, sed quid mundum suo loco sustineat, quærimus; etenim immensus cùm sit iste, quem videmus, cœlorum complexus, nobile problema, atque ipsius Archimedis acumine dignum putarem, tam quî se tanta moles, opifice extra se nullo, fabricata sit, quam quî in regione vacua fulcro extra se nullo subnixa sua virtute se sustentaverit. Quod cùm dixerit, dicat quoque, quî terra suâmet stabilita mole, universi centrum & possideat, & tueatur. An quòd ista sit gravitatis indoles ad centrum ferri? Quamobrem verò tam varia sit ista, ut materiæ particulas undique ex omni regione

huc

huc exilire faciat, alias infernè, supernè alias, ab austro alias, alias à septentrione, has ab Oriente, ab Occidente illas, & denique à quâdam regione quasdam? An quòd mundi centrum potius quàm alium quemcunque locum appetunt? An ergo quid in ipso centro sit, quod corpora à se longè dissita ad se provocet? at res ficta est, & spatium inane, nihili autem vis nulla est, nulla actio, & etiamsi quid valeret, quare potius hoc universitatis punctulum, quàm quodvis aliud, omnia ad se alliciat? unde vires adeo validas præ aliis quibusque adipisci potuit, ut ad se à reliquis omnibus arripiat? vel si omnino attrahere potuerit, quod, quæso, illius commercium cùm particulis, quæ ubique ferè immensùm ab eo submoventur? Aut denique quibus nunciis ad se vocat, & quibus instrumentis ad se trahit? An innata corporibus gravitas eò sponte feratur? Id si dixeris, illuc ferri, quòd illuc ferantur dicis. Hoc ipsum enim est quod requirimus, undenam materiæ cujusvis natura ad determinatum hoc spatii punctum potius quàm aliud quodvis feratur, cùm pateant pariter infinita, in quæ pari libertate abire posset. Si verò vi innatâ feratur, cur non eâdem viâ omnes ejusdem particulæ? aut quî cùm vis sit eadem, omnium contrariâ moveantur, ita ut opposita oppositis occurrant? Si enim ob naturæ necessitatem, quædam materiæ partes ab ortu in occasum abirent, quamobrem non omnes? & è contra cur non ab occasu in ortum omnes? Cur denique utræque in regionem contrariam non recederent, ut quæ ab Occidentali plagâ in Occidentem, & quæ ab Orientali in Orientem ulterius proripiant? propterea cùm materia naturæ suæ indole, non certo quodam motu rapiatur, aliud quiddam est quod istius motum definiat. Alioqui fieret istius partes certo quodam motu moveri, & tamen singulas sine omni causa moveri. Denique corpora omnia ubicunque posueris, spatium sibi æquale inveniunt, quorsum itaque novas sedes quæsitum eant? & si quæsiverint, quo duce ab omni undique regione iter brevissimâ viâ conficiant? & cùm confecerint, quo magistro ad locum sibi præstitutum pervenisse se intelligant, ut quàm primum pervenerint motum ultrò sistant, adeo ut si vi ulteriùs ire coegeris, se quàm citò sibi relicta sint, in motum contrarium deflectant? Admodum sanè isto unico

præ aliis omnibus in immensitate puncto delectantur, ut ubicunque posueris, continuò in intimos ejusdem amplexus ruant.

Sect. V. Jam verò cùm mechanicorum omnium sententias retulerimus, quâ Philosophiâ ad hujusce rei scientiam utare nihil interesse vides, & præterea nullam causam esse, quicquid balbutire conentur Philosophi, quamobrem terra suâ sede collocetur, nisi opificis consilium adhibueris, qui hâc potius, quàm quâvis aliâ posuit, ut à sole aptissimum intervallum haberet: vides enim, & sentis quantâ cum rerum utilitate ipse lumen & calorem ubique diffundat, quæque in terrâ nascuntur omnia gignat, foveat, & in vita tueatur, ita ut sine eo non omninò, nedum jucundè vivere possimus. Quarum tamen omnium utilitatum, nisi habitâ à quodam summâ intervalli ratione, nihil conferre poterat; si enim loco suo moveatur, aliúmque aut propiùs, aut longiùs dissitum occuparet, ipsum eundem quem tot, támque egregiis naturæ usibus inservire sentimus, non modò nihil prodesse, sed maximè nocere sentiremus. Si enim Lunæ ambitu circumferri contigisset, contigerat quoque cursum per Zodiacum, sicut & ipsam Lunam, spatio menstruo confecisse; atque inde tempestatum vicissitudines, quæ annuæ jam sunt, menstruas fecisset; quo fieret, ut unius mensis ætate, hyemis, æstatísque varietates rediissent; quas si tam breves fuisse contigisset, omnis omnium, quæ terrâ gignuntur, periisset vita, & vegetatio; quòd fruges quæ per æstatem provenerant, priusquam ad maturitatem pervenire possent, brumale frigus enecasset. Ablatis autem terræ frugibus, omnia animantium genera fame quoque contabuissent. Deinde cùm tam arctâ vicinitate Sol Terræ incubuerat, annon vides tam largos, & vehementes in eam ardores effudisse, ut aut penitus ista conflagraret, aut istam saltem tam fervido calore percoqueret, ut tota inutilis fiat, atque animantibus inhabitabilis? Insuper, quid si tanto intervallo, quanto fixæ, aut longè majori distaret, annon Orbis Terrarum sempiterno squalore horruisset, in quo, cùm solis lumine, & calore destituatur nihil, aut proveniret, aut pubesceret, aut maturitatem assequeretur; isto enim intervallo nihilo validior æstus à sole

quàm,

quàm ab ipsis inerrantibus ad nos usque appelleret, qui imbecillior fuisset, quàm ut terram tepefaciat, saltem ut eidem quicquam solatii, aut fœcunditatis afferat? Quid quod denique nimio isto recessu, nimiùm quoque distarent Tempestatum vicissitudines; si enim, vel quidem ipsius Saturni orbem lustraverat, cursum suum non ante triginta annos confecisse poterat, atqui istâ ratione hyemalis tempestas quindecim annos habuerat, quam diuturni frigoris inclementiam, nisi maximâ calamitate, ferre non potuit orbis terrarum. E quibus terram, si quovis alio universi loco sita fuisset, omni usu caruisse vides, nisi aliæ mundi partes solùm ut cùm ea congruant, alio modo, aut ordine comparentur; istuc autem ut fiat, opificis consilio opus est, qui rerum emolumentis consulit: atque istum, etiamsi terra longiùs, aut propiùs à sole abesset, illius commodo aliâ ratione prospexisse posse fatemur, v. g. si majorem, vel minorem intervalli distantiam, aut motûs celeritate, vel tarditate, aut virtutis magnitudine, vel parvitate compensaret. Ut si propiùs in Lunæ ambitu Solem posuerat, eidem vim pro distantiæ ratione magis temperatam dedisse poterat, atque motum etiam eo moderatiorem, ut circuitum suum, non nisi anni spatio conficiat. Aut, si longiùs ad Jovis ambitum abduxerat, duplò majorem caloris quantitatem, & motus celeritatem dare potuerat; quo fieret, ut eâdem utilitatis ratione, quâ nunc, terræ inserviret. At ista, inquam, omnia opificis sunt, quo sublato, etiamsi alius contigerat terræ situs, cætera omnia eodem quo se habent modo haberent, neque rei cujusvis pro rerum commoditatibus facienda mutatio esset. Annon itaque mirabile videatur, cùm unicus sit in omni mundo locus, quo terram sitam esse expediret, si cæco mechanismi impetu extructa sit, ut eam ex omnibus sibi sedem deligeret? Immo denique cùm nulla sit causa Physica, quæ eam quovis omnino loco stabiliat, cúmque loco omnium aptissimo stabiliatur, quid superest, nisi ut optimi istius divini Architecti munificentiam suspiciamus, qui nobis domicilium tam commodâ sede constitutum, & extruxit, & ornavit? Quod idem de terræ à sole in latitudinem distantiâ dici potuit; spatiorum enim immensitas, non modo sursum, & deorsum, sed & in latera diffunditur, ut igitur fælici admodum aleâ cecidit, terram soli

non propiùs sursum admoveri, neque longiùs deorsum amoveri, ita neque ab hac, neque ab illa parte sitam fuisse, sed loco ad ipsum solem parallelo. Cùm autem sit in utrumque latus latitudinis immensitas, quî in omni ista immensitate, terra se isto puncto collocavit, quo uno, soli subjecta, jaceret? Innumerabilia spatia sunt terræ diametro æqualia, quî, quæso, igitur ex omnibus id unum elegit, quo præcisè eodem latitudinis circulo, quo Sol circumfertur, se supposuit? Si enim unâ diametro, aut Boream, aut Austrum versus sitam esse contigisset, extra Solis viam prorsus jacuisset. Immo verò non modo aliquam sui partem, sed ipsam mediam sui regionem subter illius cursum collocavit: Ipse enim si Australi immineret, iners jacuerat Borealis; & contra, si Boreali Australis. Cùm vero supra ipsam medietatem transeat, radios suos pariter in utrumque latus diffundit. Verùm cùm de Solis motu, de hac re fortè fusiùs dicemus.

SECT. VI. Cùm verò terra suâ sede defixa sit, dicite quâ vi omnes ejusdem partes tam arctè undique toti cohærere consentiant? Quo principio à contrariis regionibus pars quæque in medium semper nitatur, adeo ut ubicunque posueris nullâ morâ terram appetat, totiúsque compagem tueatur? Cur non potius in immensam istam, quâ circumfusa est, inanitatem decideret, cùm quæque illius pars, ubicunque terrarum sita sit, spatium, in quod abeat, vacuum inveniret? Præsertim cùm communis vestrûm omnium opinio sit, omnia in quamcunque partem susque deque, ubicunque vacuum reperiant, avolatura. Saltem quò minùs avolarent, nihil est quod impediat, cùm qui circumfunditur, aër non satis crassus sit, ut illarum motibus, si abire vellent, obnitatur. Cùm autem hâc de re duæ sint sententiæ, altera quæ Mechanicorum omnium communis est, terram noctis diéique spatio circa axem proprium convolvi; altera quæ Peripateticis propria, eandem media mundi sede immobilem semper hærere, quarum utram sequaris, neutrâ quicquam assequeris. Si priorem, tantum abest, quicquam fore, quod omnium à terra discessum impediret, ut tanta motus pernicitate, quæ in extimâ illius superficie soluta sunt omnia, longè, latéque dissiparet; cùm nihil magis experti sitis, quàm si quid rotundum quavis celeri-

celeritate circumrotetur, id omnia quæ eidem accumbunt dissipaturum. Sin posteriorem, qui Peripatetici estis, sequamini, quanquam sui dissolutionem non efficiat, quâ tamen vi omnes sui partes sibi undique cohærere faciat, ut dicatis provoco. Nihil enim vos vestram gravitatis qualitatem juvare demonstravimus. Quid enim est, quod eandem terræ particulam ab oppositis regionibus, in idem centrum provocare possit, ut, si inferiùs posueris, sursum assurgat, si superiùs descendat? cur, quæso, cùm ad centrum perveniret, ultra ire non pergat, aut si tu ipse, ut ulteriùs pergat effeceris, se suâ sponte in motum contrarium flectat? Hujus, inquam, nulla causa reperiri potest, si nullum præter ipsius materiæ naturam motûs principium agnoscatur. Si verò quis omnibus terræ particulis propensionem quandam ab omni parte in medium se movendi, quo meliùs totius compages conservetur, inditam esse dixerit, iste rem non materiæ indole, sed solius providentiæ consilio expedire conatur, utpote quæ contrariis terræ partibus contrarios conatus indidit, ut mutuâ omnium oppositione totius moles æqualibus undique momentis libretur. Atque id est, quod de omnibus naturæ phænomenis dicimus nullius causam inveniri posse, nisi quæ in ejusdem institutione ad suum cujusque finem respexerit. Quanquam autem qui huc usque provehuntur, rem nostram, non tamen suam, confecerunt, nisi quoque quâ ratione interna ista vis se exerat, dixissent. Quomodo enim eadem terræ particula se centri desiderio in contrarios motus mittat, intelligi nequit, nisi quoque ubi ipsum sit centrum, atque ad ipsum ferri, sui interesse intelligat, suásque movendi rationes, ut expedire intelligit, mutare valeat. Ut itaque, quæ sit admirabilis ista naturæ facultas, sciri possit, primùm dicendum est, quo instrumento, & quâ ratione peragatur, id quod nunc paucis dicere conabor, cùm tam admirabili providentiæ solertiâ constituta sit, ut sit nihil in omni aut arte, aut naturâ, quæ pari constituatur. Neque enim alia est totius terræ, quàm ipsius magnetis facultas, quæ maximum naturæ non modo arcanum, sed & miraculum ab omnibus & dicitur, & habetur. Eadem enim omnia quæ in magnete in ipsâ terrâ reperiuntur; suos habet Polos, Æquatorem, Axem, Parallelos, Meridianos, eósque

que non tantum mathematicos, sed & physicos: cùm magnetica omnia in variis ubique telluris plagis se eâdem varietate ad terram, atque ad magnetem componant. Virga enim ferrea in polis erigitur, in æquatore jacet, in parallelis obliquo situ, idque magis, aut minus, pro parallelorum varietate se componit, neque solùm eandem utrique vim insitam esse, sed magnetem, quicquid habet virium, à terrâ accepisse comperimus; cùm quoties naturæ suæ imperium sequi liceat, se ad ipsam terram coaptet, ejúsque situm æmuletur. Si enim funiculo suspendas, aut vasculo cuivis impositum aquæ innatare facias, comperies nunquam quiescere, donec polos suos terræ polis, atque horizontem ejusdem horizonti adaptaverit, quem situm, cùm adeptus fuerit, si eo deturbetur, nunquam quiescet, donec se in eundem restituerit, immo etiam in quotcunque partes diviseris, quæque pars se ad terræ situm componet; nempe si per medium, aut æquatorem secetur pars extrema, quæ ante ad faciem australem pertinebat, fiet polus septentrionalis, & quæ ad australem fiet borealis, quod idem in quantulacunque frustula comminuas, semper experiêre. E quo, inquam, clarè intelligas, quam habet virtutem non sibi propriam, sed terræ globo communem habere, neque solùm ipse magnes, sed & magnetica omnia eodem modo se ad terram, ac ad magnetem componunt; ut enim ferrum si magneti affricetur, variam pro tactûs varietate verticitatem, sive borealem, sive austrinam, sive quamvis aliam ex utrisque compositam acquirit; ita si ferrum aliquandiu fortè ab austro in boream jaceat, aut si candens eâdem positurâ refrigescat, eandem cùm ipsâ terrâ verticitatem induet, ut quæ pars ad boream jacuerit, semper maneat borealis, quæ ad austrum australis. Adeo ut quocunque situ ad terram posueris, si sui juris fuerit, sua sponte se in situm naturalem convertet. Et si in igne pristinam verticitatem extinxeris, & contrario situ refrigescere curaveris, contrariam directionem nancisci facile comperies, immo denique ferramenta omnia, si ad aliquod tempus erecta steterint, vim magneticam à terrâ concipiunt, adeo ut pars inferior semper fiat polus borealis, superior austrinus. Quod facillimis, & maximè familiaribus experimentis comprobatur; cùm ferrei fenestrarum cancelli, instrumenta focalia,

ealia, ut batilla, forcipes, temporis diuturnitate magnetiſmum pro ſitûs ratione concipiunt. Immo & lateres qui in ferream duritiem igne excoquuntur, quos ubique plateis, & viis publicis ſtratos reperias, longo quoque annorum curſu eandem verticitatem acquirunt, ut quæ pars deorſum ad terram jacuerit, virtute boreali imbuatur, quæ ſurſum cœlum reſpexerit, auſtrali. E quibus omnibus quin princeps ſit terra, magnes aliorúmque omnium parens dubitari nequit. Si ergo nuperis experimentis à Gilberto, Cabæo, Kirchero, circa mirabiles magnetiſmi virtutes, factis te delectes, atque eadem omnia, quæ in magnete reperiuntur, in terrâ reperiri deprehendes, immenſam iſtam Architecti ſolertiam, quàm admirabere, & ſtupeſces, qui tantam totius terræ molem tam ineffabili artis ſubtilitate fabricavit! Ad recentiores mitto, quòd de ejuſdem viribus nihil ab antiquis, quod lectu dignum ſit, acceperimus, niſi quod Lucretio ad Epicuri mentem ferrum ad magnetem effluviis quibuſdam attrahi legamus, quam rem eâdem mechaniſmi ratione deſcripſit Poeta, quâ Poetæ alii in truncos, & ſaxa, homines immutatos fuiſſe deſcripſerunt. Nihil autem iſti de magnete norunt, niſi quod ad ſe ferrum provocet, de verticitate verò polari nihil. Atque adeo Johannem Goiam oppidi Melphitani in regno Neapolitano civem, anno 1300. pyxidem nauticam primùm inſtruxiſſe fertur, quanquam alii Paulum Venetum iſtius artem, quam à Sinenſibus ipſe didicerat, anno circiter milleſimo ducenteſimo ſexageſimo in Italiam traduxiſſe voluerint. Petrum autem Peregrinum Gallum, tertio circiter abhinc ſeculo, primùm de ea ſcripſiſſe refert Cabæus, cujus libellum Garzonius ſe vidiſſe teſtatur, antiquâ membranâ conſcriptum in Bibliothecâ Caſtellanâ Venetiis, quanquam eum poſtea Johannes Taiſner tanquam proprium evulgavit, ut Gilbertus Peregrinum è Rogeri Baconi ſcriptis ſuffuratum fuiſſe ſuſpicatur. At nihil aliud illi de magnete, quàm quòd polos reſpiciat. Gilbertus autem omnium primus, illius philoſophiam tractavit, eámque tam auſpicatò, ut eandem, quam in ſanguinis circulatione Harvæus gloriam adeptus ſit, nempe quod ipſe, qui primus invenerit, prorſus abſolviſſe videatur: atque adeo qui eum poſtea ſecuti ſunt, Cabæus, Kircherus, aliique, quanquam experimenta

Gilb. lib. 1. c. 1.

quæ-

quædam, eáque non levissimi momenti adinvenere, de ipso tamen argumento novi nihil, neque sane ipsi Gilberto usquam nisi Aristotelis causâ adversantur, nihílque aliud fecisse videntur, quàm quòd Physiologiam Magneticam, quam ipse in lucem protulerat, ipsi tenebricosâ suâ qualitatum philosophiâ obscuraverint; controversia autem quam cum eo habent, an scilicet terra sit magnus magnes, solo litis amore movetur. Cùm enim Gilbertus magnum quendam magnetem in intimis terræ visceribus delitescere voluerit, cujus vires exteriori illius crustâ quodammodo domantur, illi vim magneticam, imbecilliorem tamen, toti moli pariter infusam esse, summâ vi, impetúque contendunt. Uter autem vicerit, nostrâ nihil refert, cùm in utraque sententiâ Dei optimi maximi summa sapientia pariter eluceat, sive enim majorem vim in terræ viscera profundiùs immerserit, sive minorem partibus etiam exterioribus latere voluerit, eximium providentiæ munus est tantam solùm esse, quanta usibus humanis prodesset; si enim tanta toti quantam Gilbertus interiori telluris medullæ inesse putat, aut si tanta interiori ejusdem medullæ inesset, quanta cuique parvo magneti inest, neque ei quicquam virium exteriori luto dematur, immobilia omnia & ad se affixa teneret. Ne verò mirabiles omnes magnetismi affectus sequar, paucis rem, quam velim, satis conficiam.

Cab. l. 1. c. 19. Kirch. l. 3. c. 1. sect. 1.

Sect. VII. Primùm itaque multis observatum est, atque diuturnâ ubique animadversione notatum, saxosas terræ venas ad axem mundi parallelas, & ad ipsius terræ planum horizontale incidentes per Æquatorem utrinque à polo ad polum excurrere; adeo ut, ubicunque terrarum, montium situm, & ordinem observaveris, interiores illorum fibras plerunque eâdem Horizontis obliquitate, quam in istâ regione facit ipsa terra, per ordinem, ad polos dirigi experturum esse polliceantur. Quod in Germaniâ Keplerus, in toto Appennino Cabæus, Kircherus autem, aut propriâ, aut amicorum industriâ, ferè per totum terrarum orbem, tum in altissimis rupibus, tum in profundissimis fodinis, experti fuere. "Imo, inquit, ille, hoc experimentum ipsa montium ex "Austro in Boream, in exteriori telluris superficie conca-

Lib. 1. part. 2. Exper. 2.

"tena-

" tenatorum ſeries dictæ compaginationis, veluti quoddam
" rudimentum ſatis ſuperque indicare videtur. Apen-
" ninum certè, Pyrenæos, & Alpes in Europâ; in Aſiâ Tau-
" rum, Caucaſum videmus cùm Parapaniſo ab ultimâ inſulâ
" Zeilano, per mediam Indiam, Aſiam, & Scythiam, aliis
" montium ramis, veluti coſtis quibuſdam Oſſaturæ in utrum-
" que latus, rectà in Boream tendere; Africanos quoque,
" ſeu Lunæ montes, ab Æquinoctiali in Auſtrale uſque Bonæ
" Spei promontorium, & hinc in Boream Atlantem continuâ
" ſerie excurrentes novimus; Americam denique univerſam
" veluti ſepto quodam montium, è Borea in Auſtrum rectà
" tendentium, in Orientalem, & Occidentalem dividi notius
" eſt, quàm dici debeat. Cùm enim Sol & Luna, inter du-
" os tropicos ex ortu in occaſum perpetuò feratur, magnóſ-
" que maris motus cauſetur; conſultius erat terræ corpus
" ex auſtro in boream, ſive Βορεο-νοτίως ad firmiorem to-
" tius conſiſtentiam, partiúmque ſingularum connexio-
" nem, quàm Ευρο-ζεφύρως compaginari. Quod ſi fibris ex
" ortu in occaſum excurrentibus id fuiſſet conditum, timen-
" dum erat, ne nimio Solis ei incumbentis calore, & ſicci-
" tate torrefactum ſucceſſu temporum fiſſum, diviſionem
" continui zonâ torridâ, frigidâ verò è nimiâ humiditate, &
" frigore ejuſdem diſſolutionem pateretur. Aut etiam ex
" vehementi oceani motu, partes aquarum illiſione paula-
" tim conſumptæ totius interitum cauſarentur. Sapienter
" igitur divina providentia hac ferreâ ligaturâ, ſeu magneti-
" co vinculo, telluris corpus contra feros maris fluctus, &
" Solis, Lunæque injurias, armare voluit. Quos terræ fibra-
rum ductus orbiculari compagis formâ coagmentari cenſuit
Cabæus, ſeu cepæ inſtar ſphæricos eſſe, ita ut per medium
excurrat Axis, & circa Axem circumponantur, veluti folia,
primùm minora, deinde majora, & majora; ſicuti enim, ſi
ſcindatur cepa, cernuntur folia illam coagmentantia excur-
rere circa polum, ſeu circa axem; hoc idem etiam dico ap-
parere in terrâ, ſed propter magnitudinem globi illæ venæ,
quæ ſic terram coagmentant, & quaſi componunt, videntur
parallelæ axi, quamvis revera rotunditatem ſphæræ terreſtris
ſequantur, & in polis quaſi committantur. Sic ille. Kircherus
autem aliâ formâ ſcilicet cylindri in modum extructam fuiſſe
cenſuit,

L. I. C. 17.

S

censuit, quâ verò ratione non dixit; quâcunque autem formâ extruantur, prorsus mirabilis videtur Architectonica ista naturæ industria, quæ tantos, támque validos ferri, & saxi arcus unâ compage invicem commisit, & coagmentavit. Primum enim nihili non esse videtur materiam, quæ ad robur, & diuturnitatem aptissima sit, paravisse; quippe terræ globum non molli, & inerti luto, sed metallo tenaci, omniúmque durissimo effecit: tum deinde in ingentia quasi ossa, & ferramenta, quæ per universam molem excurrant, fabricavit, eáque eâ figurâ composuit, quæ firmamenti ac roboris vim maximam haberet. Et denique tam validis commissuris in medio devinxit, ut quanquam ipsa terrarum moles è pluribus ferri orbibus, invicem conjunctis, constet, isti omnes ingenti trabe per axem excurrente, ad majorem stabilitatem sustenentur, adeo ut demum tot arcubus, quot circulos per Æquatorem à Polo ad Polum ductos fingunt Geographi, tota moles fabricata esse videatur. Atque etiam uti polari magneticorum verticitate, & venarum ad polos excurrentium ductu, esse quorundam in ipsis polis arcuum commissuras certa quadam ratione confici potest; ita probabili admodum conjecturæ locum dare videtur magnetis variatio fibras à polis excurrentes aliis ab ortu in occasum obliquè excurrentibus, hinc inde intercisas esse: Neque enim quamvis causam probabilem hactenus attulerunt philosophi magnetici, cur tantâ varietate à polari directione distrahatur magnes, nisi quòd cùm prope intersecantes hasce fibras immineat, ipsarum virtute à meridiano flectatur. Ut si plures magnetes cuique acui supposueris, juxta illorum situm verticitatis variationem fieri experiare. Si verò terra hujusmodi quasi ferrearum trabium commissuris ubique secum ipsa jungatur, magna certè ad totius stabilitatem præsidia afferunt, cùm & se mutuò sustentent, & in quâque commissurâ quasi trabali clavo figantur. Ut si uspiam fortè temporis diuturnitate pars cujusvis arcûs labefactetur, non ultra proximæ commissuræ nodum ruina serpat. Qua Architecturæ ratione, si extruatur terra, longè majori arte fabricata est, quàm Lacunaria ista, quæ nullis columnis sustentantur, quorúmque trabes ejusmodi contignatione invicem commissæ sunt, ut altera alterius pondus sustineat, ita ut si extremitates ferre valeant parie-

parietes, media pars se ipsa ferre valebit. Quanto autem præclariori Architecturæ arte extructa est terrarum orbis fabricatio, cujus non modò pars quæque, ne ruat quamque fulcit, sed tota seipsam. Atqui istam profectò solertiori arte architectatus est operis fabricator, quàm ut imitando fabri, aut intelligendo philosophi assequantur.

SECT. VIII. Atque hoc est quod, omnium quæ in naturâ aut arte cernuntur, prodigii simillimum esse dicimus, vim quandam undique toti moli infusam esse, quæ se à medio in omnes orbis partes diffundat, adeo ut à quâque totius parte sit illius in quamque conatus. Vis enim magnetica non ad polos aliúdve in terrâ punctum determinatum dirigitur, sed radios suos, & quasi jacula, in omnia extremitatis puncta emittit, quanquam in polis validior sit, quòd in axe adjacentium omnium virtus coire videatur, tamen non ab axe rectà in polos, sed à centro in orbem se undique jaculatur, ut ubicunque magneticum quodvis posueris, lineâ brevissimâ ad centrum attraxerit. At maximam admirationem movet ubique, & in omni parte virtutem oppositam inveniri, adeo ut si hic radius ab Austro in Boream prodeat, ei proximus se in oppositum spiculetur. Quâ ratione terram firmissimâ, & subtilissimâ quâdam concatenatione secum sibi cohærere facit. Cùm enim par sit à centro in omnia extremitatis puncta nixus, istâ mutuâ oppositione terra loco suo immobilis libratur, quòd cùm unâ quasi chordulâ in hanc partem trahatur, & in oppositam alterâ, inter utriusque luctam cùm neutra propter virium æquabilitatem cedat, ne in quam partem nutet firmissimè detinetur, cùm autem arctissimis magnetismi vinculis terra, quæ tam robustè secum ipsa juncta est, colligatur, tanto stat robore ubique stabilita, ut stabilius nihil, aut ab omni ruinâ tutius, fingi potuisset. Primùm enim radii utrinque ab Æquatore ad polos vibrantur; deinde à centro ubique per totum terrarum orbem, quâ vigoris radiatione omnia circumferentiæ latera & centro & invicem quasi vinculis devinciuntur. Cùm vero terrarum orbis, qui ipse tantâ firmitate fabricatus sit, tam variâ, & involutâ concatenatione devinctus, & constrictus ubique teneatur, Architectos, & machinatores omnes provoco, secum ipsi

cogitent, quî quoquomodo majori robore confici potuisset.

Atqui omnium maximam admirationem movet radiosa ista magnetismi tensio, quod cùm ad certum spatii intervallum vires suas explicuerit, conatum retrò in terram flectat, quo terrestria quæ in extimâ superficie jacent omnia, ne in aeris immensitatem decidant, suis sedibus alligantur. Quod si eâ ratione, quam descripsit Cartesius, aut aliâ eidem simili fiat, nempe quod particulæ magneticæ, quæ ubique è terrâ prodeunt, neque rectà ferantur, neque eâdem viâ revertant, sed semper facto orbe cursum inflectant. Cùm verò majori copiâ è Polis exilire contigerit, majores vortices componunt, ut quæ ab australi exeunt in terram non redeant, nisi ingenti facto circuitu per borealem, & quæ à boreali nisi per australem. Quo particularum itu, reditúque omnes virtutis magneticæ vires explicandas esse putat. Quî tamen solis mechanicis materiæ legibus fiat ista magneticarum particularum dispositio, neque ipse, neque quisquam alius eum secutus dicere aggressus est. Ut enim cætera omnia in magnete mirabilia prætercam, quamobrem quæso particulæ ex uno polo exilientes non rectà ire pergant? quâ causâ ipsæ suum cursum inflectant, &, quo duce, tam immensa itinera à polo ad polum conficiant? An quòd (ut insinuare visus est) meatus habeant ad mensuram suam excavatos, per quos faciliùs transire possint? Quî verò quæ è boreali venêre tam opportunos meatulos in australi sibi factos fuisse intellexerunt? & si intellexerint, quî cursus suos tantis itineribus gubernare possent? Nisi enim particulis suis intelligendi facultatem tribuat magnus iste Philosophus, nunquam eas cursus suos incurvare, neque, quæ ab uno polo exeunt, easdem per aerem circumfusum certâ viâ ad alterum reverti efficiet. Quocunque autem principio, & quibuscunque instrumentis suas terra magneticas virtutes exerceat, duo sunt, inquam, quæ satis mirari non possumus. Primùm, interiorem illius medullam tam exquisitâ partium concatenatione compositam fuisse, ut tota è catenulis fiat, quæ à polo ad polum tensæ excurrunt. Quid enim mirabilius esse possit, quàm tantam terræ molem è principiis, tantâ artis subtilitate fabricatis, constare, ut sit tota nil, nisi catenularum undique in omnes

partes

partes tenſarum conglomeratio. Alterum quod nos ſatis mirari non poſſe dixi, eſt ſpontanea iſta effluviorum magneticorum vibratio; virtutem enim ſuam in ferrum, niſi corpuſculis in ipſum immiſſis, exercere nequit, ſive catenarum, ſive uncorum, ſive brachiorum, ſive chelarum adinſtar fuerint, ſive quacunque aliâ formæ ratione fiant, ineffabili ſanè ſubtilitate fiunt, cùm quanquam tam inſigni potentiâ valeant, facillimè per ipſam marmoris ſoliditatem penetrare poſſint, quàm ſtupenda eſt iſta opificis ſolertia, qui tantam molem, è pulviſculis, tantâ artis ſubtilitate invicem commiſſis, fabricavit, ut equidem jure nihil in omni arte, aut naturâ eſſe dixerim, quod cum ipſius terræ coagmentatione conferendum eſſe videatur!

SECT. IX. Cùm verò terra in ſeſe undique conglobetur; cùm ſuo ponderum æquilibrio ſuſtineatur; cùm denique debito, à ſolis ambitu, intervallo collocetur; dicite quid aut terræ, aut ſoli, aut utrique motum impreſſerit? Quid circa axem, quid in orbem, quid per eclipticam? & primùm quo principio motus omnino inchoetur dicite? Quid verò de eo dubitaveris, inquitis, cùm naturalem omnem interno, violentum externo cieri inquiamus omnes? Novi equidem, id autem quod dicitis quemadmodum fiat, dicatis rogo. Quid enim, an res ſeipſa moveat, an aliâ quâvis quæ in ipſa ſita eſt agitetur? Si aliâ quâvis, motûs ſui principium non eſt, ſed aliunde impulſa movetur. Iſta ergo alia quæ motum inchoavit, an ſe moveat, an aliunde mota ſit? ſi mota ſit, eadem quæſtio ſemper futura eſt; ſi ſe moveat, dicatis velim quî motum ſuum ſine perceptione, & arbitrio in quamvis determinatam viam definire poſſit? Sic cùm lapis deorſum decidit, ſi internâ vi feratur, quamobrem viæ rationem non ſurſum dirigat? Cùm enim in aere ſuſpendatur, an terra ubi ſita ſit novit, ut eam rectà petat; an eſſe ſedem ſibi aptiorem, ut ſponte appetat? in terram ergo quî principio quovis interno feratur, non intelligo, niſi, ubi ſita ſit, percipiat, eſſe locum ſibi inſtitutum intelligat, omnémque gravitatis ſuæ vim eam verſus inclinare faciat. Atque adeo cùm Sol circa axem ſuum, aut Terra circa ſuum volvatur, quamobrem, ſi uter ſe movere poſſit, hoc potius quàm

retrò contrario motu se verset? An quòd sic fortè ab initio contigerit? At contingentiæ istius causam quærimus, & nisi quam afferatis huc potius, quàm illuc se versare, & sine causâ dicitis. An ergo quòd majus insitæ gravitatis pondus altera parte delitescere contingat, at gravitatem nisi vim aliunde inditam esse fateamini, nullam esse posse demonstravimus. At si (ut velitis) insita fuerit, cùm tamen totam molem eo situ disposuit, ut pars gravior ad locum inferiorem pervenerit, quamobrem non quiescat? Aut quâ vi se in oppositam partem tollat, adeo ut tandem in circuitu absolvendo pars gravior leviori immineat? Si vero in omni totius parte vis sit æquabilis, ut in omni motu circulari æquabilem semper esse novimus, quid est quod motum omnino inchoare possit, cùm si qui sit, par sit in omnem partem conatus? Aut si quid inchoaverit, quid in hanc potiùs quàm viam contrariam definiat? Adeo ut etiamsi motûs principium invenire possent, quale nullum hactenus invenerunt, nihil tamen quod illius cursum definiat, inventuri sunt, nisi demum quendam esse, qui ipse arbitrio definivit, fateantur. Neque aliud quodvis internum motûs principium reperiemus, nisi quod sit animantibus proprium, quæ sensu, & appetitu moventur. Et si quid aliud esse videatur, quanquam naturale dici possit, quod cum rei naturâ, cui convenit, copuletur, nisi tamen initio à quodam, qui ipse sit præditus arbitrio, inditum esse dicamus, quantumcunque in causarum serie quis perget, nunquam ad causam quæ quicquam valere possit, perveniet. Id quod in lapidis ad terram descensu superiùs diximus, & postea contra Aristotelem fusiùs dicturi sumus, nempe eum fieri non posse, nisi quis terrenis omnibus propensionem quandam in terram movendi, aut ipsi terræ terrena omnia ad se alliciendi virtutem indiderit, quod potissimùm in loco, quem nunc tractamus, tam perspicuum esse videtur, ut Philosophorum alius nemo sit, præter unum Gassendum, qui dicere ausus est, quamobrem aut Sol, aut Terra, at aliud quodcunque sydus axi sua circumvolvatur. Ipse autem post omnes mechanismi conatus, fibris quibusdam, atque machinis perfici voluit, quæ eo ordine compinguntur, ut factâ unius compulsione, vis in proximam transeat, atque ab eâ in aliam, & inde in alteram, usque

Phys. Tom. 1. sect. 2. l. 3. c. 6.

usque dum ob sphæricam figuram extrema primam compulerit, à quâ iterum secunda compulsa tertiam, atque adeo mutuâ omnium impulsione continua fiat totius circumvolutio. Quis autem subtilissimam istam fibrarum contexturam effecit, quis in hanc potius, quàm alteram partem inclinavit, quis denique in motum primus compulit? Optima enim quæque automata, etiamsi in motu perseverare possunt, suâ tamen sponte nunquam eundem incipiunt. Ita syderum orbes, si secundùm fibrarum ductus quis impulerit, in orbem circumire non desinent, nisi verò impulsi non incipient, cùm nulla unquam machinarum dispositio vim motricem sibi dederit, sed solùm apta sit, ut datam conservet. Utcunque sit, si eâ rotularum concatenatione, quam descripsit, quique syderum orbes extruantur, non intelligo, quî magis artificiosâ providentiæ solertiâ extrui potuissent. Atque adeo compagem suam eâ arte fabricatam esse vidit vir ille magnus, ut nisi sapientissimo numine constitutam esse fateamur, neque faciendam, neque intelligendam esse clamat, & proinde Philosophos omnes primo gradu hæc sic se habere profiteri monet, quia opifex summus sic se habere voluit, quàm variè quasi tergiversando, pérque ambages incedendo eò demum redire, ut ad idemmet profitendum adigantur. Sive autem istâ, sive aliâ quâcunque contexturâ cœlestes orbes fabricentur, nulla unquam reperietur causa, quamobrem aut omnino moveant, aut hâc, quâ moventur, seu viâ, seu celeritate, nisi quod summus opifex sic volvi voluerit.

SECT. X. Circumvolutis autem circa se syderum orbibus, quibus tamen machinis per ingentem istum magni orbis ambitum circumvehetis? Trochleas, vectes, rotas sese mordentes, aliaque omnia instrumenta, quibus in terrâ dimovendâ, uti voluit Archimedes, afferte; atque quî quâvis vestrum omnium, aut arte, aut industriâ, sive solem, sive terram circumferre possitis, experiamini. At otiosa est vestra Philosophia, nihilque efficit, sed solâ garrulitate se exercet. Quâ enim descriptione fiant cœlestium conversionum ordines, magnâ cum opinionum dissensione, pro suo quisque arbitrio constituitis. At si quî iste descriptionis modus primùm fine opificis consilio designari, & confici potuit, interrogamus, homi-

hominum loquacissimi prorsus obmutescitis. Cùm verò præcipuè tres sint de cœlestium conversionum ratione sententiæ, Ptolemæi, Copernici, & Tychonis Brahei, ex iis, utram mavultis accipiatis, & quî opifice extra se nullo constituta sit, experiamini. Quid autem de Ptolemaicâ dicam, cùm certissimæ experientiæ adversetur? Cùm Venus quàm Soli supposuit ipsi circumducatur, & nunc infra, nunc supra, nunc ad latera excurrat? quod si utrumque sydus sphæræ solidæ affixum esset, nequaquam fieri potuit, cùm superior Solis sphæra Veneris inferiorem ambitu suo complectatur: Si verò aut istâ, aut simili quavis ratione absolvantur orbium cœlestium motus, non video, quî se artificis cujusdam opus fuisse clariùs indicarent. Id enim quid magis indicat, quàm tam immensus, atque involutus machinarum apparatus, quo innumerabilibus commissuris connexæ sint totius partes, varíisque rotarum invicem junctarum motibus intricati omnium cursus absolvantur? Putásne, nullo opifice rem procurante, tam implexam tot orbium compagem sese suapte naturâ extruxisse, & cùm fortè extructa sit, varias sui partes tam variis, támque involutis motibus versari potuisse? Quàm delectaret, si quis explicare vellet, quemadmodum ingens ista concentricorum, & eccentricorum farrago se in intricatam istam, quâ fit, fabricæ rationem composuerit! Ne verò rem ridiculam nimis exagitem, utram è duabus aliis sententiis mavis, sume, & quî illorum motuum descriptiones conficias, rursum experiare. Quanquam, utram eligas, nequicquam refert, cùm enim Copernicus solis, & terræ tam motum, quàm situm mutavit, Tycho Brahe, seu potius Longomontanus, qui magistri hypothesin correxit, & perfecit, utriusque locum immutatum reliquit, & motum inter utrumque divisit, motum enim diurnum terræ, quam in mundi centro posuit circa axem suam revolutioni, annuum autem solis circa magnum orbem conversioni tribuendum esse voluit. Sive autem alter, sive uterque moveatur, nihil referre, inquam, cùm primùm quî omnino moveri possint, adhuc causam desideremus, deinde ut hac, non aliâ ratione motus suos conficiant. De motu autem circa axem superiùs diximus, nullam illius causam esse, sive soli, sive terræ tribuatur. Nisi quod ut quis dicat velim, si sol sibi circumvehatur, quo casu,

qua-

quâve necessitate ab ortu in occasum; si terra sibi, quo, quâve ab occasu in ortum, si vero terra axi suæ nixa viginti quatuor horarum spatio circumvolvatur, quo impetu motum incipiet? Magneticis suis viribus (inquit Gilbertus) se convertit. Magnetismo autem nihil mirabilius esse demonstravimus, & si istâ ratione conficiatur conversio, eam summâ arte confici jamdudum demonstretur. Quî vero istâ virtute? cùm enim æqualis sit utrinque ab ortu & occasu in polos verticitas, quamobrem in hanc potiùs quàm illam viam flectatur? Si autem inæqualis sit, alicubi consistet, ubicunque nempe vis validior collocetur; at solaribus, inquit, influentiis adjuvatur. Qua autem ratione, si Sol se moveret, terram promovere possit, nihil dixit, nisi quod tandem ad causam, quæ ad finem, cujus causâ fiat, respexit, totius rei eventum retulerit. Cùm enim incredibilem istam motûs rapiditatem se à cœlis sustulisse arbitratus sit, continuò terreni orbis verticitatem ob sui commodum inferre pergit. "Nisi "enim, inquit, diuturna vertigine volutetur, Sol constanti- "bus luminibus destinatæ alicui parti semper impenderet, "eámque morâ diuturnâ ureret, atque in pulverem ageret, "dissiparet, altissimáque tellus vulnera conciperet; nihílque boni eveniret, non vegetaret, non animalibus vitam "concederet, humanúmque genus periret. In aliis verò "partibus omnia horrida essent, & frigoribus summis rigida, "unde eminentiæ omnes, durissimæ, infœcundæ, inaccessæ, "perpetuis umbris, & nocte æternâ coopertæ essent. Quam "miseram & horrendam utrinque faciem ipsa tellus cùm pa- "ti noluerit, magneticâ astreâ mente in orbem volvitur, quo "perpetuâ commutatione luminis perpetua esset rerum vi- "cissitudo, calores, & frigora, ortus, & interitus, dies, & "nox, mane, & vespera, meridies & multa nox. Ita petit "tellus solem, & repetit, aversatur, & insequitur, admira- "bili sua magneticâ virtute. Quî vero eâdem nunc solem petat, nunc aversetur, nisi quod ista ratione suo emolumento consuluerit, prudens dicere præteriit. At si nulla sit causa quæ rei eventum conficiat, nisi quæ ad illius commodum respexerit, quid sequitur, nisi causam non purè mechanicam, sed prorsus intellectricem fuisse? Neque aliam vir acerrimi ingenii voluit, cùm magneticâ astreâ mente rem confici cen-

Lib. 6. cap. 4.

censuerit, quo quanquam quid intellexit, cùm explicare noluit, nesciamus, si tamen quid omnino, hujus motûs instrumenta esse tum vim magneticam, tum aliam astrorum singularem, causam autem principem esse, mentem quandam, quæ rerum utilitati prospicit, quæque idcircò eas terræ dedit, iisque utitur, ut emolumenta omnia, quæ hic enumeravit, assequatur. Unus autem omnium Keplerus (Epicurum, & Cartesium ab omnibus semper secerno) se rem totam mechanicè confecisse putavit. Iste itaque solem magnum universi magnetem esse voluit, qui cùm in mundi medio situs sit, & circa propriam axem volvatur, virtute magneticâ, à se undique diffusâ, planetas omnes, atque adeo terram in eandem secum vertiginem rapiat. Quanta paucis ὑποθέσεως copia! Primum enim quid solem ipsum suo axi circumvolverit? Istuc autem sumpsit Philosophus, quo verò jure diximus. Denique si cæteros omnes planetas magneticâ quâvis virtute circumtulerit, cùm nulla magis admirabilis, quàm magnetismi solertia in omni aut naturâ, aut arte reperiatur, argumentum Architectricis providentiæ, quæ eam fecit, satis confectum habemus. Quid autem multa? cùm multis, ratísque experimentis, circumvoluto in centro magnete, magnetica in orbem non circumvolvi demonstretur, præsertim Kircheri isto. "Quod si fiant in plano aliquo circuli, qui "sphæras Planetarum referant, atque in centro ponatur ex"quisitissimæ virtutis magnes, qui solarem Kepleri magnetem "referat, quo facto ponantur in singulis circulis ampullæ vi"treæ, in quibus magnetica frusta ponantur, quo itidem fa"cto vertatur magnes in gyrum, & videbis, cùm admiratione "omnes in ampullis inclusos globulos, in gyrum quoque "actos æquo tempore cum magnete suum unumquemque "circulum conficere; non quidem in gyrum circa magne"tem, ut Sol rapit Planetas, juxta Keplerum, sed supra cen"trum, circa proprium axem. Sin verò aliâ quâcunque, quàm vi magneticâ fiat, relictis magnetismi legibus, aliâ quâdam ratione confici dicendum est, quæ sane quo longiùs vim suam diffundat, eam eo magis admirabilem habere oportet. At quæcunque sit ista virtus, cur quæso singulos Globos tantâ motus inæqualitate circumvehat, Saturnum triginta annis, Jovem duodecim, Martem mensibus viginti tribus, Terram duo-

Lib. 3. par. 1. sect. 2.

duodecim, Venerem octo, Mercurium tribus, præſertim ſi (ut ipſe ſtatuit) *omnis orbis virtutis emanantis ex Sole tam quo loco Mercurium amplectitur humillimum, quam quo loco Saturnum altiſſimum, æquali cùm corpore ſolari vertigine, & eodem tempore torqueatur?* Quid ergo in causâ eſt, quòd tam inæquali motûs celeritate corripiantur? Quorundam, inquit, inertia, & ad motum renitentia, unde difficiliùs communi vertigini obſequuntur. Quænam autem eſt iſta motûs inertia, atque unde in quibuſdam magis, in quibuſdam minùs dominetur? Nulla autem ad motum renitentia fingi poteſt, niſi ignavum gravitatis pondus, cùm itaque nullam iſtiuſmodi qualitatem à vi magneticâ diverſam rebus ipſis ineſſe oſtendimus, nihil eſt, quod eidem reluctetur. Utcunque autem ſuas, quas placet, de cæteris hypotheſes ſtruat, unde quæſo terræ noſtræ ea contigit ad motum aptitudo, ut annuo, neque niſi annuo ſpatio, circumferatur? Quâ tamen motûs viciſſitudine conſervantur, cùm ipſa terra tum quæ in ea ſunt omnia, adeo ut eâdem ſublatâ, neque terræ fructus, neque animantium progenies naſcantur. Denique quid de Lunâ fiet, cùm proprio vortice Terræ circumferatur? ſi enim totius orbis motus, vi ab ipſo Sole diffusâ, gubernetur, minores omnes tam Lunæ, quàm cæterorum aſſeclarum, qui ſuo Planetæ, quique circumferuntur, vortices diripiet. Quo ſolo Solem planetarum motûs cauſam non eſſe demonſtratur, quòd Lunam non circa Terram ferri, ſed circa proprium orbem efficeret. Cùm itaque, proprio gyro verſatur, nullam ſui motûs cauſam, niſi quæ initio motum impreſſit, habere potuit; neque philoſophi, quantumcunque ſe fatigaverint, aliam tandem motuum cœleſtium cauſam inventuri ſunt, niſi quod prima omnium cauſa ſuum, quem habet, cuique impreſſerit. Aut ſi quæ ſit communis omnium quaſi concatenatio, adeo ut ſit tota planetarum complexio ingens machinamentum, quo tam variæ ab uno principio inchoentur motuum rationes; annon tam præclara machinationis diſpoſitio non niſi artificis ingenio ſe factam eſſe indicaret? Quid enim, an celeberrima iſta Archimedis ſphæra, quâ ſolùm diſpares iſtos cœleſtium curſus imitatus eſt, ſummum Architecti ingenium in omnia ſecula propagabit, & nullam interim ingenii ſolertiam, quæ primum machinata eſt, mirabimur?

mur? Præsertim cùm præ naturæ subtilitate crassa sit ista Archimedis imitatio; iste enim conversiones suas validis æris rotis, ut vinculis effecit, cùm ea subtilitate fabricetur cœlestium machinatio, ut quî fiat, neque visu, neque tactu, neque ullo sensuum acumine percipi possit.

SECT. XI. Sive verò Sol Terræ, sive Terra Soli, circumferatur, cur quæso circulo æquatori parallelo, ut si ab ortu Sol, ab occasu Terra cursum perficiat, alter eâ lineâ volvatur, quæ alterius medium intersecaret, quam ut cuique notum est, Æquatorem idcirco appellant, quòd eâ tota Terra in partes duas æquales dividatur. Quid est, inquam, quòd solem tam accuratâ ratione transire fecit, ut sui cursûs media revolutio per ipsam Terræ mediam regionem absolvatur? Quamobrem per leges mechanicas solaris orbita in hanc partem, aut in illam jacere non potuit? Cur non utrinque extra lineas tropicales versus utrumque polum, imò cur non ultra polos ambitum suum semper describat? Exigua res est totius Terræ globus, ad immensi istius orbis amplitudinem, qui Solis cœlum habetur; nescio quot millenas Terræ diametros utrinque interjacere statuunt Astronomi, quàm incredibili casu contigit, ut è plusquam mille viarum tractibus, quorum cuique perinde circumferri potuit, hanc unam elegerit? Imò cùm ipsa Terra in exilia duo puncta divisa sit, (sic enim habenda sunt, si ad totius orbis circuitum conferantur) cur non alteri diametro, aut hinc, aut inde immineat, sed cùm tam exigua sit totius moles, per ipsam ipsius medietatem percurrat?

Atquî cùm medium cœli circulum obtinuerit, cur quæso incitatissimâ istâ conversione circumvolvatur, ut viginti quatuor horarum spatio tam immensum cursum conficiat? Idque eâ constantiâ, ut in omni temporis diuturnitate, minuto uno, neque celeriùs, neque tardiùs fiat revolutio. An non res, non tam mirabilis, quàm stupenda vobis videatur, solem, aut terram, cùm tantæ molis fuerint, tam infinitâ motus pernicitate abripi, ut non velociùs, imò longè tardiùs globuli tormentis explosi abripientur; at verò cùm tantam vertiginem, tam constanti, támque accuratâ per omnia secula æquabilitate, confici intueamini, quid stupefacti dicetis, quî cogitationem

tationem tam prodigiosæ rei mente capietis? Miror profectò his solis non vidisse vos quàm sapiente, quámque præpotente architecto, tam mirabilis motus gubernetur. Sola enim celeritas immensam primi motoris potentiam indicaret; at cùm tam incitatæ celeritati accedat tam accurata æquabilitas, nunquam satis aut dici, aut cogitari potest illius sapientia, qui tantos motus, tanto ordine, conficiat, sempérque moderetur. Si verò fateri nolitis, mechanicis vestris omnibus, aut instrumentis, aut legibus, omnem immensi hujus horologii machinationem, vos, quæso, conficiatis, adeo ut noctis, dieíque spatia, eâ æquabilitate semper metiatur, *Ut nulla ars curiosa* (observante Gilberto) *aut per clepsydras, aut per horologia, arenaria, aut per ea quæ ex rotulis denticulatis composita, ponderibus, aut intensæ laminæ chalybeæ vi incitantur, differentiam aliquam temporis invenire possit.* At vestri moris non est, tam severè philosophari. Quæ in naturâ maximè mirabilia sunt omnia, eorum nullam vos rationem habetis. Sed rudia admodum, & vix inchoata rerum initia respicitis, adeo ut, si perfectam, atque accuratam rei cujusvis absolutionem à vobis desideremus, surdis semper canamus. Sic cùm, quo nunc versamur loco, quî fiant noctis, dieíque vices interrogemus, si quis, inquitis, oculos sustulerit, aut solis circa terram, aut terræ circa solem gyratione, fieri non dubitabit. Quanquam ergo quî omnino fiat ista gyratio non explicuistis, explicuisse tamen dabimus, atque solùm cùm tam incitatâ celeritate rapiantur, ut dicatis interrogamus, quibus frænis suos motus tam præcisè gubernent, aut qua machinarum compage eosdem metiantur; ut tam immensa itinera uno nunquam momento aut tardiùs, aut citiùs conficiant? Ab ipsis autem astris, imò saxis, citiùs, quàm à vobis responsa referemus: Hæc cùm postulamus, veniam impetratis, neque vos tam curiosam, támque molestam Philosophiam profiteri dicitis. Quanquam enim initio omne naturæ artificium explicare semper spondeatis, tamen cùm de rebus singulis tractatur, Deus bone! quàm crassæ, quàm rudes, quàm pueriles hypotheses extruuntur? Memini equidem quàm ineptos, de rebus naturalibus sermones, pueri olim cùm essemus, inter nos habuimus, neque profectò, cùm ancillis docti solem facem bipedalem, lunam Dei omnipo-

Lib. 6. c. 6.

nipotentis lucernam, astra particulas è veteri lunâ discerptas esse putabamus, de iis multo majori cum imperitiâ, quàm vos balbutire solitos fuisse puto.

Sect. XII. Cùm verò per medium terræ circulum tantâ, támque æquabili incitatione feratur, cur non eodem semper Parallelo, dicite? Cur nunc hinc, nunc inde lineis spiralibus excurrat, adeo ut cujusque diei conversione novo circulo circumvehatur? Idque eâ constantiâ, ut, quanquam unoquoque die cursum uno propemodum gradu immutet, istam tamen mutationem, quantulacunque sit, eandem per omnia secula conservet. Hic autem ut in reliquis omnibus, quemadmodum res se habeat, fusè satis, neque imperitè dicitis, ne verbum verò quî sic se habere solis legibus mechanicis contingat. Cur denique cùm utrinque sensim excurrat, huc usque, & nunquam digiti latitudine ulteriùs progrediatur? Quî intra amplitudinem signiferi orbis cursus suos semper definiat? Quî tam accuratè discessuum, accessuúmque spatia metiatur, ut cùm viginti tribus gradibus, & triginta gradûs momentis discesserit, cursum sistat? Cur nunquam unâ aliâ conversione, aut demptâ, aut additâ, eundem flectere incipiat? Cur non vicesimo nono, aut tricesimo primo se referre cogitet? Eóque cùm pervenerit, quâ vi, quóve consilio, in diversam partem ascendat? Quid vestigia in aquilonem properantis austrum versus reducat; quidque vicissim ab australibus signis in borealia inflectat. Nisi eundem cum Poetis aurigam quendam esse velitis, qui cùm ad definitam spatii latitudinem abierit, flexis habenis curriculum convertat. At neque de rebus hisce, earúmque causis, vobis negotii quicquam fecistis, aut si quæ de iis afferre placuit, fabulis similiora sunt, quàm quas de Phœbo suo Poetæ finxerunt. Quid enim aliud est, quod Anaximenes, & Anaxagoras fingunt, cùm aere versus polos condensato solem retrò in diversam partem impelli comminiscuntur. Isti enim obliquum solis cursum, qui aerem in utrumque polum coerceat, quanquam unica res sit, cujus causam dari oportet, sumpserunt; atque cùm sumpserint, quî tam perenni, & æquali flatu redeat, nihil dicunt, neque quî in polis ita constipetur, ut solem in contrarium cursum repellat. Cùm enim

De placit. l. 1. c. 33.

enim

enim in omnem partem pateant immensa ætheris spatia, in quæ abire possit, nihil est, quod eo impetu retrò pellat, ut solis globum, qui terram magnitudine vincit, secum abripiat: At cùm præcipuus sit inter mechanicos Epicurus, qui ventorum flatibus sydera æquabili ratione huc illuc ferri voluêre, in illius opinione redarguendâ rem fortè (si operæ pretium sit) fusiùs prosequemur. Quid item de aliis dicam, qui solem cursus suos mutare fingunt, solùm ut pabulum insequatur? Cùm enim omnem ab Æquatore ad Tropicum usque aerem depopulatus sit, cur prorsum illius aviditate non pergat, sed sequente die, redeat eâdem spirâ, quâ priori pabulum omne absumpserat? Hæ autem aliæque delirantium Philosophorum fabulæ, cùm ad speciales hypotheses pervenerimus (ni pigeat) uberiùs redarguentur.

SECT. XIII. Interim autem cùm quo exitu omnem omnium rerum nostrarum ordinem nullâ architecti ope effecistis, viderimus, nunc quì summo, nec nisi summo consilio, facta sint omnia, vestrâ vos vice videatis. Diximus quàm commodo tam longitudinis, quàm latitudinis intervallo, terra à sole distet, ut si aut infra, aut supra, aut ab utrovis latere collocetur, beneficiorum omnium, quæ ab ipso nunc habet, semper expers jacuisset: Atquì tamen cùm tam appositum intervallum soli & terræ interjectum esse contigerit, si sede sua immobilis uterque hæsisset, isto casu periisset omnis orbis terrarum, & usus, & ornatus: Sol enim regionum tractus, quibus perpetuò immineret, nimio, & constanti caloris impetu exhausisset; quibus autem nunquam accederet, ii cùm nullo unquam lucis, aut caloris appulsu foveantur, in sempiternâ sterilitate inutiles, & squalidi jacuissent. Adeo ut, quanquam locum omnium aptissimum occupavit, eundem tamen, si semper conservasset, loci opportunitatem, quam fortè nacta est, omnino amisisset: Sapientissimè itaque præcautum, & provisum est, ut aut alterius, aut utriusque motu, eandem optimè tueatur. Si ergo quâ utilitatis ratione sit motûs vicissitudo instituta interrogetis, non per ambages, nescio quas, quemadmodum vos, sed perspicuè, & simpliciter, & ut philosophos decet, respondebimus. Interrogatisne ergo, quamobrem sol, terráve conversione rotundâ

tundâ circumferatur? Annon verò istam motûs rationem, aliâ quavis longè utiliorem esse cernitis? Quid enim si in Diallelum, aut alio quocunque simpliciori cursu moveatur? neque subter terram demergi unquam, neque vicissim emergere potuisset, sed continuò aut supra Horizontem, aut infra, versaretur, atque adeo perpetuis radiis hemisphærium alterum conflagraret; dum sempiternis tenebris, & squalore sorderet alterum. Cùm verò conversione, aut rotundâ, aut ellipticâ circumferatur, toti terrarum orbi cœlestem suam caloris, lucísque vim partitur, atque utrumque hemisphærium alternatim quovis die radiis suis consolatur. Hâc ergò motus ratione cuique terrarum parti ita provisum esse videtis, ut nisi eâ moveri contigerit, foret, ut nulla omnino esse potuisset, aut terræ totius, aut cujusvis ejusdem partis utilitas. Si porrò quamobrem eâ motûs pernicitate, tantam illius æquabilitatem conservaverit: mirabili hujusce raptûs ordine, scitote, noctium, dierúmque vicissitudines commodo intervallo redire, quibus animantibus sua quiescendi opportunitas detur, aer, qui alioqui æstu nimio incalesceret, temperetur, terra, quam solis ardor nimis diuturnâ morâ percoqueret, vires suas resarcire possit; denique ut debitæ calidi, humidíque vires conserventur; quorum aut luctâ, aut concordiâ conficiuntur rerum omnium ortus, & interitus. Adeo ut, si de altero alter nimis diu prædaretur, omnis naturæ in rerum procreatione potestas funditùs interiret. Quanquam enim commodis hisce omnibus commodè satis prospici potuerat, si diurna conversio paulò aut prolixiori, aut breviori, quàm viginti quatuor horarum spatio, absolvatur; cùm non tam imbecillam effecerit summus opifex naturæ institutionem, quin cujusvis rei, aut incrementum ferre, aut decrementum pati, sine noxâ quâvis mortiferâ potuerit; tamen ut modici, & frequentes sint solis accessus, & recessus, rerum saluti non modo utile, sed & planè necessarium videtur, & si omnino fiant, aptiori intervallo quàm quo fiunt fieri non potuerant; ut enim sine laboris, & quietis vicissitudine vivere non possemus, ita viribus nostris maximè convenit, ut viginti quatuor horarum spatio quiescendi opportunitas rediret. Atque igitur, ut expedit in variis terræ regionibus, variæ fiunt noctium, dierúmque vicissitudines:

dines: Ita intra Tropicos, ubi ſol maximo æſtu dominatur, penè æqualia ſemper ſunt utriuſque ſpatia, cùm enim iſtarum regionum incolæ præ ingenti Solis per diem calore, diurnis laboribus citiùs laſſati ſint, longius quieſcendi tempus efflagitant; neque ſolâ quiete ſpirituum vim, ſed & frigore ſanguinis temperiem reſarciunt. Cùm enim ſol altero hemiſphærio verſatur, ingentem frigidi vaporis copiam in alterum propellit, qui ut ipſe frigidam aeris temperiem reſtituit, ita cùm pluvias continuò gignat, & in terrâ, & in aere vim quandam frigoris relinquit, quæ, ſole redeunte, eandem aliquandiu conſervet, & quidem tantâ copiâ hiſce locis humores frigidi ſuppeditantur, ut ſol rariſſimè conſpicuus aut occidat, aut oriatur.

Cùm verò in temperatis regionibus non tanta ſit dierum, noctiúmque æqualitatis neceſſitas, quatenus ſpirituum vires diurno labore minùs exhauſtæ ſint, noctes, diéſque in tam æqualia ſpatia non dividuntur, ſed pro anni tempeſtate, alter alteri viciſſim diuturnitate cedit. Summâ hyeme longiſſimæ contingunt noctes, Æſtate mediâ breviſſimæ; ſcilicet cùm hac tempeſtate maximus ſit ſolis calor, tantâ autem temperatione moderatus, ut nunquam vires multum exhauriat, imo potius, ut vim ſpiritibus addat, eorúmque mobilitatem adjuvet, vegeti, & alacres facti, minore quietis ſpatio indigemus: Temporibus autem hybernis cùm caloris defectu algeant ſanguis, ſpiritúſque, nocturnâ quiete foventur, & eriguntur. Novit enim bimeſtris quiſque infans ſomnum non minus vires reſarcire quàm ſolem, aut cibum. Tam opportunè cujuſque loci incolis inſtituitur noctis, dieique viciſſitudo.

Altera verò, quæ inde orta eſt commoditas, eſt idonea aeris temperatio, quæ quanti ad animantium ſalutem ſit, quid dicam, cùm ejuſdem continuo in intima præcordia commeatu, quæ in vitâ ſunt, vitam tueantur omnia? Ad omnium itaque ſalutem maximè intereſt, ut curioſâ admodum caloris & frigoris moderatione temperetur, quo ſanguis ſatis, ne verò nimiùm, refrigeſcat. Atque hac etiam in re, variâ opportunitate, pro vario loci cujuſque ſitu, proviſum eſt. Subter ſolis viam, ubi per diem maximè inferveſcit, noctu, ut dixi, ſummâ frigoris vi refrigeſcit, quâ ra-

tione, ut Tyndaridæ fratres alternatim immortalitatem suam, nox, diésque per omnia secula imperium suum paribus spatiis tenuere; & quanquam annuo cursu imparibus partiti sint, totius tamen anni curriculo, eâdem spatii æqualitate, quâ sub ipso Æquatore imperii sui vices diviserunt. Cùm enim tempestatis moderatione aër inæqualia vicissitudinum spatia ferre possit, cursus Solis diurnus inæqualibus conficitur, ita tamen, ut quovis anno eadem sit utriusque mensura; ut enim sub ipso Æquatore dies duodecim horas, nóxque totidem obtinet; ita si in quâvis regione totius anni ratio computetur, idem ubique utriusque spatium comperies. Quo planè fit, ut in omni terrarum orbe eadem semper servetur in aere caloris & frigoris proportio, quâ solâ omnis ejusdem salubritas conservatur.

Quid quod postremò ut tam æquali hac noctis diéique vicissitudine, Cœlo temperatio, ita Terræ fœcunditas inducatur! Si enim prolixiori aliquâ diuturnitate Sol Terræ immineret, illius superficiem nimio æstu adurens omnem ejusdem ubertatem exhausisset, aut, si diuturniùs adesset, quàm abesset, temporis decursu, de humore tantundem sensim detraheret, ut tandem illius penuriâ omnis tellus siccitate exarescat, necesse sit. Cùm itaque spatiis tam æqualibus Sol adsit, & absit, vim seminalem, quam Terræ per diem insevit, nocturnis pluviis irrigare videtur. Quæ quoque majori, minoríve copiâ ubique pro loci necessitate coguntur. Sub Æquatore, ubi Sol maximè per diem de humore prædatur, nocte humidi vaporis circumfluxu, atque imbribus continuis, quicquid dies abstulit, instauratur. Ad alias autem regiones, ad quas moderatior æstus accedit, fit minor nocturni humoris illapsus. E quibus omnibus satis, opinor, videtis, in quàm præclaros rerum usus tam incredibili celeritate fiat diurna Solis, Terræve conversio.

Sect. XIV. Quamobrem verò novis quotidie anfractibus per lineas spirales eâdem constantiâ, quâ viginti quatuor horarum spatio noctis, diéique vicissitudines tercentum sexaginta & quartâ ferè diei parte conversiones suas annuas conficiat? Eâdem certè, inquam, utilitatis ratione, ut nempe eadem ubique calidi, & frigidi, sicci & humidi moderatio conser-

conſervetur. Primùm enim ut diurnâ iſtâ converſione naſcuntur utilitates iſtæ omnes, quas jam ante minores iſtas diei, noctíſque tempeſtates aeri, terræ, omníque animantium generi afferre diximus, ita curvo hoc inceſſu, iſtarum tempeſtatum non modò comparatur, ſed & admodum locupletatur opportunitas. Hinc enim ut inter Tropicos dies, noctéſque idem penè ſpatium continuò ſortiuntur, ita extra lineas tropicales, ubi major, minórve, pro loci ratione, fit ſpatiorum inæqualitas, dierum hyemalium brevitas, æſtivorum prolixitate ubique compenſatur. Atque adeò demum ubique terrarum tanta annuatim diei portio fit, quantâ intra ipſam Tropicorum latitudinem fruuntur. Quo evenit, ut tellus neque nimio æſtu uſpiam ardeat, neque nimio frigore conſtringatur, ſed cùm æquali ſolis calore ſemper gaudeat, nativum ſuum ſuccum ſemper conſervet, è quo ſolo omnia quæ in terris ſunt oriuntur, & augeſcunt. Imò verò hac motûs ratione fiunt majores iſtæ (& ſi fieri poſſit) utiliores æſtatis, hyemíſque tempeſtates, quarum conſtanti per anni ſpatium viciſſitudine, ita hæc omnis conſervatur natura, ut, iis ſublatis, unà omnis terrarum orbis uſus, & fructus penitus interiret. Primùm enim, quid ſi in eodem Æquatoris parallelo eum ſemper moveri contigiſſet, annon perpetuæ æſtatis ardore omnes prope jacentes terras depopularetur, cùm ſi nunquam deſerat, vires nunquam reſarcire ſinat? Annon iſti quoque omnes terrarum tractus, qui longiùs utrinque extra Tropicos tam auſtralem, quàm borealem excurrunt, perpetuâ brumæ inclementiâ obriguiſſent? Quibus ſcilicet vis caloris vegetior nunquam appulerat quàm nos, tempore æquinoctiali, & plerumque multò languidior, quàm media hyeme, ſentimus. Aut ſi fortè alterutrâ Æquatoris parte circuitum confeciſſet, ſi auſtrali, omnis ille tractus qui à Tropico Cancri aduſque borealem excurrit, jugi, & non intermiſsâ hyeme langueret; quod idem tractui à Capricorno, aduſque polum auſtralem expanſo, eveniret, ſi Solem intra partem Æquatoris borealem compingi contigiſſet; aut ſi quâvis aliâ movendi ratione annuus illius curſus inſtituatur, horribiles ſtrages, aut toti terrarum orbi, aut ſaltem ingentibus ejuſdem plagis attuliſſe neceſſe eſt. Inæquali verò iſto motu, quo per Eclipticam nunc fertur, rerum omnium incolu-

columitati, atque terrarum omnium utilitati, eo consilio provisum est ut meliore nullo provisum esse potuerit. Quódque melius intelligatis, duas præcipuè causas esse scitote, quæ calorem aut augent, aut minuunt, altera rectior, & obliquior radiorum percussio, altera major, minórve percussionis diuturnitas: Si radii ad perpendiculum rectis lineis in terram vibrentur, in sese reverberant, atque adeo columnæ formâ condensatæ majori vi terræ incumbunt; si verò eandem lineâ obliquâ feriant, contrariâ parte, quàm quâ venêre, resilientes in aera evanescunt. Percussionis tamen obliquitas ejusdem diuturnitate compensatur, ita ut, si Sol intra Tropicos rectiores radios emittat, duodecim autem solùm horis moretur; atque si in sexaginta graduum latitudine feriat obliquiori radio, octodecim autem horis ferire persistat, tantundem sentient caloris, qui isto intervallo ab Æquatore distant,quantum qui rectà subter eundem incolunt. Cùm itaque Sol lineâ spirali convertatur, & nunquam hodierno die eidem loco, quo hesterno rectus immineat: cùm deinde in Tropicis non nisi semel & intra Tropicos non nisi bis in anno eidem loco verticalis fiat, cùm denique in temperatis utrinque zonis quæque regio pro obliqui Solis aspectûs ratione, ejusdem diuturniori morâ perfruatur, eadem annuatim sit ubique in omni pene mundo habitabili caloris, & frigoris reciprocatio, & si quæ sit aliquando utrius vehementia, pari alterius alio quodam tempore compensatur.

SECT. XV. Quâ præcipuè ratione in terras zonæ torridæ subjectas calor haud minus temperatus effunditur,quàm in eas, quæ in temperatis sitæ sunt. Quanquam enim omnis ferè antiquitas eam propter æstus vehementissimos nequaquam habitabilem esse censuit, atque rariorem fidem inter veteres invenêre sub Æquatore incolæ, quàm ipsi Antipodes, quod cogitare non poterant, quâ ratione tanta ardoris vehementia temperari potuerat. Si tamen diurnum calorem, quantuscunque sit, iisdem nocturni frigoris viribus conflictari, vel quidem semel cogitâssent, regiones istas non modo habitabiles, sed & quales nos experti sumus, cultissimas fuisse perspexissent. Atque hinc in hisce locis maxima, quæ in omni terra, reperitur, fertilitas; cùm enim per diem semina

ſemina rerum tantâ caloris ubertate provehantur, perque noctem pari pluviarum copiâ irrigentur, mirum quàm celeri progreſſu, ad vegetiorem maturitatem perducuntur. Hinc ſub ipſo Æquatore quotannis duplex ſementis ac meſſis, uberrimi ſeminum proventus, frugifera magis arva, & dulciores fructus, ſtirpes, arbores, & animantia majori robore, & amplitudine reperiuntur. Hinc denique ſi quæ è regionibus noſtris frugum ſemina, aut animantia eo deportemus, ſemina majores atque amœniores fruges mox procreant, atque animantia progeniem robuſtiorem, & ampliorem gignunt. Atque adeo videtis quî hac unâ ratione, non modò malo occurratur, cui omnes omnium ſeculorum ſapientes penè adusque noſtrum, nullum remedium excogitandum eſſe crediderunt; ſed etiam quî terræ regio, quàm omnium maxime inhoſpitalem arbitrati ſunt, omnium fiat cultiſſima. Quanquam verò hâc præcipuè fiat, alia tamen, quæ adjumento ſint, his locis ſingularia reperiuntur. Primùm maxima ubiq; aquarum copia, è quibus vapores in aeris refrigerium uberrimè per diem ſuppeditantur; deinde perennes flatus interdiu ab ortu in occaſum ſpirant, quibus ſolis æſtus admodum temperatur; denique anni ratio ita plerumque inſtituitur, ut cùm Sol iis proximus fuerit, & præcipuè cùm rectà immineat, tum demum frigus, & pluvias maxime patiantur. Mirè ſtatuente ſummâ numinis providentiâ, ut eâ tempeſtate flatus marini, qui frigus, & pluvias ſecum apportant, indeſinenter ſpirent. Quibus, inquam, omnibus locus iſte, quem intolerabili Solis ardore torreri arbitrabantur, alios omnes, quos maximè amœnos putamus, amœnitate ſuperare proviſum eſt. Imò denique tam ſingulari providentiâ hiſce locis proſpectum eſſe videtur, ut pleræque intra Tropicos regiones ſuarum tempeſtatum ipſæ dominatrices videantur, neque enim Solis acceſſui, & receſſui penitus obſequuntur, ſed contra illius motûs rationem ſuas ipſæ æſtates, hyeméſque efficiunt; adeo ut in nonnullis terris cùm vicinior ſit, fiat hyems, cùm maximè receſſerit, æſtas; imò & quæ parallelo eodem ſitæ ſunt, contrarias ſimul tempeſtates ob ventos ſtatos, montiúmque ſitus experiantur. En brevem totius deſcriptionem. In occidentali Africâ, à Tropico Cancri ad Promontorium Viride, maxima eſt terræ fertilitas, aeríſque temperatio, partim propter fluviorum multitudinem, quæ terram irrigant, aerémque humidis

V. Varenium Geog. Gen. l. 2. c. 26.

midis vaporibus ubique replent, partim propter mare vicinum, è quo venti frigidiusculi continuò in terram spirant; atque hac regione anni tempestates, leges cœlestes sequuntur. A promontorio viridi, penè ad usque Æquatorem, quæ omnis regio Guineâ dicitur, vehementior fit æstus, anníque tempestates contra cœlestium rationem fiunt, mensibus enim Maio, Junio, Julio, cùm sit Sol verticalis, continuis pluviis, & procellis sævitur. Regiones, quæ proximæ ab Æquatore in Austrum jacent, Congo scilicet, & Angola, temperatæ admodum sunt, & cùm ipso Ægypto, fertilitate certare dicuntur. Hyemem pluvialem cùm Sol longissimè versus Tropicum Cancri recessit, patiuntur, istis enim mensibus ventus Zephyro-boreas nubes è mari affert, atque ad montium juga, quæ versus ortum sita sunt, cogit, ubi cùm vento Euro-austro, ab oppositâ plagâ flante, condensantur, in pluvias continuas abeunt, atque statas quotannis fluminum exundationes efficiunt. In provinciâ autem Lowango, quæ his proxima jacet, quanquam eadem sit cœli temperies, diversa tamen est anni tempestas, cujus certè causa nulla alia esse potest, nisi alii venti, aliúsque montium situs. In Orientali Africæ plagâ, à Tropico Capricorni ad Æquatorem, anni tempestates plerumque contrariæ reperiuntur, quàm quæ in Occidentali eveniunt: tum propter montium juga, quæ per mediam terram excurrunt, tum propter contrarios ventos, qui à mari Orientali spirant. In Asiâ, Arabiæ regiones satis notæ sunt, atque in tempestatum ratione Solem sequuntur. In occidentali Indiæ littore anni tempestates contra Solis rationem eveniunt; cùm enim Sol vertici imminet, continuæ, & ingentes pluviæ fiunt, è quibus mira, & incredibilis fertilitas. In Orientali ejusdem littore, contrariæ sunt annuæ tempestates iis quæ in Occidentali; cùm enim montibus, ut Africa, per medium secetur, atque contrariis statis ventis contrariæ à mari excitentur pluviæ, quid mirum si contrariæ tempestates nascantur, quanquam sane mirabile videatur, tam exiguo intervallo dissitas esse has regiones, ut unius diei itinere è mediâ hyeme in mediam æstatem migrare possis? Americæ pars Australis, quæ Peruviana dicitur, montibus, & camporum planitie constat, & quanquam in vallibus nunquam pluat, sed solo rore irrigentur, tamen cùm vapores humidi perpetuo Austro-zephyro

phyro in montana compellantur, inde magnis torrentibus in planitiem ruunt, eíque summam fertilitatem, ut Ægypto Nilus, secum afferunt. Altera Americæ Australis pars, quæ Brasilia dicitur, cœli temperie, & amœnitate, omnes telluris regiones antecellere perhibetur. Cœlestes leges in tempestatum ratione plerumque sequitur, quanquam locis quibusdam propter montium situs, ventósque status, fiat variatio. Denique in Americâ septentrionali, sex mensibus, quibus Sol verticalis est, pluit, sex quibus in Austrum recessit, æstum experiuntur. Atque ita cùm totius zonæ torridæ circuitum peragravimus, non modò omnem habitabilem, sed maximam partem jucundissimam esse videmus, atque etiam in locis quamplurimis, ubi cœlesti ratione noxiæ fierent anni tempestates, salubriores alias iisdem contrarias tempestatum leges mirâ providentiâ institutas fuisse.

Sect. XVI. His de Zonâ torridâ dictis, de terris extra tropicos sitis nimis notæ sunt, quàm ut quicquam dicam, quantum utilitatis hac motûs ratione capiant. Cùm enim istis Sol per diem multò diutiùs immineat, calor interdiu impressus propter nocturni spatii brevitatem multò minùs cohibetur; quo fit, ut eo citiùs æstatis proventus suam maturitatem assequantur. At verò si ibi locorum diurnos calores tantundem temperari contigisset, quantum sub zonâ torridâ, fieri non potuit, ut ante brumæ inclementiam, æstivæ fruges maturescant; Sol itaque, suorum recessuum quasi conscius, diuturniori iudustriâ operi incumbit, ne quod exorsus est, deserat, antequam ad perfectionem producere potuerat. Eo autem absoluto, mox in contraria signa cursum convertit, ut terræ, quam per æstatem nimio sui appulsu exhauserat, vires suas resarciendi opportunitatem largiatur. Cùm enim noctium æstivarum frigora sint dierum ardoribus multo imbecilliora, eos satis temperare nequeunt, adeo ut per omnem æstatis tempestatem calor, & siccitas vires acquirant, frigus, & humiditas amittant, quod si nimis diu fieret, labefactaretur ista omnium temperatio, quâ solâ omnis terrarum orbis fertilitas conservatur. Atque igitur longè in oppositas mundi partes excurrit, ut, eo absente, frigus, & humiditas, suas copias renovarent, atque adeo plu-

viis,

viis, & ventis hyemalibus in pristinum statum instaurentur. Quibus novis opibus, copiisque munita, quanquam victoriam nunquam sperare possunt, omnem Solis impetum proximâ æstate quodammodo sustinere parantur, Atque hinc postremò intelligatis, quamobrem Sol intra latitudinem signiferi orbis cursus annuos conficiat, neque lineas sibi præstitutas unquam transiliat. Cùm enim ad viventium salutem par sit frigoris usus, & necessitas, ac caloris, hinc summa numinis providentia in extrema mundi parte utrinque illius thesauros, & quasi fontes collocavit, qui, cùm in medio Sol dominetur, illius impetum utrinque adoriantur. Atque igitur illius excursus utrinque eâ latitudine definiuntur, quibus frigoris domicilia sarta tecta ab omni periculo conserventur. Si verò ulteriùs prope ipsos polos fortè serpserat, foret, ut omne frigus, quod nunc illius ardores moderatur, suâ vicinitate dissipavisset. Cùm itaque iis limitibus coerceatur, ut huc usque nunquam appulerit, fit ab utroque Polo ad Æquatorem perennis venti frigidi flatus, qui aeri, quem alioqui continuo suo æstu tandem penitus prædaretur, è locupletissimis hisce thesauris spiritûs abundantiam, & copiam suppeditat. Neque tamen multum spatii domiciliis hisce condendis effudit summus opifex, sed in extremis, angustisque mundi angulis extruxit, cùm enim omnis terrarum orbis in trecentum sexaginta gradus dividatur, trecentum ferè habitabiles habentur, qui autem extra jacent amissâ latitudine in exiguas angustias coarctantur, in quibus scilicet lineæ omnes, quæ in aliis globi partibus magno ab invicem intervallo ducuntur, in centrum coire incipiunt, ut, si quis sphæras arte factas inspexerit, inveniet regiones frigidas, sive intra lineas polares sitas, vix millesimam globi partem occupare. Nunc autem hæc omnia de optimis terræ, solisve motuum rationibus, ut intelligatis, cùm fecerimus, nihil aliud à vobis, ut dicatis, postulo, nisi cujus vi, & consilio instituta fuerint, demonstrent, quid, (quicquid omnino fecisset Deus) demonstrare potuit.

SECT. XVII. Quæ omnia cùm de Sole dixerim, quid de Lunâ plura dicam? quanquam enim minor sit illius, quàm Solis utilitas, cùm ejusdem tantùm quasi vicaria sit, quin tamen

tamen eâdem instituatur arte, dubitari nequit, quatenus easdem omnes, quas ille mutationes habeat, eosdémque cursus consequatur: Præterea autem quo utiliùs suo officio inserviat, singulari providentiæ curâ fit, ne cursum suum, perinde ac Sol, præcisè intra Tropicos definiat, sed aliquot gradibus ulterius utrinque evagetur; quo fit, ut uberiorem lucis copiam regionibus, quæ propiùs à polis sitæ sunt, per prolixas noctes impertiri possit, adeo ut quo longiori intervallo, à sole absit, eo plenius lumen accipiat, & cùm Sol longissimè in unam mundi partem abierit, ipsa in alteram lucem diffundat pleniorem. Hinc hybernâ tempestate propiùs ad septentrionalem mundi plagam vergit, quo uberius hyemalium noctium tenebras, & frigora temperet, atque eâdem vicissim causâ, æstate in austrum deflectit, cùm Sol profundiùs in septentrionalem demergitur. Neque sane obscurior ista artis ratio, quæ se in Lunæ superficie prodit, videtur; si enim exquisitè lævis, & æquabilis fuisset, radii à Sole in eam incidentes non nisi uno è puncto ad nos reflecti potuerant, eo scilicet, in quo anguli incidentiæ, reflexionísque nostrûm respectu exæquantur. Atqui cùm diversimodè excavetur, atque montibus quasi, & convallibus scabrescat, lumen à variis illius superficieculis ad nos resiliens undique spargitur, non secus atque in numerum auctæ reflectuntur à speculo species, cujus superficies facieculis inæquabilibus divaricatur.

SECT. XVIII. Cùm verò tam continuata cognatio, & commercium cœli cum terrâ sit, quo commeatu devehatur dicite; atque primùm quî prohibeant vestræ leges mechanicæ, ne totum spatium à terrâ adusque cœlum solidâ materiâ repleatur? Cur corpora omnia in unam massam non coirent? Quid tantâ orbium varietate secrevit? Cúmque secernuntur, quid tenue hoc corpus, quem aerem dicimus, interposuit? Cur non inanitatis interventu omne commercium discindatur, aut, si quid fortè interjectum fuerit, id quis tam tenui compactione composuit, ut motui locum facilè præbeat, aut tam continuatâ serie devinxit, ut vim astris acceptam momento ad nos usque deferat? Cùm verò compactum non sit, sed fluidum, cur non igneum, præser-

tim cùm quotidianis incendiis à Sole excitatis ardeat? Cur non aqueum, quod cùm terrâ levius sit, supra eam ubique extare, & eminere oportet. Atque aereum cùm fortè fuerit, cur interno nullo, aut frigore, aut calore præditum, sed utriusque & expers, & capax? De his autem omnibus nihil erudita vestra natio definivit, quanquam, si omnium causas à nobis dici velitis, en quàm facili ratione explicamus! Spatium quod cœlo & terræ interjectum est, non inani, sed corpore occupari oportuit, nempe cujus interventu astrorum vis ad nos perveniret; ita non compactum, sed fluidum, ut animantium motibus transitum præberet, & si fluidum, neque igneum, neque aqueum, sed aereum, ut spiritum vitalem iisdem suppeditaret. Et postremò si aereum, suâ naturâ neque calidum, neque frigidum, utrique tamen obnoxium, ut utriusque vicissitudine, quemadmodum postulaverit rerum salus, rite temperetur. Quæ autem, quî fiunt, quis vestrûm dixit? neque vestrûm exemplo doctus quicquam ipse dicam, cùm causæ physicæ, quibus procreantur, subtiliores sint, quàm ut easdem sensuum nostrorum hebetudine assequamur, nisi quod calorem speciatim mirabili arte, & utilitate, quibuscunque causis excitetur, excitatum esse dixerim. Primùm quòd corpus solare tam commodam ejusdem vim habeat, si enim aut majorem, aut minorem habere fortè contigisset, foret, ut, aut præ æstûs vehementiâ inferiora quæ sunt, omnia in cineres redigerentur, aut ut præ ejusdem imbecillitate nihil uspiam procrearetur. Deinde cùm tot terræ semidiametrorum intervallo ab eâdem distet, annon mirabile videatur, ut vim suam in tantam loci distantiam, tam subitò propagare possit? quod quomodocunque fiat, nisi quotidie fieri videamus, ut omnino fiat incredibile arbitraremur. Si atomos calorificas (ut vocant) emittat, quid mirabilius esse possit, quàm ut eas temporis momento, per immensum spatium ubique diffundat? Aut si proximum ætherem, aerémve solum afficiat, quî propter arctam partium omnium contexturam eodem momento omnes maximè remotas sphæræ suæ partes eâdem vi afficit, an non summâ, magísque mirabili artis ratione fieri ista totius sphæræ contextura videatur? mirabilior tamen est lucis natura, sive enim sit atomorum effluxio, sive emanans ætheris à Sole contextura, quæ chordæ intensæ

intensæ instar ad oculum usque extenditur; utrum sit, eandem admirationem ac calor in se habet, quod in tam immensa spatia tam ineffabili pernicitate undique transferatur. At omnem admirationem superat stupenda ista oculorum machinatio, quâ eam percipimus, illiúsque usu fruimur. Quantâ enim artis varietate, quot membranis, humoribus, aliísque instrumentis summâ solertiâ invicem commissis formantur, ut lucem atque lucis ope alia omnia percipiamus. Eâ certè arte, & utilitate fiunt, ut planè demonstrent, qui alterum effecit, utrumque effecisse. Quis enim, sublatâ luce, mundi usus, aut lucis, sublatis oculis? Cùm itàque rerum naturæ tam utilia sint, cùm utraque tantâ solertiâ fiant, cùm denique alterum alterius causâ factum esse liqueat, quis dubitet, quin eodem, eóque solertissimo artifice fabricetur? Quod idem de sonis dici potuit, qui tantâ celeritate aeris interventu longè, latéque propagantur, atque etiam de aurium organis, quæ ad eos percipiendos vix minore, quàm oculi artis solertia fabricantur. Hæc verò cùm tam clarè sensuum gratiâ facta sint, sensus quoque iis percipiendis factos se esse indicent, quorsum pluribus sequamur? Cùm quisque, nisi sensus prorsus amiserit, & objecta sensuum, & sensus objectorum causâ facta intelligat, adeo ut nisi utrumque sit, neutrum esse possit: quis enim luminis usus sine oculis, aut oculorum sine lumine, soni sine auribus, aut sine sono aurium? neque postremò de aliis secretioribus aeris facultatibus quicquam hîc dicendum esse arbitror; vi scilicet elasticâ, quâ & compagem suam tuetur, terrenáque omnia, ad terram detrudit, atque salibus nitrosis eidem undique conspersis, quibus vim salutiferam natis omnibus, atque prolificam naturis impertit. Hæc enim, aliáque quàm plurima, quanquam egregios suos usus habeant, solis philosophis nota sunt, ipse verò ea solùm phænomena afferre volui quæ vulgo, perinde ac philosophis innotescunt: ea scilicet quæ quotidie palpamus, oculis cernimus, atque quovis sensu percipimus, ut rebus, quæ omnium in rerum natura notissimæ sunt, crassissimam eorum quam miserrimè omnes affectant, subtilitatem retundamus.

SECT. XIX. Cùm verò de universâ terra, atque iis, quæ in totius emolumentum fiunt, dixerimus; superest, ut

quâ utilitate singulæ ejusdem partes instituantur, dicamus, atque primùm quis sicci, humidíque portiones paravit? Quid si uberior contigisset aqueæ materiæ copia? quid si exigua? quid si nulla? si exigua, aut nulla, foret ut tota telluris moles perpetuâ siti, & calore exaruisset. Quid si nimiâ ubertate superaverat? foret ut universam ejusdem molem mole sua operuisset. Oceanus, exceptis paucis quibusdam gurgitibus, non plusquam mille passuum altitudinis obtinere comperitur, *Quæ altitudo* (inquit Cardanus) *si ad terræ magnitudinem comparetur, est ut sudoris ad hominem.* Cur ergo tam exigua sit illius moles, nisi ne eidem tota terra submergatur? Quid si duplo, aut triplo uberior fuisset ejusdem copia, atque eædem, quæ nunc sunt terræ cavitates, cum dimidiâ illius parte fuerant repletæ, annon quæ superesset, omnes terræ partes, quæ nunc super undas extant, fluctibus suis obruisset? Aut si in interiori terræ sinu (ut suspicantur nonnulli) vasta sint aquarum conceptacula, quî facta sint, dicite, ea, nisi quis effecit, ne tota terra aquis in eadem collectis obruatur. Aut cùm æqua fuerit utriusque moles, cur unum globum constituant, aut in eandem massam cur non misceantur? ut olim somniavit Democritus totam tellurem initio luti ad instar mollem fuisse, temporis autem decursu particulas aqueas seorsim coivisse, quibus separatis, terræ partes in hanc, quam calcamus, solidam molem, collapsas fuisse; si verò istæ undique ab omni parte in unum locum sponte coiverint, cur non cùm leviores sint, supra terram omnes emerserunt, atque universam illius molem, quæ præ gravitate majori subsideret, complexu suo, ut nunc aer globum ex utroque constitutum, tenuêre? Cùm enim sitûs omnium naturalis sit, ut, quod gravius, subsidat, quod levius, emineat; si res naturæ indoli permittantur, fieri non potuit, quin particulæ omnes aqueæ, cùm terreis omnibus leviores fuerint, iis emineant; majori itaque quâdam providentiæ vi fit, ne universa terrarum moles, aquis semper operta, jaceat. Atque profectò, si ad simplicem rerum naturam respiciamus, mirabiliùs videtur, terrarum orbem non semper diluvium pati, quàm semel olim passum fuisse. Sunt, qui mare terrâ eminentius; sunt, qui terram mari putant. Si prius (ut ineptè quidam) aqua præ fluxilitate, mutuâque

De Subtil. l. 2.

par-

partium protrusione, ad loca quævis decliviora deflueret, totámque telluris molem, cùm demissior fuerit, absorberet. Novit enim quisque undas sponte naturæ è prolixiore perpendiculo, in decurtatius devolvi, adeo ut, si terra locum centro viciniorem obtinuerit, aquæ in eam circumquaque diffundantur necesse sit. Sin posterius (quod naturæ rerum magis congruum experimur) id ipsum est, quod perquiro, quî fieri possit, ut quod levius est sponte naturæ infra gravius deprimatur? Si itaque juxta mechanicas naturæ leges, locis suis non sint constituta, quid sequitur, nisi locos, quos occupant, contra eas majori quâdam vi, solùm quòd magis idonei sint, iisdem assignari?

Quis deinde tot, tantásque lacunas hinc inde per universum terrarum orbem effodit, quis maris æstuantis impetus litorum eminentiis elusit? Quid per leges mechanicas obstare potuit, quo minus universa telluris superficies ubique æquabilis, & lævigata foret, cùm undecunque oriatur gravitatis pondus, quæque terræ portio infra aquæ quámque subsideret. Atque cùm omnes terræ totius partes pari nisu ad centrum nitantur, cur non se eâ ratione ad id componant, ut in omni extremitate, æquale sit ubique perpendiculum? Si enim terra partium omnium in se nutibus in orbem conglobetur, istâ solâ propensione in perfectam, & absolutam rotunditatem se composuisset, ut si ubivis majori forte aggerie cumulari contigisset, quæ superiores sunt particulæ, per declive se misissent, donec, æqualitate tandem ubique factâ, propius ad centrum pervenire nequirent. Si verò quæ telluris prominentiæ fortè contigissent, eas vehemens aquarum cursus abraderet, secúmque in lacunas propelleret; magnus enim est aquæ impetus, ut si quas terræ moles aggestas invenerat, nisi saxei roboris fuissent, facile, nullâque morâ, postravisset. Si autem nullæ contigissent terræ inæqualitates, aquarum torrens, cùm nullis impediatur aggeribus, nullas omnino terræ partes, quibus inæqualitates struat, delibare potuit: aqua enim nisi obstaculis irritetur, non habet unde ruinas inchoare possit; si itaque æquabilem ubique fundum habuerat, pari semper, & tranquillo passu cursum teneret. Quòd igitur terra tam profundis lacunis excavetur, quòd oræ maritimæ locis altissimis plerunque terminentur,

tur, perspicuum est, in tantam altitudinem aquarum impetu accumulari non potuisse. Et cùm statuant, qui rerum naturæ æternitatem asserunt, atque imprimis Aristoteles, sempiternas esse terræ, & oceani vicissitudines, ita ut quod olim siccum erat, nunc aquis obruatur, & quod nunc pelagus, perenni tandem terræ in mare devolutione aquis extra alveum extrusis repletum iri. Pulvinos quosdam, & fortè insulas, fluviis arenæ sabulíque saburram juxta littora deponentibus, sic fieri non negavero, atque inde fluviorum alveos, ipsósque maris cursus nonnunquam mutari, mare antiqua littora deserere, novásque terras inundare, atque adeo loca quædam telluris, ubi nunc dominatur mare, olim terras fuisse, & fortè aliquando futura esse. Atqui tamen unde ista scopulorum, & montium altitudo, qui maris littoribus impendent? Potuit aqua limi, arenæ, sabuli, aliúsve materiæ tumulos conficere: at certè nulla potuit fluctuum vehementia Pelion Ossæ, montésque montibus accumulare, ut quidem sempiterna illius potentiæ monumenta extare videantur, qui fecit & cœlum, & terram, & mare, & fontes aquarum. Miror deinde philosophos istos non vidisse maris alveum terræ portiunculis, quæ in eam continenter deferrentur, sensim potius repletum iri, atque eo pacto oppletis undique cavitatibus veniret demum terræ faciem prorsus exæquari, aquásque marinas extra alveum protrusas in universam terram diffluxuras: Quippe naturæ indole exundarent aquæ in littora, antequam terræ portiunculæ in cumulum litoribus eminentiorem aggeri potuerant, unde non prorsus, aut subitò priorem alveum abdicarent, sed minus profundam efficiendo ampliorem efficerent. Tantum enim accederet latitudini, quantum detraheretur profunditati, atque sic aquæ tandem, si suæ naturæ permittantur, omnia occuparent. Et si qui montes, vel scopuli uspiam extiterant, illorum radicibus, temporis decursu, paulatim aquarum impetu abrasis, tandem corruant, necesse est. Ut quidem si solis mechanicis legibus res peragatur, fieri non potuit, quin aquæ totum terrarum orbem semper operirent, cùm propriæ naturæ vi aqua non aliter supra terram, quàm supra aquam aer ascendat. Singulari itaque arte vastos istos oceani hiatus aperiri, eósque, litoribus in altum surgentibus, muniri confitendum

Meteor. l. 1. c. 14.

fitendum eſt. Et niſi opificem quendam, qui contra naturæ vim, vi quadam majori, ſic rem diſpoſuerit, non modò nova caſuum ſeries aſciſcenda eſt, verùm etiam talium, quales ſi admittantur, cùm ipſis rerum naturis, atque inſitis facultatibus pugnant. Denique, ut ſingulari numinis providentiâ proſpectum eſt, litora maribus ubique eminere; ita etiam cæteris terræ partibus depreſſiora eſſe, eo enim artificio extruuntur magnorum continentium tractus, & è mediâ terrâ, quâ plerumque oriuntur flumina, perpetuâ declivitate ad uſque mare, in quod ſe aquæ exonerant, deſcendatur. Si enim quivis locus fonte altior interjectus ſit, curſum interciperet, cùm ſuper fontis altitudinem nunquam aſſurgant. Annon mirum itaque videatur, cùm tot ingentia flumina, qualia ſunt Nilus, Niger, Ganges, Indus, Euphrates per pluſquam mille millenos paſſus decurrant, declivitatem nullis interjectis aggeribus impeditam ubique patere. Et quidem eâ ſingulari ratione (ut poſtea dicemus) ſita ſunt montium juga, ut majores quaſque terras, quæ utrinque mari cinguntur, per medium interſecent, è quibus fluvii ab utrâque parte in mare devolvuntur.

SECT. XX. Collectis verò in ſuas cavernas undis, quâ veſtrâ arte mechanicâ à putredine conſervabitis? cùm enim Solis ardore torreantur, facilè fœtidâ tabe contaminarentur, ut aquas ſtagnis, & paludibus concluſas, brevì fœtere, & noxios vapores exhalare experimur. Huic itaque calamitati rurſus variâ arte proviſum eſt; atque imprimis variis ubique marium æſtibus agitatur, altero quo undæ ipſi zonæ torridæ ſubjectæ ſolis, ſeu potius lunæ curſum perpetuò ſequuntur, conſtantique gyro ab Oriente in Occidentem volvuntur; obliquo altero, ab Occidente in Orientem. Unde enim priori motu abreptæ cavitatem ponè relinquunt, ad cujus compenſationem, utrinque à lateribus hinc ſeptentrionali, illinc meridionali, aquæ allabuntur. Quibus motibus totus undique concutitur oceanus, iſto omnia æquora ſolis orbitæ ſubjecta, hoc quicquid aquarum inde, aduſque utrumque polum pateat. Atque adeo cùm continuo æſtu ferveat, pelagus à putredine ſe ſatis tuetur, quâ cùm ſolâ ſuperficie tenus corripi poſſit, quod cùm Solis ardor non ulteri-

ulterius penetret, non nisi ad exiguam profunditatem æstûs agitatione commovetur, & tranquillum est, quicquid aquarum maris capacitatem ad fundum usque infra occupat. Quanquam autem quo fine fiant æstus maritimi, facilè assequamur, quâ tamen causâ effectrice nondum assecuti sunt mechanici. Qui telluris motu fieri statuunt, quod cùm terram aqua eâdem celeritate sequi non possit, retro in Occidentem se subducat, & mox ut ad libramentum redeat, Orientem versus diffundatur, sicut aquam vase circumacto conclusam huc illuc moveri videmus. Hi dicant, oportet, quî juxta leges mechanicas tantâ telluris turbinatione totus Oceanus in aerem non dissipetur, non aliter quàm aquam turbini injectam illius circumrotatione abreptam esse intuemur? Cùm autem rem similem, vase circumrotato, fieri inquiunt, longe aliena est, idque duplici ratione, cùm quod nunquam fiat, nisi quædam sit vasis profunditas, atque suæ saltem latitudini æqualis, qua ratione cùm aqua conclusa non nisi superficie moveatur, tota moles altis lateribus inclusa delitescat, quid mirum si non effundatur? Cùm verò tam exilis sit maris profunditas, si ad totius terræ amplitudinem comparetur, cúmque terra tantâ pernicitate circumvolvatur, juxta leges mechanicas, quis non intelligit, oceanum non aliter, quàm aquæ guttulam turbinis exteriori cavitati impositam abjectum iri? Atque istâ alterâ ratione differunt Telluris & Vasis circumacti Phænomena, quod vasis superficies concava sit, atque ita aquam intra parietes suos coerceat: terræ autem superficies quâ mare continetur, convexa sit, atque ita nihil habeat quod aquarum discessum impediat. Terræ ergo & aquæ circumvolutio non vasis sed turbinis rotationi similis dicenda est; atque igitur similiter atque turbo perniciter circumactus fluida omnia longè à se dissiparet, ita quoque terra oceanum ultra nubes in ipsa cœli mœnia excuteret. Qui verò mirabilis hujusce effectus ortum à luna deducunt, ii quidem veram istius causam propius attigerunt. Conspiratione enim quam cum lunâ habet, eam solam, aliámque nullam causam habere liquet, cùm solos illius cursus, tam constanti fluxu, quàm fluxuum mutatione sequatur. Cùm enim luna singulis diebus ad meridianum horâ circiter tardiùs perveniat, eâdem quoque horâ

horâ redit maris affluxus. Cùm denique æstus maximi in noviluniis, & pleniluniis fiant, minimi in quadraturis, in intermediis mediocres, cùm denique æstus solstitiales, & æquinoctiales ita lunâ gubernantur, ut eâ novâ, aut plenâ, maximi eveniant. Istis omnibus, quæ sit naturalis rei causa, satis deprehenditur, eam autem quâ vi efficiat, cùm dicere vellent mechanici, hîc, ut in cæteris omnibus, nihil dicunt. Qui vi magneticâ factam esse volunt, quâ ratione ista se à luna in terram diffundat, nihil dicunt,neque quamobrem mare solum, non stagna, non lacus, non flumina attollat: neque etiam quamobrem majores æstus plerumque extra Tropicos, quàm intra fiant: neque postremò, si virtute mechanicâ fiat, quî nisi summâ arte fiat ista virtus magnetica: atque sanè tam admirabili solertiâ instituta est, ut ubicunque se prodat, certissima summi artificis vestigia impressa deprehendamus. Qui aeris subter Lunæ cursum compressione facta esse censent, iidem nihil dicunt, cur in solo mari fiant, cur non aliis quibuscunque aquarum conceptaculis? cur cùm tantâ vi in aquam premat, eam nos nunquam sentiamus? Cùm verò aere faciliùs nihil locum cedat, cúmque spatii immensitas, in quam abire possit, ubique pateat, quis non potius credat ipsum supernè compressum, in omnem undique partem diffluxurum, quàm rectà deorsum, ut plumbi molem decubiturum? Quocunque autem modo fiat, nunquam intelligent, quî cùm luna subter horizontem nostrum commoretur, æstus supra eundem (quod tamen fit) cieri possit. Quæ omnia cùm ita se habeant (ut magni Philosophi de eodem argumento peroratione utar) *An non satius est dicere, esse quidem lunam affluxus, & refluxus, bis in die contingentis, causam; at qua vi id faciat, ignorare nos; quàm de hujusmodi vi quicquam temerè pronunciare?* Imò quidem nobis satis est quacunque vi occultâ fiant, in saluberrimos rerum usus factos fuisse, ita ut, ni fiant, universa maris superficies fœtidis humoribus computruisset.

Gassend. Phys. Sect. 3. l. 1. c. 4.

Cùm verò perpetuâ hac aquarum concussione superior tantum maris unda, ne solis ardore putrescat, conservetur, quid laticem omnem, qui inferius fluit, ne fœteat, servabit? Causam nos facile dicemus, sali enim cùm facultas insit, ut quodque, cui ingeritur, à putredine immune efficiat, pro-

pterea illius copiam mari universo permisceri, eóque uberiorem, quo propius sub Æquatore jaceat, magísque parcam, quo longius inde polos versus amoveatur. Quippe cùm locis calidis citius, quàm frigidis, putrescant aquæ, eo uberiori sale condiri exigunt. Atque quanquam hujus inæqualitatis in Æquatore, & polis physicæ variæ sint fortasse causæ, istæ tamen eâ singulari providentiâ in variis oceani partibus institutæ sunt, ut, ubi uberiori salis copiâ opus est, majorem efficiant salsedinem, ubi minori, minorem. Vos autem quî mechanicis vestris rationibus eam, quæ par est, toti undique Oceano inducetis? Quî induxit Aristoteles, postea dicemus. Quî antiquiores physici induxerunt, pudet dicere. Quòd scilicet cùm aqua terræ sudor sit, omnísque sudor cum calore decoquatur, adustus sit, propterea aquam præ adustione semper salsam manere. Animantium sudorem singulari innati caloris ratione quodammodo salsum, seu potius acrem esse novimus; atquî verò ut humor è terra simplici percolatione expressus quovis sale, nisi antea habuerit, imbuatur, non intelligimus. Si sole adustum esse inquiunt, ista adustio non sine eximio calore, quo tota maris moles percoquatur, fieri potest, cùm itaque nulla tam calida sentiatur percoctio, eâ ad tantam salsedinem aduri nequit. Atque etiam cùm solis ardor, non nisi ad paucarum orgyiarum profunditatem per mare penetrat, maximam in superficie adustionem cieret, cùm tamen è contra maxima salsedo fundum prope reperiatur. Denique si sol mare salsum efficiat, an non mirâ providentiâ effectum est, ut istâ ratione dulce conservet, quod iste alioqui fœtore corriperet? Quanquam equidem maris salsedinem à causis naturalibus omnino provenire non puto, cùm nullæ sint, quæ eam procreare valeant, sed potius cum iis sentire oportere, salis particulas ipsi ab initio permixtas fuisse, de quarum non magis, quàm de ipsius oceani ortu quærendum esse, sed concludendum potius eundem, qui omnia effecit, eas uberi satis copiâ aquarum moli immiscuisse, ut per omnia secula à fœtore immunem tueantur.

SECT. XXI. Cùm vero universam aquarum molem, ne putrescat sale condiri necesse sit, cúmque, si salsa semper, & ubique foret, atque eâ causâ animantium potui inutilis,

& terræ perniciosâ, omnes, quæcunque in sicco nascuntur, animantes interirent, vos itaque experiamini quî ab aquâ marinâ dulcem ducere possitis. Id chymici quanquam multum, & diu, hactenus tamen frustra tentarunt. Licet enim sal fixum (ut vocant) quod gravius sit, ab aquæ marinæ particulis decoctione vehementissimâ separare possint, usque adeo arctè tamen sal, quod vocant volatile, hærere compertum est, ut nullo ignis impetu, eo usque divelli possit, donec viventium potui idonea fiat. En itaque divinam naturæ solertiam! quæ nullis ignibus, nullis chymicorum cruciatibus omnem ab aquâ salsedinem facillimè exuit. Quàm innumerabiles fontes, & fluvii ubique per omnem terrarum orbem scaturiunt, qui tamen à mari oriuntur omnes! Quot nubes quotidie è medio oceano coactæ mox pluviis dulcibus in eundem delabuntur! Utroque tamen (ut cum chymicis loquar) processu, quàm simplici ratione, quàm nullo labore fit aquæ à sale separatio, quam vos, adhibitis omnibus artis instrumentis, nullâ industriâ, nullo siphonum circuitu efficere possitis. Cùm autem particulæ aqueæ radiis solaribus in aera sublatæ sint, quamobrem unà salinæ non tollantur? Res tam exiguæ non magnis ponderis momentis differre possunt, ut quæ vis alteras in tantam evehat altitudinem, alteras suâ gravitate depressas, loco suo nunquam movere possit. Sane accuratâ admodum potestate vis solaris comparatur, ut, cùm tam exilis sit rerum discrepantia, alteram facillimè in altum tollat, alteram summo caloris impetu, ad pedis altitudinem exantlare nequeat. Atque etiam cùm aquæ guttulæ subterraneos meatulos perreptant, ac transudatione per arenam, ac argillam colatæ particulas salinas viarum angustiis deponunt, an non mirabili subtilitate interior terræ contextura fabricatur, ut cùm tam exiguæ molis sint utræque aditus qui alteris apertè patet, alteris semper obstruatur? Quod autem aqua ad fontium loca dulcis perveniat, minus mirari oportet, quàm quòd omnino perveniat. Aquam enim omnem quæ à fontibus profluit, è mari oriri solùm, quod eo redeat, dubitari nequit; cùm enim tanta aquarum copia è mille millenis fluviis se in oceanum continuò exoneret, nisi circuitu facto ad fontium loca rediret, universam tellurem, aquis in immensum auctis, inundaret.

At ut aquarum ductus ex imo mari in montium cacumina perreptant, quî efficient vires vestræ mechanicæ? cùm enim aqua non nisi locis altioribus in depressiora fluat, neque sponte sua ascendat, sed semper delabatur, si locis, è quibus scaturiunt fontes, depressior sit maris superficies, in ea nunquam pervenire potuit, nisi contra ipsam naturæ vim ascendat. Si sit eminentior, eò nunquam redire potuit, cùm supra fontis altitudinem nunquam assurgat. Nisi ergo non modò arte quæ naturam fabricavit, sed quæ omnes naturæ vires superat, res peracta sit, planè demonstratur, non posse fontes juxta leges mechanicas, aut à mari oriri, aut in mare redire. Cùm itaque ex eo quod huc redeant, tum inde proficisci constet, tum illius locum, è quo scaturiunt, depressiorem esse, quid sequitur, nisi ut miremur (nunquam enim intelligemus) stupendam istam naturæ artem, quâ tam immensa aquarum copia ubique per omnem terræ descriptionem, contra naturæ vim, in summa montium fastigia alliciatur? Et quidem sic montium tractus undique per omnes terræ regiones siti sunt, ut solùm quò commoda fluminibus capita fiant, in altum tolli videantur; & propterea mediam cujusque loci tractum plerumque pervadunt, ut ab utroque latere suos aquarum cursus undique emittant. Sic universa America continuâ montium serie, ab austro in boream excurrentium, dividitur, è quibus multa, magnáque flumina in ortum, & occasum ubique delabuntur. Atque eodem modo omnis Africa Atlante, Lunæque montibus divisa est, è quibus omnes utrinque fluvii oriuntur, & cùm certis anni tempestatibus ingentem vaporum copiam, stati venti in montium juga compellunt, hinc fortè fit, omnia ferè Africæ flumina, perinde ac Nilum singulis annis in terras exundare. Neque aliter Asia Tauri, Imai, Caucasi, aliisque jugis, quæ à Pamphilio litore in ultimam Indiam progrediuntur, divisa est, quæ tamen ut cætera omnia varias fibras in omnem partem emittunt, atque etiam aliis alio tractu excurrentibus hinc inde intersecantur, è quibus innumerabiles, & celeberrimi fluvii, se per longos terrarum tractus in omnes plagas effundunt. In Europa denique australi Alpes, Alpiúmque brachia per varias terras excurrunt, Galliam, Hispaniam, Rhætiam, Pannoniam, Dalmatiam, Thraciam, Macedoniam,

Ita-

Italiam. E quibus ingentia flumina longè, latéque in omnes regiones vagantur, ut in Boreali, è montibus Rhiphæis, fluunt maxima (ut aiunt) exceptis Americanis quibuſdam, quæ in univerſo terrarum orbe reperiuntur, flumina. Denique ſi cui experiri placeat, in inſulis, aliíſque minoribus terræ regionibus, terram in medio ſemper altiorem eſſe comperiet, unde ſingulari providentiæ arte omnis camporum planities, quæ inde ad mare proclivis expanditur innumerabilibus fontibus, & fluviis irrigatur.

SECT. XXII. Poſt exantlatos hoſce omnes labores unus duntaxat ſupereſt, magnus profectò, & arduus, atque qui operis difficultate Herculeos omnes ſuperare videtur, ut nempe ingentia maria in cœlum, & ſydera tollatis: mechanicis autem veſtris viribus nunquam unam aquæ particulam in ſublime ferri efficietis. Quî enim cùm gravior ſit, ſuper aerem unquam aſcendat? Quòd, inquitis, Solis calore extenuetur, quid an in ſubtiliorem tenuitatem, quàm quâ conſtat aer rareſcit? ſi non, in locum altiorem nunquam aſcendet: ſin ita, ipſe aer, faciliùs quàm aqua in nubis craſſitudinem concreſcet. Præterea ſi aqua ſolis calore extenuetur, eodem extenuatur & aer, ut ſi iſtâ ratione, iſta locum altiorem petat, hic ſuperiorem ſemper tueatur, adeo ut quanquam certius nihil ſit, quàm vapores radiis ſolaribus in altum ferri, quî tamen omnino fieri poſſit juxta leges mechanicas, nunquam intelligetur. Cùm autem unam particulam in ſublime ferre non valeant, quanto minus tam confertam humoris copiam, è quâ nubes, imbréſque coguntur? Ingentium enim paludum magnitudine, & craſſitie coeunt, cœlum caligine opacant, diluvia in terras affundunt, quibus itaque antliis, & ſitulis tantum aquarum pondus in mille paſſuum altituidnem compelletis? An quam cavam capacitatem in ſe habeant radii ſolares, ut vapores ſecum abripiant? Si enim nullam, quo inſtrumento apprehendent? niſi enim quid tale intelligatis quod aquam ſibi incluſam ſecum in altum ferre poſſit, cauſæ aliæ quæcunque juxta leges mechanicas, quæ nihil niſi machinis efficiunt, nihil unquam valebunt. Cùm vero tenuiores aquæ particulæ, à ſalinis neſcio quâ, mirabili naturæ arte, divulſæ, inſtrumento, neſcio

nescio quo, è mari in aera exantlantur, cur non per ætheris immensitatem avolarent, cùm tam tenues, & inconferti exhalantur, ut nulla oculorum acie cerni possint? Quâ itaque facultate, in nubium crassitudinem coivêre, & non potius per aeris vastitatem dispersæ vagantur, aut saltem ad terram redeant, eâ tenuitate quâ emerserunt. Aut cùm in nubium crassitudinem coiverint, quid, quæso, tantam aquarum copiam, aere puro, ac tenui sustinere possit? An quo fundo, quo, ut terrâ mare sustentari putatis, aut aliquo fundamento ipse fundus in aere nitetur? quamcunque causam afferetis, eam eâ arte comparatam esse miremini, quæ tantum aquarum pondus, nullo solido corpore firmatum, ne corruat, tueatur. Denique cùm in terram decidit, quamobrem in guttulas divisa, & non potius aut torrentis adinstar proruat, aut tenuissimo vapore, eo modo, quo ascendit, delabatur. Nubes crassâ densitate concretas esse videmus, cùm tenebras cœlo ipsique soli offundant; cùm itaque, stagni ingentis instar, in aere pendeant, cur non, stagni instar, uno impetu præcipitent? Denique quocunque modo pluviæ, sive nubium coalitione, sive dissolutione fiant, quamobrem guttulis grandiusculis depluant? Si enim vaporis formâ descenderent, insensibili isto allapsu terram non satis humectarent; si guttis aliquanto majoris molis deciderent, segetes, terræque fruges, lapsûs impetu undique devastarent. Hæc autem pluribus hîc urgere nolo; quoniam, cùm in speciales his de rebus opiniones perquisivero, dabitur fortasse de iis sæpius & fusiùs disputandi occasio. Interim verò, si à nobis quî fiant nubes, & pluviæ, sciscitamini, en philosophi simplicis simplex responsum! Summam numinis providentiam solem ita initio effecisse, ut nescio quâ vi, tenuiores aquæ particulas in aeris sublimitatem tollat; eámque vim tam accuratâ ratione disposuisse, ut (quod nunquam intelligetur) cùm aquæ particulas facillimè evehat, salinas movere nunquam valeat: Quæ tandem in aera cùm sublatæ sint, aut quod ventis impellantur, aut quòd regionis frigore comprimantur, aut aliâ quâdam, quam nescio, ratione, plurium, pluriúmque accessu in nubes coalescant; quæ mox, nescio quî, in pluvias soluta guttatim, nescio quâ causâ in terram delabuntur. Unde (optimè scio) benignè rigantur agri, dives

dives undique telluris proventus nascitur, ad maturitatem quodque suam provehitur, & tota denique nutricatur natura.

SECT. XXIII. Audivistis Epicurei, vósque, omnes omnium sectarum impietatis magistri, quibus argumentis, iísque ab ipsâ rerum naturâ depromptis, sapientem quendam naturæ Authorem esse conclusimus; vidistis quantâ illius providentiæ solertiâ omnis hic mundus noster constituatur: Vidistis quantâ singulis in partibus ornetur: Vidistis quantâ, omnibus inter se congruentibus, quasi fabricatione continuatâ conspiret; neque id modo, verùm etiam eâ solertiæ ratione fabricari vidistis, quæ nullis rerum ipsarum facultatibus, (quas omnes superat, & quibuscum plerumque pugnat) sed solùm, quod sic fieri expediret, artificis consilio effici potuisset. Quo dempto, vos omnes nunquam dicturos aio, quamobrem vel quidem lapis in terram potiusquàm in cœlum feratur; atque igitur id solum, quò intelligatis, quàm inanes sint vestri omnes conatus ut experiamini, provocarem. Ne vos ludificari putetis; rem enim nunquam factum iri nullâ divinatione permotus, sed solâ (eâque modicâ admodum) philosophiæ scientiâ ex animo vaticinari profiteor. Et si vobis illudi nolitis, ne conemini moneo; eo enim conatu, quos hominum risus concitaturi sitis, nisi experti, præsentire non potestis. Atque igitur ne in apertam contemptionem vos ipsi adducatis, primum domi experiamini; quod, si prudentes feceritis, scio nunquam in publicum esse proposituros. Hoc ergo in vestræ philosophiæ opprobrium vobis ipse propono, ut, quemadmodum (inquam) lapis in terram redeat causis mechanicis dicatis; & si dixeritis, eâ liberalitate nos futuros esse polliceor, ut sic mundos quoque fieri concesserimus. Annon pudet vos, qui nihil non efficere promittitis, tam impavidè de effectuum omnium facillimo provocari? An non pudet, cùm ipsam terræ orbem loco suo movere polliceri non dubitetis, ut ne quidem lapillum in suum movere valeatis? Ite ergo, vires experiamini, neque priusquam perfeceritis, ad majora proficiscamini; ut, cùm virium vestrarum imbecillitatem intellexeritis, tandem modesti esse discatis. Interim verò cùm qui-

quibus rationum momentis mundi quendam opificem fuisse conclusimus, vos audieritis, utinam quoque egregiis, quibus tam durâ fronte idem negetis, nos audiremus! Quanquam verò ea est argumenti à naturæ pulchritudine certitudo, & perspicuitas, ut, si quid in contrariam partem disputare possitis, id omne ipsa per se plane frangat, & superet. Cùm quicquid in rem adeo certam, & indubitatam dicatur, id istâc anticipatione nequaquam verum esse noverimus. Atqui tamen, cùm vestras partes tuemini nihil grave, nihil severum, nihil ad rem dicere soletis. Quis enim vestrûm argumentis confirmare aggressus est rerum naturam, sapienti quovis opifice, factam non fuisse? id tamen si quid proficere velitis, demonstrare oportuerat: at vos tale nihil attingere conamini, sed solùm dicere, qui immani quodam casuum complexu, fortè sine providentiâ, fieri potuisset. Et quas ratiunculas ridentes affertis (facetum enim hominum genus semper estis) plerumque leviores sunt, quàm ut seriò refelli mereantur. Magnum enim aliquod vos præstitisse putatis, si omnem naturæ solertiam inanibus, nescio quibus, conjecturis, & falsis (ut putatis) suspicionibus elevetis. Atque igitur cùm duabus viis controversiam inire placeat, aut ut argumentis nostris lepidè illudatis, aut, ut ea, fictis de rerum naturæ ortu hypothesibus, prorsus tollatis, nos quoque facetias vestras in utroque genere sequemur: Alteras, cùm levissimæ sint, neque multum negotii postulent, hoc capite: alteras, cùm quanquam graviores non sint, eas tamen fusiùs suâ quisque viâ, & ratione secutus est, sequentibus uberiori sermone evertemus.

Sext.Emp.l.8. Primùm igitur, *Critia*, quid tu rides? Antiquos, inquit, Legislatores opinionem de Deo, qui quæ bene, quæ malè ab hominibus fiunt, intuetur, confinxisse; quo melius istâ superstitione subditorum animos ad officium devincirent. Callidè profecto, atque virum politicum (erat enim unus è triginta tyrannis, qui turpissimè patriam oppressisse memorantur) decet fraudem in omni re suspicari, atque ipse callidus cùm sit, cujusque sapientissimi calliditatem nare venatico aucupari. Huic viri docti, & graves respondere solent, eum interrogando, quibus temporibus sapientes isti vixerunt, atque an ipse iisdem fuerit, & eorum consiliis interfuerit?

fuerit? si verò non fuerit, porro interrogant, quî in rei abditæ, & clam peractæ scientiam ipse, à tanto temporis intervallo, devenire potuisset? At ego hominem maleferiatum responsi honore dignari nollem; risu enim potius, & contemptu tam ineptos nugatores excipiendos esse puto, qui sibi tam subtilibus insomniis tantum placere possent. Suæ itaque calliditatis gloriâ per me fruatur vir nasutus, cùm enim opinionem de Deo receptam, ipsâ rerum, quas fecit, demonstratione inductam fuisse probaverimus, inanis prorsus, & supervacui operis fore, an quorundam fraude, & astutiâ planè confecta sit, disputare puto; Cùm istâ demonstratione, omnibus quibuscunque istiusmodi conjecturis, quæ contra fingi possunt, antevenerimus. Eo itaque ingenii acumine, quod suspicatur Critias, antiquiores istos, qui primùm respublicas administrarunt, alios omnes anteire potuisse dabimus, nihilque, aut cum illo, aut cum alio quovis disputabimus, quàm an suscepta de Deo opinio solidâ quâvis ratione comprobari possit, nécne? si possit, rem confecimus; sin minus, fabulis, & commentis istis opus non est: nos enim ultro succumbemus.

Huic (si Empyrico fides) similis fuit Euhemerus, quem fert non alios primùm habitos Deos existimâsse, quàm potentiores quosdam, quos sua ipsorum ambitio, aliorúmque adulatio in immortalium numerum ascripserat. An verò reipsa in eâ opinione fuerit Euhemerus, antea disquisivimus; & non fuisse conclusimus; sed eam eidem à Plutarcho imputatam esse, quod quosdam Ethnicorum Deos isto honore sic mactatos esse ex optimis annalibus demonstraverit; omnem verò de Deo notitiam inde ortam dixisse non liquet; sed cùm Plutarchi nepos fuerit Empyricus, probabile est ejusdem opinionem, à quo solo eam acceperat, secutum fuisse. Si vero ita censuerit Euhemerus, ut censuerunt alii, sic in *plerisque* (inquit Cotta) *civitatibus intelligi potest augendæ virtutis gratiâ, quo libentiùs reip. causâ periculum adiret optimus quisque, virorum fortium memoriam honore Deorum immortalium consecratam.* His quoque idem, quod olim responsum est, respondere possem, istam de se opinionem populo persuadere non posse magnates, nisi præcesserat quædam de diis opinio; quî enim divinos honores iis deferre possent, nisi

De Nat. Deor. lib. 3.

nisi Deos esse prius persuasum habuissent? At ipse neque cum his disputatione congredi dignarer, quòd iis, quæ superius disputata sunt, Dei notitiam optimâ ratione, & proinde nullâ ejusmodi fraude inductam fuisse noverimus. Quæ si labefactare valeant, an istâ, an aliâ quâcunque arte primum inducta fuerit, non obnitemur: si non valeant, ipsa omnes quascunque suspiciones facillimè expugnabunt.

His proximus prodeat Poeta Satyricus, qui, suspenso naso, primùm in orbe Deos, ardua cœlo fulmina cùm caderent, timorem fecisse vidit. Huic etiam & sæpius responsum est, non timorem opinionem de Deo, sed contra de Deo opinionem, timorem incussisse; neque fulminibus illius notitiam primùm impressam esse, sed cùm impressam prius habuerint, ad fulmina homines pavisse. Nos vero quid fulminum, & tonitruum timor aut effecerit, aut efficere potuerit, nostrâ etiam nequaquam interesse putamus; sed solùm an argumenta, quibus numinis providentiam in rerum naturâ demonstravimus, rectè concluserint, nécne? Si rectè, satis non solo timore persuasionem factam esse conclusimus, quod jam ante optimâ ratione susceptam fuisse demonstraverimus; si non rectè, an timore, an quovis alio modo primùm suggesta fuerit, alii, si placet, pugnent, nos pugnare nostræ operæ pretium non existimamus.

Sect. XXIV. Atquî de Aruspicibus hisce satis, cùm quod nullam rationis verisimilitudinem, sed, Ariolorum instar, lepidas conjecturas, & ad libidinem fictas sequantur; tum quod tollantur uno responso, quæ dicunt, omnia. Audiamus igitur quid magis compertum habent, qui philosophiam profitentur, & quidem plures sunt; habet enim suos quæque schola Heroes, ab Epicureâ autem, cùm sit ipsa Heroum natio, inchoandum est. En igitur omnium nomine Lucretius, cum omni suâ pompâ, & licentiâ.

Lib. 5.

*Quod si jam rerum ignorem primordia quæ sint;*
*Hoc tamen ex ipsis Cœli rationibus ausim*
*Confirmare, aliisque ex rebus reddere multis,*
*Nequaquam nobis divinitus esse paratam*
*Naturam rerum: tantâ stat prædita culpâ.*

*Prin-*

*Principio quantum cœli tegit impetus ingens;*
*Inde avidam partem montes, ſylvæque ferarum*
*Poſſedêre: tenent rupes, vaſtæque paludes,*
*Et mare, quod latè terrarum diſtinet oras.*
*Inde duas porro prope partes fervidus ardor,*
*Aſſiduúſque geli caſus mortalibus aufert.*
*Quod ſupereſt arvi, tamen id natura ſuâ vi*
*Sentibus obducat: ni vis humana reſiſtat*
*Vitai causâ valido conſueta bidenti*
*Ingemere, & terram preſſis proſcindere aratris.*
*Præterea genus horriferum natura ferarum*
*Humanæ genti infeſtum, terrâque, marique*
*Cur alit, atque auget? Cur anni tempora morbos*
*Apportant? Quare mors immatura vagatur?*
*Tum porro puer, ut ſævis projectus ab undis*
*Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni*
*Vitali auxilio; cùm primum in luminis oras*
*Nixibus ex alvo matris natura profudit,*
*Vagitúque locum lugubri complet; ut æquum eſt,*
*Cui tantum in vitâ reſtet tranſire malorum.*
*At variæ creſcunt pecudes, armenta, feræque,*
*Nec crepitacillis opus eſt, nec cuique adhibenda eſt*
*Almæ nutricis blanda, atque infracta loquela.*

Scitè admodum dictum eſſe fateor, Lucreti, & majori, quàm ſolent veſtri, fortitudine? Iſti enim caſtra ſua longo intervallo plerumque poſuerunt, atque ſolis inanibus fabulis, & neſcio quibus, conjecturis nos oppugnare ſolent; tu vero in fines noſtras excurſionem feciſti, atque ad ipſas portas perveniens ipſa mœnia occupare conatus es. Neque enim aliâ munitione, niſi quam præbuit ipſa natura, nos numinis arcem tueri poſſumus; ut, ſi iſtam occupaveris, cauſam prorſus amiſſam, & deſperatam eſſe fateamur. Age ergo, cominus agamus, nos nobis divinitus eſſe paratam naturam rerum dicimus, quod omnia tam bene parata videamus; tu autem nequaquam dicis, quòd tantâ ſtat prædita culpâ. Ut igitur omnem tibi congreſsûs opportunitatem concedam, dabo imprimis Deum meliorem naturam (quantum voles) efficere potuiſſe, atque hanc, quam fecit, non uſque adeo omni

omnibus numeris absolutam esse, quin quosdam defectus reperias, quos tu ipse perfici optares; poterat enim, si placuisset, omnem terrarum orbem habitabilem fecisse; poterat eam terræ fœcunditatem insevisse, ut fruges suas suâ sponte, & nullâ hominum vi coacta fundere potuisset. Poterat eam ei salubritatem dedisse, ut nihil noxium, & humanæ genti infestum procrearet. Poterat genus humanum firmioris roboris, ac diuturnioris vitæ genuisse, ut naturæ lege nemo ante annum ætatis centesimum moreretur; poterat iis præsidiis munivisse, ut præmaturâ, & præcoci morte nemo interiret. Aliáque quamplurima poterat, quæ quis, qui se bene amat, optaret. Quæ tamen omnia cùm fecisset, an non eadem querelarum causa tibi, tuísque semper superesset? Cùm quicquid fecisset Deus, semper melius efficere potuisset, & omne quod melius est, vobis, qui nimio vestrûm amore tenemini, deesse putaretis. Quid enim si eo quod desideratis robore finxerat, ut vos ante annum vitæ centesimum neque morbus, neque mors invadere potuisset? an non tamen pari jure, quod vitæ spatium ad ducentos annos non prorogasset, divinæ providentiæ benignitatem reprehenderetis? Si ad ducentos, an non quòd ulterius adusque millesimum non protraxerit? Atque adeo eadem semper rediret providentiæ reprehensio, quod vitæ immortalitatem non donaverat. Imò & immortales si sitis, an non tamen eâdem querelâ permanere pergeretis, quòd nisi quotidiano cibo æternitatem conservare non liceret. Sed & his quoque datis, conquirendum foret, aut de staturæ humilitate, aut de virium imbecillitate, aut de aliis quibuscunque facultatibus, quibus cùm nos careamus, cœlestium genus exornetur. Neque querelas vos vestras omnino sistere possitis, antequam omni perfectionis plenitudine, quâ summus ipse Deus cumulatur, vos quoque beare dignaretur. Tam petulanter ergo in numinis providentiam invecti estis, ut non tam reprehendendi, quàm maledicendi animo id agere vos ipsi indicetis, cùm ea sit vestræ accusationis ratio, quæ nullâ providentiæ benignitate devitari possit. Sed vobis pessimè actum esse putatis quòd non melius, imò quòd non optimè; & si optimè, cùm immoderatâ, & inexplebili philautiæ vitio teneamini, nunquam satis benevolè vobiscum actum

actum esse putaretis. Non ergo numinis culpa est, quòd vobis beatis non esse liceat, sed animi ægritudinis, quæ nullâ vitæ fælicitate, aut tolli, aut leniri possit. Neque equidem quos vestri generis homines novisse me memini, quin animos tetrâ istâ malevolentia suffusos habuerint, adeo, ut vix quicquam aliud omni vitæ ætate agerent, quasi eodem, quo Philoctetes, morsu ulcerati, quàm ut intolerabiles vitæ humanæ miserias,& ærumnas deplorarent. Sic Plinius librum septimum, quo de homine tractatur, à vitæ humanæ miseriis exorditur. *Principium jure tribuetur homini, cujus causâ videtur cuncta alia genuisse natura, magnâ, & sævâ mercede contra tanta sua munera; ut non sit satis æstimare, parens melior homini, an tristior noverca fuerit. Hominem tantum nudum, & in nuda humo natali die abjicit, ad vagitus statim, & ploratum, nullúmque tot animalium aliud ad lacrymas, ab hoc lucis rudimento, quo ne feras quidem inter nos genitas, vincula excipiunt & omnium membrorum nexus, itaque feliciter natus jacet, manibus, pedibusque devinctis, flens animal cæteris imperaturum: & à suppliciis vitam auspicatur, unam tantum ob culpam, quia natum est.* Sic Vaninus, *Tot, tantisque homo repletur miseriis, ut dicere auderem, si Dæmones dantur, ipsi in hominum corpora transmigrantes, sceleris pœnas luunt.* Et quid mirum, cùm importuno isto mortis metu semper urgeantur, qui iis non modo, ut Sisypho saxum (sicut loquitur M. Tullius) sed ut Encelado Ætna incumbit? Nihil enim cuiquam horribilius videri potest, quàm sempiterni sui interitûs contemplatio, cùm eodem naturæ affectu, quo se quisque amat, sui mortem oderit; atque igitur quo majori sui amore, vitæque desiderio quis flagraverit, eò vehementiori necesse est mortis horrore contremiscat. Hi itaque cùm maximo affectu adversus se exarserint, atque immensâ lucis cupiditate teneantur, de morte cogitare nequeant, quin tota mente, atque omnibus artubus perhorrescant; atque tamen ipsa mortis species tam importunè suas cogitationes solicitat, ut suâ potestate non habeant, quin dies, atque noctes cogitent *jam jamque esse moriendum.* Quæ una cogitatio eorum animos tam immensâ miseriæ mole opprimit, ut eam neque ferre, neque excutere valeant, atque adeo miseriam patiantur sempiternam. Hic fons, hæc origo querelarum

Dial. 50.

larum; ab impietatis suæ ratione, non vitæ humanæ conditione proveniunt; atque quod semper sint miserrimi sibi solis, non numinis regimini, imputare debent; isti enim, si se morigeros præberent, & probi esse discerent, horrenda ista spectra quorum specie noctes, & dies terrentur, ultro avolarent. Sic enim propriæ conscientiæ delectatione recreatis, atque optimâ numinis providentiâ fretis, vitam tranquillam, sine omni vitæ tædio, aut mortis metu transigere liceret. Neque enim quicquam est, quod in omni vitâ consolari, aut contra mortis horrorem sustentare potest, quàm rectè factorum conscientia, summæ numinis bonitati innixa; quâ incolumi, in cœlum tollimur; quâ sublatâ, jacent omnia. A querelis itaque vestris desinite, neque miserias, quæ vestrâ culpâ natæ sunt, ab optimo Deo procreatas fuisse calumniari pergite: omnes ille felices genuit, & si miseri vos estis, estis quoque suæ quisque miseriæ artifices. Quas autem vitæ humanæ ærumnas Deus ipse immisit, levissimæ sunt, & quales infans sine lacrymis ferre posset. Atque istuc est, quod maximo gemitu, & ejaculatu ingemiscitis, nudos, & inermes nasci, ab utero in tumulum, nisi violenta quædam parentum pietas cohiberet, delapsuros. Sciatis, ergo eundem, qui nos genuit tenellos & inermes, nobis parentum curam, & amorem obstrinxisse. Et quocunque modo rem procuraverit, vix quisquam est qui, velit nolit, sobolem non amet. Et utcunque vim sibi fecerint nonnulli, ut omnem naturæ benevolentiam excutiant, perpauci sunt, iique monstrorum adinstar, qui insitâ humani generis benignitate tam immaniter degeneres esse possint. Atque naturali hâc charitate jacta sunt prima humanæ societatis fundamenta; à familiis enim inchoatur benevolentia, quæ longiùs agnatione, tum affinitate, deinde vicinitate serpit, dum tandem patriam, quæ communis omnium parens est, complectatur. Atque igitur cùm inter parentes, & liberos prima nexa sint amicitiæ vincula, eam sanctiori nodo ligari voluit optima numinis providentia, ut aliis omnibus scelere ruptis, eò tandem iniquitati finis ponatur. Vix enim quisquam usque adeo improbus reperitur, qui, quanquam leges alias omnes divinas, & humanas conculcaverit, in propriam sobolem crudelis reperiatur: adeo ut cùm huc usque pergrassata

fuerit

ſuerit impietas, illius ſanctitate redintegretur juſtitiæ cultus. Atque ergo ne omnia ruant, naturalem iſtam στοργὴν optimus ille omnium parens, parentum erga liberos benevolentiâ, & liberorum erga parentes gratitudine mutuò ſancivit. Tantum ergo abeſt infantiæ noſtræ imbecillitatem ei vitio vertendam eſſe, ut ſuæ bonitatis primum indicium, & noſtræ ſemen videatur. Utcunque verò iſtuc fuerit, quod ad locum alterum de mundi gubernatione, non ad eum, qui nunc tractatur, de illius fabricatione pertinet. De hoc igitur, quid opinaris, dicas; quid ergo? an quod nudi, & inermes naſcimur, nullâ providentiâ natos eſſe putas? dicas ergo, quî, ut naſcimur, ſine iſtâ naſci potuiſſemus? Cùm enim in quoquo infante omnia etiam ipſa oculorum cilia incredibili quodam conſilio deſignentur, an iſta omnia mille artis miracula nihili habenda eſſe cenſes, quod cùm primum nati ſimus nutricibus, & crepitaculis egeamus? Scholas ergo anatomicas adeas, quæ ſit corporis humani fabricatio, videas; quàm innumerabili partium varietate conſtet, in quos præclaros uſus fiat quæque diſcas, & niſi aut porcus, aut infans ipſe fueris, optimum (credo) humani generis patrem crepundiis non laceſſes: ſed infantiſſimâ potius petulantiâ diſputatum eſſe fateberis, quòd, quanquam mirabili providentiæ arte factos eſſe nos liqueat, infantes non adulti naſcimur.

Et quod de nobiſmet ipſis, de univerſo idem dicendum arbitror; eſto enim melius inſtitui potuiſſe; an idcirco nullâ omnino ratione, & conſilio inſtitutum fuiſſe ſequetur? Quid? nihílne arte effectum putas, quod non optimè, atque omni perfectione, quâ quicquam ſui generis fieri poteſt, effectum fuerit? Quid? an nulla horologia, niſi celebris iſta Argentinenſis artifices deſiderent? An Apelles ſemper Venerem? An Phidias ſemper Minervam? Quid an cætera omnia iſtorum opificum artificia nullâ arte perfecta fuiſſe dicemus, quòd non eâdem perfectione, quâ pulcherrima iſta ſimulacra abſolvantur? At iſtuc accuſationis tuæ caput eſt, malè extructum fuiſſe mundum, quòd quî melius extrui potuiſſet, tu ipſe cogitare potes. Quid verò cùm innumerabiles rerum omnium commoditates indicaverimus, an quòd tu ipſe unam, aut alteram fortè deeſſe putes, idcirco nullas omnino fuiſſe dixeris? Quòd præclarâ providentiæ ſolertiâ

terrarum

terrarum orbi prospectum sit, solaris motus ratione disseruimus, nempe nullâ causâ physicâ, sic, ut instituitur, institui potuisse, tum ab intellectrice quâdam, aut maximæ terrarum parti inserviret, institutam fuisse? Quid? an istæc omnia nihili esse dices, quod illius beneficio omnis terræ particula non pariter utatur? sic quidem dicis, at quàm sapienter, tu ipse judices, cùm antequam quicquam objeceris, res ipsa demonstretur, quæ demonstratio prius tollenda est, quàm refutanda: Quî ergo præclarissima ista omnia emolumenta, quæ in solis ratione deprehendimus, sine providentiæ evenirent, dicere debuisti; quod cùm fecisses, tum, neque ante, ad reprehensiones tuas ire liceret: Alioqui enim iis semper nos antevenire scias, quòd etiamsi non eâ, quâ tu desiderares, utilitate fingatur, præclarâ tamen fingi, eâque, quâ nisi solertissimo artifice fingi non potuisset. Quanquam verò cùm tibi dederim Deum meliorem potuisse naturam, hoc quoque, ad summam illius sapientiam me respexisse scias, quarum ratione non dubito longè meliora, quàm nos aspicimus, efficere potuisse, & fortè in superis, & cœlestibus effecisse: Alioqui in mundo hoc nostro aspectabili quicquam quovis hominum ingenio aut perfici, aut corrigi posse vobis apertè nego; sed potius cuique illius parti, quod suo Athletæ Zeuxin subscripsisse fertur, & multò, sane potiori ratione inscribendum puto, μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται, *culpaveris facilius, quàm imitaberis.* Atque igitur optimè ipse Cicero totum vestrum contubernium provocasse visus est. *Doceat ergo aliquis potuisse melius, sed nemo unquam docebit, & si quis corrigere aliquid volet, aut deterius faciet, aut id, quod fieri non potuit, desiderabit.* Tu itaque, Lucreti, cùm Solis institutum potissimum culpaveris, experire, quî tu melius potuisses. Nos tam bellè, & opportunè designari, ut melius non potuisset, putamus; præsertim quod unus sol admirabili motuum varietate omni terrarum orbi sufficiat. Quid? an tu plures, an eundem aliâ ratione compositum velles? si plures, ut variis zonis varii Soles imminerent, an non vides universam terram continuo ardore flagraturam? si hunc aliâ ratione compositum? quî vero? nolles inquis, medium terræ tractum æstu, neque duos extremos frigore mortalibus auferri. Quanquam autem, cùm de nimio

De Nat. Deor. lib. 2.

mio zonæ torridæ æſtu queraris, quæ fieri non poſſunt, te deſiderare putas; tamen dedit divinus artifex, cùm & eo loco cultiſſimæ, & fertiliſſimæ regiones reperiantur. Atque adeo ſuam artem vobis illuſtriorem fecit, ut cùm quî omnino ſubter zonam torridam incoli poſſit, non intellexeritis, ipſe tamen regiones ipſi mediæ ſolis viæ ſubjectas eâ arte temperavit, ut ſint ipſis temperatis amœniores. Cùm verò de zonis frigidis queraris, vide quî correxeris, ita ſanè, ut non modo ipſa, quæ corrigere velles, deteriora facias, ſed & funditus aliorum omnium utilitatem tollas, cùm niſi ab utrâque mundi parte iſti frigoris fontes collocentur, quî caloris vim medio ſitam diluerent, nihil uſquam terrarum naſci potuiſſet. Ut enim calor quæque gignit, & fovet; ita niſi perpetuo frigore leniatur, aqueum humorem, ſine quo nihil naſci potuit, penitus exhauriret. Vidéſne quantas ruinas nimiâ tuâ aviditate feciſti, dum extremos iſtos, & quidem exiguos mundi angulos adipiſci velles, excidium, & vaſtitatem toti terrarum orbi intuliſti.

Cùm verò de ſylvis, de montibus, de mari, de paludibus, de venenis conqueri pergis, an ſi quorundam uſum fortè inveſtigare nequeas, an inde nullum omnium eſſe concludes? An non potius ex iis, quæ ſummâ cum utilitate inſtituta eſſe novimus, reliqua quoque in ſuos uſus fieri concludendum eſſet? ſi fortè tu ipſe cujuſvis artificis officinam ingrediaris, quantum inſtrumentorum apparatum reperies, quorum uſum, artis ignarus cùm ſis, omnino neſcias, tamen cùm ab artifice omnia è paucis, quorum uſum noveris, confecta fuiſſe ſcias, quin ſuam quoque utilitatem habeant, non dubitabis. Atque ita cùm hanc ſummi opificis officinam luſtraverimus, in quâ primo intuitu quamplurima ſuis uſibus inſervire videmus, quin quæ reliqua quoque omnia, quorum uſum non tam certò aſſequimur, ſuis etiam inſerviant, cur dubitabimus?

Quanquam denique nihil in omni naturâ ſit, cujus uſum non facilè inveſtigemus; atque iſta ſpeciatim, quæ tanta ſtare prædita culpâ conqueſtus es, apertam ſuam utilitatem habere novimus. Montes, & ſylvæ, ſi nullam aliam habeant, ad univerſi ornatum, & varietatem faciunt. Sylvæ verò, an non ligna in hominis uſum miniſtrant, ſine quibus

 jucun-

jucundè, & commodè vivi non posset; An verò dicere tu potes quî unus surculus in arboris proceritatem adolescat? quî folia, quî fruges, quî semina emittat, quî exciso trunco arbor novella ex eâdem radice germinet; Cùm verò non possis, quilibet truncus tibi se solâ numinis curâ satum fuisse respondet. At sic vos vobis semper illuditis, ut nullum unquam argumentum afferatis, quod ipsum, sibi non anteverterit. Si enim singuli surculi sine numine germinare nequeunt, multò minùs ingentes sylvarum tractus. Montes, quorum sterilitatem proximè objicis, an non sunt terræ ossa, & fluminum conceptacula? Atque quàm illustri providentiâ in utrumque usum comparantur, superius diximus. At sic etiam vos in summâ ipsarum rerum ignoratione, de iis disputare soletis, atque ipsis phænomenis nondum intellectis, de illorum rationibus judicare. Ite ergo, & à Geographicæ peritis discite quantâ commoditate montium juga ubique terrarum fluminum cursus emittunt, atque tum postea, si placet, illorum sterilitatem numinis providentiæ exprobrate. Paludes non modo piscosæ sunt, & amœnissimæ, sed plerumque fluminum subsidio dantur, cùm penè omnes non longè ab ipsorum fontibus sitæ sint, adeo ut, si fortè aliquando ipsi deficiant, hæ aquarum copiam, quæ in iis, ut adversus famem frumentum, quasi thesauris coacervatur, in aliquod tempus suppeditarent. Mare ubique terrarum diffusum esse necesse est, ut aquarum copiam imbribus, & fluminibus ministret: Si verò ipsius naturam intellexeras, &, ut Philosophum decet, concluseras, tantum abesset, ut summi artificis solertiæ aquam tantam terrarum partem operire exprobrares, ut quâ ejusdem vi, & sapientiâ factum sit, quod universam non inundet, te nunquam satis mirari putares. Venenis vix quicquam rerum incolumitati utilius reperitur, cùm pharmaca, & antidota ex iis fiant omnia, neque ferè quicquam ars medica, nisi illorum ope, hominum saluti conferre posset. Quid enim aliud venenum est, nisi virium contrariarum pugna? adeo ut res innoxiæ innoxias fortasse lædant, at nullâ naturæ necessitate, cùm omne animal, quicquid sibi infestum sit, facillimè devitare possit: si vero intemperiem quamcunque fortasse contraxerit, solâ alterius cujusdam contrariæ qualitatis pugnâ expellenda est; adeo ut

ut venena omnia, non nisi in naturæ remedium, & pharmacopœam fieri videantur. Quid quod fortè præterea omni rerum naturæ expurgandæ inservire possint, dum noxios habitus ubique delambunt? sic ipsæ fortè araneæ, quæ nimis importunè ædes nostras occupare videntur, noxios quoscunque habitus, qui alioqui incolis officerent, ad se summâ cum sui incolumitate trahunt. Cùm vero terram, nisi hominum labore cultam, & subactam, fruges non præbere, conquestus fueris, cujum pecus fueris, satis ostendisti, cùm vestrorum hortulorum contubernium desidiâ beatius nihil arbitretur, adeo ut ipsos Deos summè beatos censeatis, quod sempiterna secula degant otiosi, nihilque agentes. Atque adeo neque te ipse fælicem reputares, nisi suavissimæ cupediæ gramine decumbentis ori sponte se ingurgitarent; quod tamen si quis Deus concesserit, te porrò malè haberet, quòd sine intolerabili manducationis labore in crapulam devorare non posses. Hæc sunt ista omnia magna naturæ vitia, de quibus illius authorem criminantur, quorum tamen singula egregios suos usus, sine quibus stare non potuit rerum natura, habere vidimus. At sit vera accusatio, an non digna sint ista, quæ innumerabilibus istis, quas in omni re deprehendimus, utilitatibus opponantur? ut quidem si conferre quis voluerit, præclarius nullum esse artificis argumentum intelliget, quàm quòd opus tam immensum, tantis, támque multis commoditatibus instructum, tam paucis, támque exiguis nævis contaminatum confecerit.

SECT. XXV. Lucretium quidni sequatur Lucianus, cùm ejusdem stercoris animal esse se glorietur, quanquam lepidis, & festivis istis, quos initio redarguimus, eum potius annumerari oportuerat, cùm nihil ille philosophi gravitate agat, sed omnia, quæ tetigit, sale, facetiisque illuserit; neque vix quicquam, nisi Deos patrios, sive ficta poetarum numina, & potissimum Jovem homunculum, perstrinxit; atque eum quidem, quo loco natus, & sepultus est, atque quibus moribus non ita pridem vixit, plus satis novimus: An verò, si improbus iste Saturni filius summum numen non fuerit, nullum præterea esse putas? Id te sane ubique ridentem insinuare novi; at scurrâ digna est conclusio, non philosopho,

losopho, aut quidem homine urbano. Infælix autem, & commune vestræ gentis erratum esse videtur, ut cùm naturali quâdam jocandi facultate præditos esse vos sentiatis, eam in rebus levibus, & ludicris (in quibus solis decus, & leporem conservare posset) exercere non satis esse arbitramini, nisi ridicula vestra obscæna in sacra, & seria, in templa, & aras, & regum solia mittatis. Quo pacto, amissâ joci venustate, in turpem & odiosam scurrilitatem incidere vos non intelligitis? quæ enim si in re levi dicantur, solum risum moverent, cùm in gravi ipsâ argumenti dignitate, nil nisi stomachum, & fastidium creare possunt: non decet, non convenit: sapiens nemo est, quin rei indignitatem oderit. A sacris ergo fœdandis desinite, argumenta ingenio vestro apta, & accommodata tractate, ne leporis, & festivitatis laude, in quam summo ardore grassamini, vosmetipsos spolietis. Eam enim nullâ aliâ ratione assequi, aut tueri potestis, nisi facultate vestrâ in iis rebus utamini, quæ, cùm luseritis, nullâ suâ dignitate orbantur. Si verò eâ ambitione sitis, ut quæ summam in se dignitatem habent, rumpendum sit, nisi ridicula efficiatis, nullam aliam nominis famam, nisi scurrarum, & hominum improbissimorum, in omnia secula referetis; at certè nemo tam exhausto pudore, aut tam imperitâ ambitione esse potest, ut tam perditam existimationem assequi flagraret, aut si quis fuerit tam turpiter impudens, & stultè ambitiosus, semper curabunt boni omnes, ne gloriæ suæ ignominiâ, & turpitudine fraudetur.

Ut verò ad rem nostram redeamus, viris omnibus nasutis, & Luciani similibus, idem cum ipso commune est calliditatis acumen, ut si quæ fortè sibi in religione fraus suboluerit, continuò quicquid omnino religionis sit, solâ fraude ortum, & adultum esse suspicentur. Quo quanquam magnâ supercilii contractione se efferunt, quid insulsius dicere potuerant? Quid enim, an nos ad populi stultitiam provocamus? Neutiquam, sed ad solam ipsarum rerum rationem. Quid ergo vobis insanientis vulgi deliria exprobratis, quæ non minus, quàm facetias vestras, contemnimus? Atque profectò par argumenti ratio est, nullum esse numen, aut quod vos faceti estis, atque adeo ipsam ejusdem majestatem per jocum irridere audetis; aut quod stulti sint illi, qui, si quid castum,

castum, sanctúmque eos docueris, vecordiâ suâ semper stuprabunt. Ea enim est insita vulgo stupiditas, ut ipsam veritatem, nisi fraudibus, & mendaciis contaminatam, non accipiant; aut si integram acceperint, eam non cordatè amplectantur, donec stultitiæ cujusdam misturâ suo captui aptam, & idoneam fecerint. Quid enim humani generis incolumitati magis expedire potest, quàm regiminis, & imperii usus? Atque tamen si penes ipsum populum voti potestas fieret, omnem reipublicæ sapientiam, quâ solâ incolumes servantur, in suam cædem semper, & ubique mutarent; neque plerumque nisi in sui perniciem seditiosi, esse solent, atque tum maximè fremunt, & frendent, cùm optimè gubernantur. Ita quidem nihil aliud est ipsa religionis sanctitas, quàm summum in omnes numinis imperium, sine quo nec societas, nec vita hominum conservari potest; eam tamen nisi superstitione quâdam in suam miseriam funestaverint, non magno illius studio, & amore capiuntur. Hoc itaque hominum genus, quod ratione nihil, sed omnia, vera, an falsa, casu, & temerè arripit, nihilo magis, quàm vosmetipsos, sive in hac, sive in aliâ quæstione quacunque moramur. An verò quid in istum numinis cultum, quem docent, & profitentur sapientes, jocari potestis? Illi enim summum, & optimum omnium Dominum esse censent, qui eâ benignitate genus humanum gubernat, ut omnium fælicitatem, quantum fieri posset, procurari vellet; qui propterea quemque sibi eò chariorem habiturus est, quo magis benevolum humanæ societati se præstiterit: de hoc ergo religionis officio nobis exprobrate, an quid in eo superstitiosum, quid inane, quid contemnendum? imò quid non sapientissimè, quid non optimè constitutum videatis? Hic autem nostræ religionis & fundus, & fructus est; quem, si possitis, ridere, & tollere audeatis. Cùm verò, de solis populi superstitionibus vobis facetis semper esse placuerit, quid aliud, quàm quòd desipere ipse amat, sapientiam nullam esse concluditis: Egregia sanè conclusio, & digna de quâ tantâ ingenii elatione, atque facetiarum ubertate, vobis ipsi plaudatis.

SECT. XXVI. Epicureos, & scurras sequantur Pyrrhonii, seditiosa ista philosophorum secta, qui nihil nisi quic-

quid in philosophiâ constitutum sit, per lusum perturbare, & nova commovere conantur. Hi autem non tam malitiâ, quàm levitate peccare visi sunt, cùm eorum nulli, nisi fortè studiosè amens ipse Pyrrho, non ex animo de re quâque dubitarent, sed quantam cuique veritatis speciem ipsi solo ingenii acumine afferre poterant, experiri vellent. Cùm enim qui præcesserant philosophi, sua quique dogmata in scholis suis, quasi legum authoritate sanciverant, neque disciplinam habebat Pyrrho, quam sibi singularem suis commendare posset, ut tamen magistri nomen consequeretur, & ab aliis nominis gloriam præriperet, unico ictu omnes illorum disciplinas funditus evertit, atque, eversis istis, disciplinam novam (si quæ nihil docet, eo nomine appellari mereatur) de rerum incertitudine ipse instituit. Quæ statim, quod de omnibus disputandi ratio res acuta & faceta videbatur, solo discipulorum numero maximam vim, & authoritatem obtinuit; quisque enim, qui quavis animi levitate fuerat, eam tantummodò sequi non satis existimavit, nisi & omni diligentiâ serere liceret, ut garrulitatis suæ suavissimâ delectatione frueretur. Atque ita Græcorum Philosophia eâdem vanitatis ratione, à quâ cepit, expirare visa est. A Leontino enim Gorgia, aliisque circumforaneis sophistis, qui, quâ de re quisque audire vellet, paratos esse se declamare vicatim profitebantur, ipsi philosophi in eorum scholis enutriti de re quâque disputare didicerant: Atque hinc tanta disputandi licentia, dum quisque & pro se, & in alios omnes dicere tenebatur: atqui cùm eas solùm dicendi rationes, quas docuerant rhetores, sequebantur, omnia eâdem obscuritate, quâ involuta invenerant, reliquerunt. Cùm inanibus istis declamitandi formulis rem quamque solùm verbis ornare, non autem illius rationem invenire, aut de eo certò judicare discere potuissent. Atque hinc tandem cùm inanes omnium conatus Pyrrho viderit, neque rem eandem se melius præstiturum speraverit, ad Gorgiæ institutum reversus est, ut de re quâque in utramque partem paribus rationum momentis paratum esse se disputare profiteretur: Atque cùm statim in magnam existimationem, non modo hominum levitate, sed & veteris Academiæ authoritate venerit (cùm enim plerique Socratis discipuli è rhetorum scholis ad Philosophiam

ſophiam acceſſerant, de rebus omnibus ad rhetorices præcepta diſſerebant, atque adeo eâdem, quâ illi dubitatione diſſerere videbantur) cùm inquam, horum autoritate ipſe, atque alii quidam poſterioris Academiæ ſophiſtæ ſeptos, & munitos ſe eſſe putarent, tale vulnus philoſophiæ inflixerunt, quale nondum ad hodiernum uſque diem penitus ſanatur. Cùm maximi, qui poſtea fuere, homines, potiſſimùm ipſe Cicero, qui quoque ipſi argumenta arctiùs tractare poterant, nimium laxam, & popularem iſtam dicendi copiam & ſequi, & æſtimare videbantur. Atque cùm, qui hos ſequebantur, minori, & acumine, & judicio fuerint, eandem viam laxiori viâ imitati ſint, inde tandem nata eſt negligens iſta dicendi, & ſcribendi ratio, quæ per Europam tandiu invaluit, ut, modò copioſè argumentum tractare poſſent, an quâ oportet ſeveritate, non curarent. Atque hinc, in tantâ ſcribendi luxurie, tam macilentam ſapientiæ meſſem provenisse contigit, ut, per multa ſecula, niſi ante paucos annos, nihil de re quâvis ſcriptum acceperimus, quin dictis, quæ dicuntur, omnibus ipſa vera, aut falſa eſſe potuerit. Perpauci nuperrimè exorſi ſunt, qui, amputatis iſtis omnibus rhetoricandi ſive inanitèr dicendi ſpeciebus, ipſam rei cujuſque unicam rationem ſecuti ſunt, quâ, poſt tam diuturnas tenebras, lucem aliquam rebus tandem reſtituerunt. Et ſi hos docti omnes ſequi vellent, quàm facili labore id unum, quod in re quâque ſcitu dignum eſt, certò, & clarè intelligere liceret? Vereor autem, ne hanc querelam nimium hic deploraſſe videar; at cùm in eam forte incidi, mox exarſit animus, quòd ſit docta iſta futilitas unicum omnis impietatis patrocinium, & ſine quo, nullam inter homines audaciam, aut autoritatem, conſequi potuerat, cùm quòd perſpicuas boni, malíque rationes obſcuraverit, tum quòd iſtâ ſcelerati quique flagitia ſua populo ſemper commendare poſſint. Neque profectò quenquam robuſtè, & inſigniter improbum ipſe novi, qui, à ſole oriente ad occidentem, nihil ad rem dicendo declamitare non potuiſſet. Atque hujuſmodi homines quanquam neque probitatis autoritate, neque ingenii acumine, neque eloquentiæ laude præſtarent, ferè ſemper apud populum magis gratioſi fuere, quàm qui iis omnibus ornati, ſi ventoſâ iſtâ facundiâ deſtituantur. Atque hinc ſecun-

secundum sceleratorum impietatem, & nimis cautorum (sic enim astutos, qui apertè scelerati non sunt, appello) ignaviam, maximè rerum publicarum pestes profectæ fuere, quòd res humanæ magis dicacitate, quàm sapientia gubernentur. Ut autem ad Pyrrhonios redeamus, quorum omnem disciplinam Sextus Empiricus libris adversus Mathematicos complexus est, de quibus nescio an sim postea dicturus; in loco verò de Diis, cùm Critiæ, Euhemeri, similésque aliorum suspiciones non malè diluisset (atque ea singularis est istorum hominum facultas, ut, missis gravioribus, leviores quasque aliorum opiniones curiosè insectantur) & porro cùm numinis existentiam ab optimâ mundi fabricatione demonstratam reliquisset, mirarere quàm futilibus sophismatis homo summi acuminis rursus omnia in dubium revocavit. Divini Juris defensionem suscipiens sic promptè, & perspicuè causam agit. "Qui ad certum, constantem, & ordinatum cœlesti-"um motum respiciunt, ii dicunt Deorum inter homines no-"tiones primùm ortas esse; quomodo enim, si quispiam se-"dens super Trojanam Idam, Græcorum exercitum decenter, "& ordinatè in campis procedere vidisset; equites quidem "primùm cùm equis, & curribus, deinde retrò pedites; ei "omnino venisset in mentem, quòd sit aliquis, qui regit, & "moderatur, & militibus, qui ab ipso reguntur, eum ordi-"nem servare imperat, nempe Nestor, aut aliquis alius ex He-"roibus, qui scit & equos regere, & homines scutiferos? "Et quomodo, qui est navis peritus, cùm primum conspe-"xerit navem, qui secundo vento fertur, & est velis bene "instructa, intelligit esse aliquem qui eam regit, & ad por-"tus ducit designatos: ita qui primùm cœlum suspexêrunt, "& contemplati sunt solem, ab oriente ad usque occidentem, "cursum suum, veluti in stadio, conficientem, stellarum au-"tem quasdam ordine procedentes choreas, inquirebant "opificem pulcherrimæ hujus ordinationis, eam conjectan-"tes casu non accidere, sed à quâdam potente naturâ, & in "quam non cadit interitus, quæ quidem est Deus. Atque mox alibi; "Quomodo cùm conspexerimus pulchrum ali-"quod, & affabrè factum opus, desideramus ejus scire ar-"tificem, utpote quod materia sit per se immobilis; ita uni-"versorum materiam moveri contemplantes esséque & for-

matam

" formatam & ornatam jure causam, quæ eam movet, vari-
" isque eam formis exornat, esse concludimus. Denique
" num si videris effigiem pulchrè, & affabrè factam, dubitave-
" ris an mens hoc effecerit artifex, an nec te tenueris quo
" minus tale quid suspiceris, adeo ut admireris operis, & ar-
" tis excellentiam? Num ergo externam hujus videns figu-
" ram, fers testimonium ei, qui condidit, & dicis esse ali-
" quem opificem? In te autem videns imaginem, quæ tam
" variis modis cuivis antecellit imagini, & picturæ, an casu
" eam existimas esse factam, & non ab opifice, qui præstan-
" tem vim habet, & sapientiam? Quæ quidem acutè satis,
& majori, quàm solent Sceptici, gravitate disputantur, ad ea
ergo quid ipse respondet? Omnino nihil. Deum igitur
mundi opificem, missâ affectatâ istâ assensionis retentione,
fateatur. Nequaquam, inquit; habeo enim paria rationum
momenta, quæ si in contrariam partem afferantur, rei con-
troversiam ad verisimilitudinis æquilibritatem reducant. En
ergo quàm gravia sint rationum pondera, quæ ejusdem cum
ipsâ omni rerum naturâ momenti videantur? Primùm in-
quit, si Deus est, animal est; si animal, sensu præditum;
si sensu præditum, dolori obnoxium; si dolori, etiam & in-
teritui. Ex eo quidem quod sapiat, & intelligat Deus, eum
quoque vivere novimus; at vivere non posse, nisi vitam
istam, quæ bruto, & homini communis est, nisi argumentis
confirmaverat, fatuè conclusum dicimus. Quis enim, qui
Deum esse diceret, nisi brutorum more vivi non posse da-
ret? Cùm qui summam numinis majestatem esse credit, illi-
us vitam animalium vitâ longe superiorem eo, solùm, quod
credat, fateri teneatur. Ista enim eâ vitæ vi, & facultate
prædita sunt, quam, qui ea fecit, dare voluit; Deus autem,
si omnino extiterit, solâ naturæ suæ perfectione extitisse po-
terat, & propterea vitâ quoque non mortali frueretur, qua-
lis est sensuum ista; sed immortali, qualem quicquid solâ sui
virtute vivit, habere necesse est. Denique si sic conclufe-
rat brutum animal, non equidem mirarer, cùm nullam fa-
cultatem sensibus suis superiorem capiat, aut cogitet. Cùm
autem homo, qui vim quandam intelligendi omni sensu su-
periorem in se sentiat, nullam esse vitæ facultatem à sensu
disjunctam, & separabilem concluserit, non hominem, sed

specie humanâ belluam esse dicerem. Saltem opificem, qui mundum condidit, mente vigere novimus, túne ergo, cùm tantùm ut id neges, visis obsistere nequeas, tam perspicuam demonstrationem, solùm quod sensibus quoque præditus non sit, eversam esse putas? Aut si putaveris, cur non comprobare pergas? cùm neminem, qui contra disputaret, id tibi concessurum putare posset. At talia sunt semper egregia vestra rationum momenta, ut ad lancem vertendam suo ipsa pondere nihil valeant; aut ergo novis ponderibus impositis deprimere oportuerat, aut alterius contrariæ pondere semper elata manebit. Alteri enim lanci imposuerat, *Deum, quod summâ sapientiâ præditus sit, mente quoque præditum esse,* contra quod terra, & mare pondus amitterent, id tamen totum inani effato superat, *Non mente, quod sensu non sit præditus, præditum esse.* Quanquam sapientiam à mente non esse separabilem nemo dubitat, at mentem à sensu separari non posse ultrò, & sine causâ dicitur: imo hic re separatam esse planè demonstratur, cùm eo, quod sapientissimè operetur, mentem esse, atque eo, quòd immortalis sit, sensuum imbecillitati obnoxium non esse intelligamus.

Pergit autem vir acutus; Si Deus est, cùm sit summè beatus, omni quoque virtute præditus est; si omni, ergo continentiâ, fortitudine & prudentiâ; si ita, ergo quædam erunt, quæ difficulter ferre, & à quibus difficulter se abstinere potest; atqui si molestiam pati possit, etiam & interitum. Sic quoque Cotta, *Qualem autem Deum intelligere nos possumus, nullâ virtute præditum? Quid enim? prudentiámne Deo tribuemus, quæ constat ex scientiâ rerum, & bonarum, & malarum, & nec bonarum, nec malarum? Cui mali nihil est, nec esse potest, quid huic opus est delectu bonorum, & malorum? Quid autem ratione? Quid intelligentiâ? quibus utimur ad eam rem, ut apertis obscura assequamur; at obscurum Deo nihil potest esse. Nam Justitia, quæ suum cuique distribuit, quid pertinet ad Deos? Hominum enim societas, & communitas, ut vos dicitis, Justitiam procreavit. Temperantia autem constat ex prætermittendis voluptatibus corporis: cui si locus in cœlo est, est etiam voluptatibus. Nam fortis Deus intelligi quî potest? In dolore, an in labore, an in periculo? Quorum Deum nihil attingit. Nec ratione igitur utentem, nec virtute ullâ præditum, Deum intelligere quî possumus?* Quibus nihil aliud dicitur, quàm quod prior

De Nat. Deor. l. 3.

ratiun-

ratiuncula toties repetatur; ut enim eâ nullam vitam nisi humanam; Ita his nullas virtutes, nisi humanas, majori fiduciâ, an stultitiâ, sumpserunt; at virtutes nostræ curtæ sunt, nullâque ex parte perfectæ, cùm è conditionis humanæ imbecillitate nascantur, cúmque iis utamur solummodò, quod majoribus careamus. Quanquam igitur summum numen temperantiæ, fortitudinis, & prudentiæ virtutes non habeat, habet tamen, quæ cùm suâ majestate digniores sunt, tum istas inutiles, & supervacaneas efficiunt. Cùm enim summam sapientiam, sanctitatem, & benignitatem habeat, nullas alias habere opus est. Sapientissimus cùm sit, consilia sua omnia rectissimè instituere, & aptissimè exequi novit. Sanctissimus cùm sit; nihil turpe, nihil iniquum, nihil crudele, nihil quod præstantissimæ naturæ suæ dignitati indecorum sit, meditari potest. Benignissimus cùm sit, nemini injuriam inferre curat, sed omnibus, constanti voluntatis propensione, beneficus esse ultro tenetur. His, inquam virtutibus ornatus, quid continentiâ, quid fortitudine, quid prudentiâ opus habuerit? Quid enim continentiæ labore ei opus est, qui quicquid pravum & naturæ intellectricis dignitati contrarium sit, sibi alienum semper habeat, & summo odio aversetur; Quid fortitudinis robore, cui, cùm omnia possit, quicquid fieri potest, factu facillimum est? Quid denique longæ deliberationis usu, qui omnia penitus explorata habet, qui, quid bonum, quid malum, quid melius, quid deterius, quid ad rem quamque aptissimum sit, infallibili certitudine cernit, & judicat? Sublatis autem inquit, nonnullis virtutibus, tolluntur & omnes; si enim omnes non habeat, nullam habet? & si nullam, nequaquam est; an vero alias virtutes inchoatas esse non intellexit, quæ hominum propriæ sunt; alias omni ex parte absolutas, quæ non nisi optimæ naturæ inesse possunt? Cùm itaque concluserit Deum, nisi omnes habeat, nullas habere, an quemquam, qui Deum esse diceret, & sentiret, adeo fatuum & facilem cogitare potuit, ut conclusionem concedat? Aut itaque nihil conclusisse, aut ulterius perrexisse debuerat. Aliæ multæ argutiæ his similes sequuntur, adeo autem futiles, & leviculæ, præsertim Carneadis rogatiunculæ soriticæ, ut vix quidem, sine jacturâ temporis, eas legere, nedum redarguere possimus. Nos itaque cùm hominem tanti inge-

nii, & acuminis viderimus, qui tam exilibus sophismatis summi numinis imperium, quod tam præclarè jam ante fundaverat, abrogandum esse censeat; quid concludemus, nisi omnes, qui Atheismi causam tueri conantur, Midæ votum nuncupâsse, ut quicquid attrectent, auriculas asini semper ostendant?

Sect. XXVII. Veterum postremi Peripatetici quidam per risum quoque interrogant, si Deus mundum procreaverit, cur non prius? quid tandiu ab opere tam præclaro cohibuit? aut quid tandem movit, quod antea per innumerabilia secula movere non potuit? His autem idem, quod jam ante Epicureis optimè responsum est, etiamsi mundum à Deo factum ipsi concesserint, idem tamen fore interrogandum: Cùm quicquid factum sit, intelligi non potest, quin certo temporis momenti fiat, atque adeo quandocunque fiat, idem semper conquiri poterat, cur qui fecit, isto potiusquàm quovis alio æternitatis momento, fecerit? Atque si decies mille ab hinc annis, cur non decies mille, qui præcessissent? ea enim est æternitatis propter infinitatem ratio, ut etiamsi ipsum mundum à sempiternis seculis factum fuisse cogitare possimus; tamen quin sempiterna alia ante illius ortum præterierint, cogitare non possumus. Captiosa itaque interrogatio, & nullius momenti habenda est, cùm opinioni nostræ, tam si vera, quàm si falsa sit, pariter objici potuerit. Cùm autem quid tandem, quod prius non movit, Deum moverint, quærunt, à causâ sapientissimâ, & liberrimâ quærendum non esse dicimus; neque ab aliis, qui libertatis, & consilii compotes sunt; atque igitur aut agere, aut ab actione se cohibere possunt, quærimus. Cùm autem ab homine, qui cùm agit, potest non agere, & contra si placuerit, non aliam præter ipsius Arbitrii rationem quæramus, cur non idem de causâ primâ, quæ omnium & sapientissima, & liberrima est, statuamus? Sat itaque vobis videatur, si mundum præstantissimo consilio conditum fuisse demonstraverimus: unde vero consilium de eo condendo ceperit, qui eum condidit, soli ipsius immensæ sapientiæ compertum esse fateamur. At verò cùm omnia consilio condita viderimus, quis de consilio dubitaverit, quòd, quâ ratione sumptum sit, nesciamus? Istuc equidem perversâ admodum ratione conclusum

ſum eſſe exiſtimarem. Vos verò longè protervius; etiamſi enim quâ conſilii ratione res ſuo quæque modo fieri videritis; tamen quòd quamobrem certo quodam tempore, conſulta ſua ea qui fecit, exequi voluit, vos celaverit; propterea, de ipsâ conſilii ratione, oculorum fide perceptâ, dubitandum eſſe putatis? duræ nimis, & impudentes ſunt iſtiuſmodi diſputationes quæ ipſis ſenſibus obnituntur. Atqui, inquiunt, ſi cauſa aliqua Deum impulerit, non aliter, quam egit, agere potuit; at ſi tam leviter moverit, ut poſſit non agere ſine causâ ſufficienti egit. Noſtri autem non eſt de ſcholaſticis circa arbitrii libertatem argutiis diſputare; ſolummodo tantam ſummo numini arbitrii libertatem conceſſerint, requirimus, quantam aliis, qui quicquam conſultò agunt, ineſſe videmus. Atque ſi eo modo mundum condiderit Deus, quo alii artifices ſua opera, vadant cum ſuis ſophiſmatis: res enim noſtra confecta eſt, neque quicquam ulterius deſideramus. An verò rem ſuam non bene geſſerint, cùm rerum univerſitatem optimo artificis conſilio extructam fuiſſe planè demonſtraverimus, ipſi contrà nullo artificis conſilio extrui potuiſſe, quod nullum artificem eſſe, qui quicquam ex conſilio agat, ſe demonſtraſſe putaverint. Quì enim breviùs ad concluſionem noſtram pervenire nos poſſemus, quàm ſi qui omnino ſint artificis, Deum eſſe mundi artificem; aut quî ſententiæ ſuæ petulantiam ipſi magis indicare poterant, cùm nullâ aliâ ratione eſſe Deum mundi artificem negare poſſint, quàm quâ ullos omnino artifices eſſe negaverint? Denique ſtulta res eſt numinis libertatem in mundo condendo inficiari, cùm in eo ſummam libertatem demonſtraverit: an non enim Solem, Lunam, & ſydera omnia paulo majora, aut minora efficere potuerat? An non ſtellas pares? An non ipſum terræ globum uno digito majorem, aut minorem? Oceanum uno pede magis, aut minus profundum? Montes uno palmo magis, aut minùs altos? Quid enim iſta omnia, præter conditoris arbitrium, definivit? Imò denique multa ſunt, quæ nullâ ratione, niſi ſolo conditoris arbitrio, cur ita ſint, intelligi poſſunt. Cur enim in tantâ immenſitatis latitudine mundus hunc locum potiùs quàm quemvis alium occuparet? Cur Solis motus ab ortu in occaſum, & non contrariâ viæ ratione inſtituatur? Cur denique eum ſitum non habuerit,

erit, ut regio, quæ nunc ſeptentrionalis, aut meridionalis dicitur, fieret eadem Oriens, & Occidens? Aliáque quàm plurima, quorum nulla cauſa eſſe, aut fingi poteſt, niſi ſoli cauſæ primæ arbitrio aſcribantur. Atque igitur cùm ad ipſum Ariſtotelem venerimus, (cùm ipſe eam primus excogitaverit) ipſam objectionem, ipſum vertemus; multa in mundo indicaturi, quæ nullâ causâ, niſi quæ eadem ſummâ libertate prædita ſit, fieri potuiſſent. Ut tandem ſumma iſta libertas, quâ in iis efficiendis uſus eſt, qui ea effecit, non minus artificis argumentum videatur, quàm optima iſta rerum ratio, quâ omnia tam commodè, & pulchrè facta eſſe videmus.

SECT. XXVIII. Denique cùm ad recentiores venerimus, quid illi, quod ab antiquis non ſit occupatum? Quid enim magnus iſte Vaninus, niſi quod veterum ſuſpiciones de principum, & ſacerdotum fraudibus, inſinuaverit, aut Cardani Aſtrologiam fanaticam ſecutus fuerit? Qui non modò hominis, ſed & cujuſque Religionis ortum Soli, & aſtris tribuit. De homine poſtea. Cùm verò Religionum fata à certis ſyderum conjunctionibus ſuſpenſa eſſe velit, & ſpeciatim fidei Chriſtianæ ortum *Jovis* cum *Sole* coalitioni aſcripſerit, atque ejuſdem interitum, à *Jovis* cum *Saturno* conjunctione auguretur, adeo ut beatiſſimum noſtrum ſervatorem, quòd *cùm venerit, ne inventurus ſit fidem in terrâ* arte aſtrologicâ prædixiſſe putet. Cum viro vaferrimo (quid enim vilius eſſe poſſit, quàm in eâdem perſonâ Atheus, & Aſtrologus?) de artis vanitate pugnare nolo. Quanquam ejus amore *Cardanum* uſque adeo faſcinatum fuiſſe fertur, ut, cùm quo tempore ſe obiturum dixiſſet, ne vates mendax deprehenderetur, ſeipſum inediâ enecavit: Vix minori ſane ſtultitiæ imputatione, quàm hic noſter *Vaninus*, qui ſe, ſuæ impietatis causâ flammis publico judicio damnari paſſus eſt. Nolo ergo cum fortiſſimo, & nobiliſſimo Heroe de incredibili artis ſuæ ſtultitiâ luctari; ſed, miſſis futilibus, & longè petitis iſtiuſmodi conjecturis, quæ ſive veræ, ſive falſæ fuerint, nihil aut probant, aut tollunt, de ſolâ ipſius rei ratione quærimus: & ſi nullâ opinionem de Deo ſuſceptam dixerit, aut, quas attulimus, rationes diluat, aut contrarias ipſe afferat.

rat. Sin verò omnes rationis vires ridiculis Astrologice commentis eluctari se putaverit, qui sit, satis indicat, scilicet Astrologum esse, & hominem fatuissimum. De naturâ nihil dicendum arbitrari me ante dixi, non modo quod *Aristotelicam* naturæ viam, & rationem secutus sit: atque igitur unà cum omnibus ejusdem scholæ discipulis in magistro vapulabit: Verum etiam quòd tam indoctè rem tractavit ut integram libri (quanquam non magnæ sit molis) lectionem id millies conatus, nunquam conficere potuissem. Atque quas de communibus naturæ rebus hypotheses afferre potuit egregiis istis, quas de miraculis, aliisque omnibus portentis, seriò, & graviter, & nihil dubitans attulit, intelligamus. Quid enim in omni naturâ tam subtile, aut arcanum esse posset, ut illius acumen effugiat? qui facile, & perspicuo mechanismo explicare potuit, quemadmodum *Cippus* continuò à taurorum pugnâ obdormiens, manè corniger reperiatur: Quemadmodum solâ phantasiæ vi *Pharaonis magi* sputo ranunculos produxerunt: Quemadmodum *Eutelidas*, se in flumine conspiciens, seipsum reflexâ sui imagine fascinare potuit. Denique quemadmodum vetula quævis uno halitu omnes latissimi agri segetes mortiferâ tabe conficiat. Qui, inquam, hæc omnia, prodigii tam plena, tam expeditè explicare potuit, quâ facilitate ipse idem, etiam oscitans, usitata, & quotidiana naturæ phænomena explicabit? Quanquam verò pellegere sæpius frustrà conatus sim, tamen, nescio quo casu, nudiustertius lectionis tædium, & fastidium superavi: atque eò majori alacritate onus sustinui, (neque equidem nisi istâ ratione ferre potueram) quòd meo labore alios ab eâdem temporis jacturâ deterrere speraveram. Quod ut efficiam, quæso, dum, quàm brevissimè potero, summa recitototius futilitatis capita, attendite, atque an quâvis ætate, aut gente vixit homo stultior, quàm summus iste atque unicus ad mortem usque impietatis patronus, cùm ad finem recitaverim, judicate.

Primo ergo Dialogo nihil agitur, nisi ut se suis laudibus, ad cœlum evehat; quo cùm elatus fuerit *vir ingeniosissimus* (iste enim istius dialogi titulus est) secundo, cœlum suâ materiâ constare, indubitatis proculdubio istiusmodi rationibus, demonstrat, quas Julii Cæsaris acumen afferre, atque Alexandri magni dignitatem laudare deceret. Et speciatim Averroi,

roi, summâ subtilitate disputanti, nullam esse cœli materiam, quòd omnis corruptionis expers sit cœlum, materia autem sit omnis corruptionis subjectum, sic *ingeniosissimè* respondet. *Materia non est subjectum omnium contrariorum necessariò, sed contrarietatis tantùm quæ est secundùm ubi. A naturâ enim data fuit materia; non ob transmutationem ad generationem primò, & per se, ut ubicunque sit, ibi etiam sit generatio, & corruptio, quæ ex contrariis infertur; sed ad subsistendum formæ corporeitatis* (formæ scilicet corporeitatis à materiâ diversæ) *in substantiâ, & recipiendum quantitatem, & figuram: quantitatem, propter loci mutationem; figuram, propterea quod omne corpus finitum est: at quantitati, & figuræ nihil est contrarium.* Atque eodem acumine Alexandro, eandem non esse cœli cum nostrate materiam, quod igne contiguo non destruatur, disputanti sic respondet. *Verum non est, quod ais, quæcunque communem materiam habent, ea inter se agere, aut pati mutuò: sed id evenit ibi tantùm, ubi contrariæ sunt qualitates, quare in cœlo cùm non sit affectio iis, quæ in igne sunt, affectionibus contraria,* (*sunt enim secundum peripateticos diversi generis, nam differunt per corruptibile, & incorruptibile, contraria autem sub eodem genere sunt*) *cœli qualitates ab ignis qualitatibus non destruentur. Bone Deus, quantum jacturæ fit ab iis, qui te non audiunt!* Imò qui te audiunt. Tertio, *Doctor subtilissimus* (sic enim nunc audit) primum argumentis, suâ subtilitate, & scholâ Peripateticâ dignis, cœli, quòd æternum sit, rotundam esse figuram demonstrat, *Quia dissolvi non potest: est enim continua, & unilinea, neque punctum habet cognitum, aut ita designatum ut sit principium dissolutionis, quemadmodum habent aliæ figuræ; quà enim committuntur lineæ angulares, ibi desinit quodammodo trianguli constitutio: Et profectò desinit, quia ad aliam sese transfert lineam, ut quod in eâ linearum commissurâ non potest esse, sit in aliâ lineâ. Compositæ igitur figuræ in suas sunt resolubiles portiones, quæ habent commissuras manifestas, id quod in circulo non est, ubique enim est principium, & finis, utroque tamen ille carens.* Perbellè quidem, & pulcherrima ratio, præsertim si nullus sit cœlorum artifex, qui mathematicam, atque imprimis de circulis, & triangulis doctrinam intellexit. Deinde pergit *vir omni laude sublimior* Alexandri adulationibus delinitus, contra maximum suum in

Ibid.

Philo-

Philoſophiâ Pontificem, docere in cœlo nec dextram, nec ſiniſtram eſſe. *Nulla cùm ſit cœli pars, in cujus locum altera non ſuccedat, iſque motus ſit perpetuus, atque partes ipſæ uniformes, non poteſt alia cœli pars dextera, alia ſiniſtra verè cenſeri; per motum enim, quæ dextra modo erat, ſtatim fiet ſiniſtra ſecundum ſitum, & locum. O me fœlicem, qui Philoſophorum principem ſubtiliſſimè diſputantem excipio.* Longè verò fæliciorem, ſi ſubtilitatum acumina capere potuiſſem! Poſtremò demonſtratur, atque id quoque mathematicè, coloratum non eſſe cœlum, ſed videri. *Ut enim aer, qui prope nos eſt, nullum habet colorem, procul tamen à nobis habere videtur, quia denſatur, non per compoſitionem partium, ſed per diſpoſitionem: diſtantia namque multas viſui repræſentat partes per longitudinem in lineâ viſuali diſpoſitas, ut ſit eadem ratio viſionis in corpore raro productæ in longitudinem, & ejuſdem in corpore condenſato, atque in brevitatem coarctato.* O te longè adhuc fæliciorem, qui cùm tam egregiè ſtultus ſis, tibi tantâ ſapientiæ tuæ opinione placere poſſis! Cùm verò primis his dialogis ſpecimen dederimus, cujuſmodi rationibus de rerum naturis diſputare ſolet, ne nimiæ futilitatis tædeat, de cæteris compendioſè, & acervatim dicemus. Quarto ergo, *mellitiſſimus Julius* (ut *Alexandro* pro Aſiaticâ ſua urbanitate *Cæſarem* ſuum compellare placuit) unicam eſſe cœli formam comprobat; atque ab eâ, non à Deo, aut Intelligentiis moveri: ſed niſi in Chriſtianorum ſcholis enutritus fuiſſet, quemadmodum animal ſe movere, Chriſtianus autem cùm fuerit, quemadmodum viliſſimæ horologiorum machinulæ ab ebrio Germano elaboratæ, certâ ſtatâque motûs lege vigent; ſic & cœlum, & elementa ſuis quæque formis moveri, *i. e.* nullo artificis artificio, quemadmodum quæ arte facta ſunt (quippe & artifices ſunt ebrii Germani) moveri. At ſalſum & facetum eſſe putabat, ſi ſummi numinis opus ebrii è vulgo opificis artificio comparaverit. Quinto, non eſſe cœlorum motus contrarios demonſtratur, cujus cùm Ariſtoteles maximus ille pontifex rationem iis tantum, qui ex ephebis exiêrunt, dignam attulerit, ipſe in illius locum ſubtiliorem ſubſtituit. *Quod duo corpora, quæ motu contrario moventur, in eodem termino ſuorum ubi eſſent naturaliter, quod eſt perridiculum, id quod manifeſtum erit ſi quis intelligat Saturni corpus eſſe ſub*

*Arietis capite primi mobilis, ibi est enim communis terminus, qui designari potest intellectu duobus ubi, tam Saturni, quàm capipitis Arietis.* Præclara, & perspicua ratio, & digna quæ Alexandrum, ipso aridente, exclamare cogat, *O utinam magistrum Aristotelem non excepisses, quia non dubito, quin fortiorem sapientiæ arcem exædificasses.* Sexto, nisi coerceret Religio, cœlum æternum esse statueret, atqui tamen mox æternum sit, necesse esse demonstravit; *Quia*, scilicet, *causam habet infinitam, quæ quidem causa cùm facere non posset infinitum potestate æquale sibi, fecit infinitum sibi simile.* Profectò, ut assentatur Alexander, *plus homine sapis*; certè enim nemini hominum aut ante, aut post te, ita sapuisse contigit. Septimo, post aliquas laudum suarum ambages, solem calefacere per se, non per accidens, sive motûs velocitatem, contra summi sui *Pontificis* decretum, sancivit, quanquam in solum *Averroem*, in cujus personâ semper vapulat ipse *Pontifex*, se disputare simulat. Deinde Lunam non Sole calefieri comprobatur, *quòd quilibet affectus receptus in quodlibet corpus, ipsum non afficit, sed illud duntaxat, quod aptum natum est affici*, i. e. non calefieri, quod calefieri nequit; quæ sanè ratio quenquam, nisi ipsum *Alexandrum* silere efficeret; ipse verò pro suâ audaciâ objicit, cùm *Lunam* calefacere experiamur, quomodo nisi ipsa prius incalescit? Quid tamen mirum inquit, *Nonne legisti obstupefieri piscatoris manum per arundinem à Torpedine, ipsum autem Torpedo arundinem non stupefacit, quia non est apta pati, recipit tamen stuporis vim: sic Luna solares excipit radios, quibus tamen non afficitur.* Egregium sane exemplum, & dignum, quod tam præclaræ rationi lucem afferat; ut enim præclarior inter philosophos non reperitur causa, cur res quælibet facta non sit, quàm quod fieri (quâ autem causâ nesciunt) non possit; ita certius nullum est, quam de Torpedine experimentum, neque apertior cujusvis experimenti ratio: sic autem de cœlestibus dictum est, an verò non suo acumine digna sunt phænomena, quæ sibi explicanda sumpsit, atque phænomenων dignitati par rationem subtilitas? & quid magis, à Philosophorum Deo expectandum est, quàm cùm tot, tamque præclara in cœlestium ratione ubique cernuntur phænomena, ut ipse loco tam nobili versatus, nil, nisi nugas, & quæstiones ridiculas

las in disceptationem vocaret, eáque de omnibus responsa afferret, quæ solâ fatuitate ipsis quæstionibus responderent? Verum enimvero, peractis cælestium rationibus, ad elementa, atque inferiora descenditur; & primum Dialogo Octavo de Igne agitur, atque apertè, & audacter contra ipsum *Aristotelem*, ex elementorum numero abdicandum esse demonstratur, quod an sit, nécne, controversia digna est quæ à nugatoribus istis solùm ventiletur? Nono de *Comete* & *Iride* cum peripateticâ hebetudine disputatur. Atque similiter Decimo de fulgure, nive, & pluviâ. Item Undecimo, de motu, & quiete projectorum in aere, ubi solito acumine duo disputantur; primùm uter alterius causa sit, an motus quietis, an è contra, motus quies? Deinde an lapis, manu projectus, aere, an vi impressâ moveatur. Atque in utrâque quæstione eas utrinque difficultates comperiunt, ut demum de utrâque nihil definiendum concluserint. Duodecimo, de impulsione bombardæ, & balistæ disputant summi imperatores, quo tamen nihil, quod non sit prorsus ridiculum, reperitur, nisi quod contra Cardanum demonstraverit Cæsar, bombardarum impulsionem pulveris igniti densitate non fieri; *Quòd sit densitas privatio proprii naturalis ignis, quod est raritas, privatio autem proprietatis nihil efficit; fit ergo à formâ appetente locum suum.* Decimo tertio, argumentum de aere exufflato, & ventilato tractatur; in quo neque quicquam memoratu dignum, nisi quòd fabulam de Satyri hospite, frigidum, & calidum spirante, mechanicè explicuerit. Decimo quarto, qui & hujus libri postremus est, fortè ut, quam artem professus sit, indicaret, de quorundam morborum ortu, & naturâ disseritur. Atque hîc, sumpto jentaculo, hilares facti disceptationem prosequuntur. Neque miretur quisquam, tam benè manè, tot, tantáque argumenta confecisse, cùm singularis, & penè incredibilis fuerit (ut notum est) in Cæsare celeritas. Atque igitur, cibariis vix confectis, ad cætera omni festinatione properat oratio, atque Dialogo Decimo-quinto, de aquâ disputatur, cujus nullum attigit phænomenon, quod philosophi disquisitione dignum sit, nisi quòd fortè de terræ, & aquæ magnitudine dixerit, *Quòd si inter se conferantur, vix, exempli gratiâ, semuncia est aqua ad totius assem terræ; sub omni namque aquâ*

*terram esse necesse est, non autem sub omni terrâ aquam. Aquæ profunditas non multa, nempè passus rarò excedit octoginta, plurimis locis non accedit ad vicenos, paucissimis ad centenos.* Quæ vero sit rei utilitas, unde eveniat, aliáque omnia, quæ de aquâ scitu digna sunt, perquirere nihil cogitavit; sed festinat(id quod in quoque Dialogo potissimum facit) ad victorias, & triumphos, atque duos maximos philosophiæ duces ante currum captivos ducit, Aristotelem, & Cardanum; illum enim, cùm inter veteres, hunc, inter recentiores philosophorum facilè principem, censuerit, summæ sibi gloriæ putavit, si hominum sapientissimos sapientior ipse profligaret. Hîc ergò cùm contra Cardanum, *Aquam esse Elementum per se non per accidens, necessarium*, & contra *Aristotelem*, nequaquam inter elementa numerandam esse demonstraverit; continuò ad recentes triumphos vehiculum agit,atque Decimi sexti initio, quo de fluviorum generatione disceptatur, ipsum *Salomonem*, quòd ab *Hebræis* habitus sit sapientiæ Deus, duobus istis, quos jam ante diximus, adjunxit. Neque enim progredi potuit, antequam illum de sapientiæ culmine, quod tam diu obtinuit, deturbaverat, ne quis in *Lucretiano Templo*, se ipso superior imposterum videatur; atque igitur cùm per jocum, & fastidioso animi contemptu *Salomonis* sapientiam perstrinxerat, contra disputare pergit. Nunc autem silete vos, *Cæsar*, & *Alexander*; *Salomon*, & *Vaninus* colloquuntur. Colloquio ergo interfit omnis sapientum chorus, disputationem nunquam sapientiorem certè aut audivistis, aut audituri estis, quàm cujus contrarias partes summa ista philosophiæ prodigia sibi defendendas sumpserunt. En igitur prodeunt utrique, & primùm *Salomon* non sapientiæ, sed antiquitatis jure superior exorsus est. *Sal.* Flumina è mari exoriri inquam. *Van.* Stultum te esse inquam; Dialecticam nequaquam intellexisti, *Omnes tui commentarii nec ratiunculæ umbram præ se ferunt, sed populares duntaxat sententiolas, & cupidineos versiculos, omni dicendi lepore destitutos.* Sal. Istuc non agitur, &, si ageretur, quis sit linguæ nostræ lepos, te, *Cæsar Vanine*, nequaquam intellexisse novi, ut quanquam aliis omnibus longè superiorem te esse fatear, tamen pace tuâ, (summe vir dicam, an Deus) dixerim te nimis temerè mihi in linguâ,cujus prima elementa non didicisti, orationis

tionis ruditatem exprobrare. Saltem iſtiuſmodi contumeliæ, & maledicta indigna philoſophorum ſcholis videntur; contra ergo diſputes, ut velis; at quæſo, ſine iracundiâ! Van. *Ut ergo veritas diſputando eluceſcat, ſic objicio; in altiſſimis montium verticibus aquæ ſunt, at non à mari ad tantam altitudinem poſſe attrahi ſuadet ratio, à libellâ aquilegorum petita; ea eſt, non poſſe aquam ſubvehi altiùs, quàm ſit ejus ſuperficies, unde derivatur.* Sal. Bellè admodum! Si enim, ut vos recentiores arbitramini, ſolis viribus mechanicis mundus adminiſtretur, fateor me non intelligere, quî tanta aquarum copia, è maris profunditate, in montium cacumina ſubvehatur. Atqui cùm Deus ipſe majori, & reconditiori quodam artificio (ut nos philoſophaſtri ſimplices olim credidimus; nondum enim noſtrâ ætate inventa eſt philoſophia mechanica) omnem rerum naturam fabricavit; interiora terræ eâ arte diſpoſuiſſe experti ſumus, ut fiat perpetua à mari ad montes, à montibus ad mare aquarum circulatio; idque fieri perſuaſi ſumus, quòd alioqui mare, tot fluminum affluxu auctum, in omnem terrarum orbem exundaturum putemus; ſcias ergo me, non mechanicis veſtris legibus flumina à mari in montium juga duxiſſe, ſed imperſcrutabili numinis arte eò perducta (cùm fuerim ſententiolarum magiſter) dixiſſe. Atque idcirco ipſi, cùm mundum condidit, *ſapientiam* adfuiſſe conſtanter docui, atque ita ad normam, quam ipſe præſcripſit, non ad legum mechanicarum rationes, omnia facta fuiſſe. Et ne locos accumulando faſtidium tanto viro crearem, rem ſtulto illo ſententiolarum libro (ut pro ſapientiâ tua, appellare placuit) ſic deſcripſiſſe me memini: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret à principio, ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis, antequam terra fieret; nondum erunt abyſſi, & ego jam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: necdum montes gravi mole conſtiterant: ante colles ego parturiebar: terram, flumina, & cardines orbis terræ nondum fecerat. Quando præparabat cœlos, aderam: Quando certâ lege, & gyro vallabat abyſſos: Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum: Quando circumdabat mari terminum ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos; quando appendebat fundamenta terræ. Cùm eo eram, cuncta componens: & delectabar per ſingulos dies, ludens coram*

Prov. 8. 22.

*eo omni tempore; ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, esse cùm filiis hominum.* De hypotheseos veritate tuum est, tuíque similium, *Vanine*, judicare; quanquam, vera, an falsa sit descriptio, bonâ veniâ dixerim, non omni sermonis lepôre destitutam esse. Hic autem iracundus consurgens *Vaninus*, atque grandiori passu, quàm solet, hinc inde inambulans, Medius fidius, inquit, mille istiusmodi hypotheses teruntii pretio non haberem, quæ sine numine, & nescio quâ, illius *anu adjutrice*, nihil moliuntur. Apage ergo cùm illepidis tuis, de sapientiâ, cantilenis; en quàm clarè, & perspicuè, sine istâ tuâ anu immortali, ipse descripsi! Imprimis ergo scias, *In mundi machinâ, plurimam aquæ partem extra locum suum esse, illa autem suum appetens locum, in terræ cava loca sese inducit, quæ cùm sint angusta, nec tantam maris molem capere queant, compressa ea aquæ portio ab extrinsecus incumbente mari, suásque jure loci repetente sedes, egredi, quaque viâ possit, quærit. Hac impulsione fiunt aquarum exilitiones, quas Græci scatebras vocant, ad montium cacumina.* *Sal.* O philosophorum Deum! neque quicquam habeo, quod in contrariam partem disputem, nisi quod unus supersit scrupulus, quem ut eximas, à dignitate tuâ impetrare vellem. *Van.* Fare, modo nihil de anu istâ delirâ audiamus. *Sal.* Primùm scire aveo, quo casu plurima pars aquæ *loci sui jure* exciderit? Si enim, juxta leges mechanicas, locum terrâ altiorem petat, fit planè contra eas, quòd tanta illius copia subter terram, tanquam in pistrinum, detrudatur. Deinde quî tandem aqua, cùm tandiu ad metalla damnata fuisset, jus suum intellexerit, *ut loci sui jure suas sedes repetat?* Tum quâ vi petierit? quanquam enim in montium cacuminibus jus habeat, quî quæso, è carcere eo usque ascendet, ut quod suum est occuparet? *Cùm enim non possit aqua motu subvehi altiùs, quam sit ejus superficies, unde derivatur*, quantumcunque incumbente mari compressa sit, nunquam altius assurget; ultrò itaque, & sine causâ, nisi ut, quod suum est, possideret, in montium cacumina perreptare, videtur. Denique cùm in possessiones suas pervenerit, cur de iisdem mox decedat, atque non potius eas semper tueatur? Si enim per tot præcipitia, & declivitates, contra naturalem gravitatis vim, ad jus suum obtinendum conscenderit; mirum est, si, post tot jamjam exantlatos

antlatos labores, ſe tam facilè tam deſideratis poſſeſſionibus in ſubterraneum ſuum ergaſtulum non tam dejici, quàm blanditiis deduci (placidè enim delabitur) patiatur. *Van.* Stulta ſunt omnia, & qualia ab illepido ſententiolarum magiſtro referre quis expectare debeat. Cùm verò inter divinos (ut vocantur) ſcriptores vulgò habearis, ne à S. inquiſitorum officio, in periculum veniam, nihil vel quidem in aures (ſunt enim illi homines auritiſſimi) ſuſurrare auſim. *Sal.* Ne verearis, ſoli adſunt philoſophi, totum chorum circumſpice, ne unum cucullo indutum aſpicies; liberè ergo, & intrepidè philoſophemur, atque dic bonâ fide, quid ſentis? Van. *Sic faciam. Deteſtans in obſequium Chriſtianæ fidei, opinionem de mundi æternitate*, (ne fortè quis inquiſitorum ſe angulo quodam abdiderit) *dicerem ſic, ſi mundus habuit initium, non è mari flumina, ſed potius è fluviis mare genitum: fluvios autem congenitos ex aeris concretione, ex imbribus ſcilicet, & liquefactis nivibus: imbres autem duobus modis, ſeu potiùs duobus locis contingunt, ſub terrâ, & ſupra terram: Qui ſub terrâ eſt, aer tranſmutatur in aquam, unde fiunt fontes, à fontibus aquæ emanant, atque pro modo, magnitudine, alveorúmque capacitate & fluvios, & lacus efficiunt, tum ſingulares, tum alios viciſſim, ut impetus, levitas, ſors, locus tulit prodeuntes.* Sal. Multa ſunt de quibus libenter doceri vellem; ſcilicet quî fiant terræ inæqualitates, quî maris cavernæ, quî tam commodè ubique telluris tractus, à ſummitate in medio factâ, ſenſim & modicè declives in mare deferantur, aliáque ejuſmodi ſimilia, de quibus alibi; duo autem ſuperſunt, quæ pluſquàm Salomonis ſapientiam, ut ea capiat, poſtulare videntur. Alterum eſt, cùm nulla ab initio aqua fuerit, unde tanta ſuppeditetur aeris copia, quæ in aquæ denſitatem concreta omnia maria implere ſufficiat? Me tam ſimplicem eſſe fateor, ut non intelligam, quî omnis à terrâ adusque cœlum ſpiritus, ſi in aquæ craſſitudinem conſtipetur, tantam laticis copiam procreare poſſit. Alterum eſt, quî tantus Philoſophus, poſt tot, tantóſque conatus, nihil diceret, neque ſe nihil dixiſſe intelligeret. Quid enim de fluminum ortu (quo loco nunc verſamur) dixiſti? ſi enim è fluviis aqua in mare vaſtiſſimum accumuletur, quomodo tamen è mari, retro fluvii in montium cacuminibus oriuntur? *Quippe ſi aqua non poſſit*

*altius*

*altius subvehi, quam sit ejus superficies, unde derivatur, quorsum dicas ex aere sub terrâ in aquam transmutato fontes fieri?* Si enim sub terrâ in aquam transmutetur, quî super altissimos terræ locos ultro se efferet? Ne verò prolixo, & importuno nimis colloquio Cæsar, & Alexander à prandio parato detineantur, si urbani simus, quæso, finem faciamus. *Van.* Ut lubet. *Sal.* Vale, Philosophorum Deus. Dialogo decimo septimo, rursus prodeunt magni imperatores, atque proximum à fluviorum ortu argumentum de Nili incremento sumunt, de quo tamen nihil nobile colloquuntur, nisi quòd, repetitis à Julio tritissimis aliorum sententiis, tandem exclamet Alexander, qui antea alia omnia in eo miratus fuerat, *Proh Dii immortales, quot pellegisti Authores!* abjectis verò eorum omnium sententiis, Cæsar rem sideribus ascribi voluit, quanquam, quî efficiant, non aliter, quàm quî religionum ortus, incrementa, senectutes, & occasus effecerint, explicare curavit. Decimo octavo de mari, an æternum sit, disseritur, & contra *Cardanum* (imò & ipsum Aristotelem, qui in eâdem fuit sententiâ) æternum, quâdam tamen loci mutatione, non fuisse demonstratur; *Quòd fieri non potest, ut locatum sit continuum, locus non item.* Næ qui talia argumenta excogitare potuit, unus omnium dignus est, qui cùm *Salomone* disputaret: Decimo nono nihil agitur, nisi quòd de maris salsedine, contra maximos magistros, *Aristotelem*, & *Cardanum* disputetur. Quanquam hîc heroem nostrum aliquanto obtusiorem, quàm solet, esse fateor, quòd, cùm Aristotelis sententiam redarguerit, mox sibi tuendam sumpsit, mare scilicet, salsis pluviis, & adustâ terrâ concretis, salsum fieri: Egregia sane sententia, ut postea, cùm ad *Aristotelem* ventum erit, dicemus. Interim credo *Vaninum*, si quam aliam in suo philosophorum Deo ineptiorem deprehenderat, istam, non hanc ut defenderet, amplexum fuisse. Vicesimo de aquarum strepitu disceptatur; de quo nihil, nisi quòd probabile existimet strepitum ab aere, non ab aquâ factum esse. Vicesimo primo, de maris æstu, de quo solùm aquas à Lunâ, ut à magnete ferrum, attrahi statuitur, atque quædam experimenta geographica, & astronomica afferuntur; quanquam non talia, ut *quæ supra humanum captum sint*, sicut Alexander assentatus est; sed qualia Cæsar, qui maria omnia navigavit,

facilè

facilè aut propriâ, aut nautarum observatione dicere potuerat: imo qualia & ipse *Vaninus*, qui omnes ferè *Europæ* regiones peragravit, ut *Atheos* omnes, ubicunque convenire potuit, debellaret, ubique suos cum iis congressus memorat (ipse enim sicut & *Cæsar* de suis Bellis sua *Commentaria* scripsit) & quanquam eorum argumenta fusè & diligenter semper recitavit, ea tamen est hominis pii modestia, ut, etiamsi eos semper silere fecit, quibus tamen argumentis, ipse semper sileat. Homo obtusissime! quasi quis tam simplici, & tardo ingenio fuerit, qui, quid animo haberes, non planè intellexerit. Vicesimo secundo, de motu demersorum in aquâ disputatur, ubi nulla naturæ phænomena, sed quædam puerorum experimenta explicantur, quibus explicandis se omnibus fere *Europæ Academiis* solertiorem prædicavit. Vicesimo tertio, de insularum, & montium generatione colloquuntur, atque de insulis, quî aut à mari, aut ab aere fiant, poeticas, & miras quasdam hypotheses *Cæsar* comminiscitur, præsertim de *Britannia* suâ, eam limo in altum elato ortam fuisse: *Est enim*, inquit, *adhuc terra illa limosa, fungi instar, quinimo obequitanti mihi contremiscere quodammodo videbatur:* Nisi quod fortè tui præsentiâ contremuerit, cùm talia monstra ferre non solet ista insula; si *Cæsar* ipse hæc dixisset, an unquam in *Britanniam* profectus sit, dubitarem. Cùm verò *Vaninus* narraverit, solicitus non sum an fidem suam liberare possit, præsertim cùm mox ipse idem se in *Angliâ* terram ullam candidam vidisse, aut *Anglos* lapidibus albis, seu gypseis fertilitatem agris inducere negaverit. De montium origine nihil certò intelligere profitetur, *sed concluderet*, *si Christianus non esset, mundi æternitatem, cùm montium originem non inveniat.* Atque id unicum est, quod ubique concludendum vellet. Vicesimo quarto de gemmarum genesi, non aliter magni principes, quàm quivis vulgaris ex officinâ gemmarius, disputant, nisi quòd cùm variæ animalium effigies iis depictæ esse reperiantur, *ut Pyrrhi Epirotarum regis Achates Musas omnes ornatas, necnon Apollinem fidibus ludentem referebat*; *& quoddam marmoris frustum Paulum primum Eremitam repræsentabat*; Hujus rei varias hypotheses excogitavere, atque inter alias, quibus contingere potuerat complurimas, fieri posse

credunt, *aut quòd ubi solitus erat innasci Achates, infossa est depicta tabella, ex quâ deinde aqueus humor illius attraxit effigiem; aut quod consepulta Pauli lineamenta eo loci resudarunt, aut quod super lapidem emiserunt animalia semen.* Quid mirum, si iste idem qui hæc dixerit, tam facilè miracula omnia solis viribus mechanicis operetur! Vicesimo quinto, de lapidum vitâ, alimento, & interitu contra *Cardanum*, quem iis animam tribuisse refert, disputatur. Vicesimo sexto de magnete futiliter, & peripateticè tractatur, primùm ferri attractionem, non ipsâ *magnetis* formâ, sed accidente quodam perfici: deinde illius ad polos conversionem *occultâ* quâdam inter cœlestia, & terrena omnia *sympathiâ* factam esse concluditur. Approperante prandii tempestate, spirituum recreandorum causâ se mutuò in hortulis obambulare invitant, ubi Dialogum vicesimum septimum de plantis exordiuntur; præteritis autem omnibus earum phænomenis naturalibus, invariatâ scilicet specierum propagatione, parvi seminis, in arborum proceritates, accretione, florum, foliorum, fructuum pulchritudine, & utilitate; his inquam, præteritis, quorum contemplatione philosophorum ingenia exerceri oportuerat, de quibusdam hortulanorum ludis, & experimentis, similes, & quales ubique solet, hypotheses commentus est. Ambulatione autem peractâ, pransum itur, atque impetrata prius numinis benedictione (sic enim semper solebant Cæsar & Alexander) inter epulas, & pocula philosophantur nobilissimi convivæ, atque utilissimas multas quæstiones enodavit *Cæsar*, quæ utinam (cùm ut addantur dignæ sint) *Plutarchi Symposiacis* adderentur. Nempe cùm forte inter lavandum aquæ gutta deciderat, cur in sicco decidens in rotundam formam sese contrahat? Non quia refugit siccum, ut *Cardanus*, aliíque omnes inquiunt, inquit Cæsar, *sed quia cùm sicco societatem iniit, quod quam habet, firmitudinem illi dat, est autem firmissima rotunda figura, quia continua est, & unilinea.* Fœlix profectò, & admodum benevola inter guttam, & pulverem societas! Eam autem quando inierunt, & quibus conditionibus? quid officii pro illius beneficio humidum sicco rependit? quî pulvis, id etiamsi libenter vellet, figuram rotundam amico, & hospiti suo dare valeat? quî rotundam omnium, aut firmissimam,

aut aliis magis unilineam esse novit? & denique quamobrem alterius guttæ accessio tam conjunctissimam, & Pyladæam amicitiam discindat? Si unquam posthac philosophos vobis similes convivari contigerit, eos, ut has quoque quæstiones enodarent, impetrarem. Deinde occasione vini effusi disputant magni imperatores, uter mos salubrior sit, Italorum, qui aquæ vinum infundunt, an Gallorum, qui vino aquam? Cæsar qui primùm in Galliâ imperii sui fundamenta jecit, Gallis causam adjudicavit, quòd vinum cùm aquâ levius sit, eidem si infundatur, innataret; aqua verò cùm gravior sit, vino infusa se eidem penitus immisceret. Dijudicatâ autem nobilissimâ istâ inter maximas Nationes controversiâ, ad Magistri disciplinam, sciscitatur Alexander, an in vino aquâ diluto duæ sint *formæ*, an una tantum? Atque ipse duas *actu mathematico* esse voluit: Cæsar autem, non actu mathematico, sed *naturali*. Quanquam postmodum mutatâ, dum biberit, sententiâ, unicam esse docet utriusque formam, tandem verò tam difficiles ab utrâque parte quæstionis exitus reperiunt, ut illius molestiam bibendo levare, & eluere conveniant. Hinc Cæsar Alexandrum docet scyphos vitreos optimè calido cinere emaculari; deinde de venenorum remediis, si aut fortè, aut malitiosè cibis suis immisceantur, soliciti sunt perdiscere, & jure quidem, cùm magni principes præcipuè sunt, qui venenis enecantur. Postremo autem Cæsar Alexandro secretum, quod omnium antidotorum cognitione ad vitæ incolumitatem utilius sit, impertit, atque gravi, & prolixâ confabulatione docet, nihil ad eam conservandam salubrius esse, quàm *Catellum* nocte ventriculo adhibitum, si modo tota illius cutis *concolor* fuerit; sin *multis, diversisque maculis variegata*, canem nullius usûs, aut virtutis fore. Cujus utilissimi experimenti cognitione cùm hospitem suum beaverit, subductis linteis, atque actis gratiis, finis disputationi imponitur. Hæc enim omnia sunt, quæ de universâ rerum naturâ disputavit; nam pomeridianâ disputatione tertio libro de animalium, quarto de Religionum ortu, tractatur; de hoc superius diximus, de illo, si operæ pretium videbitur, suo loco dicemus. Interim an non dignus sit iste homunculus quo summum numen rerum naturæ summâ exuatur, cùm ne singulare quodvis naturæ phænomenon, quod

cujusvis momenti fuerit, ausus sit pertractare; & de parvis, atque remotis istis, quæ tractare ausus est, ne verbum, quod non sit prorsus ridiculum, & plusquam puerile protulerit? an non dignus sit sophista pedaneus, qui omnium mortalium solus, impietatis causâ, mortem sibi consciscat: Denique an non dignæ sint istæ nugæ, quas triginta solidorum pretio emamus? at sic vano, & fastidioso seculo, indocti, & stolidi libri suâ improbitate væneunt.

Sect. XXIX. Cùm verò tanta non modò de se, qui quis fuerit, satis diximus, verum etiam de *Reginæ naturæ*, *Deæque mortalium* imperio promiserit; cúmque præterea omnes omnium ætatum, & factionum *Athei*, uno quasi consensu, in eâdem voce lusisse videantur; quod sit naturæ jus, quæ vires, quæ potestas, videamus. Primùm ergo quid naturæ, atque reginæ vestræ voce intelligitis? An idem quod τῆς φύσεως nomine Græci? Quid ergo istâ voce isti? ἀπὸ τοῦ φύειν deducunt, τὸ φύειν autem quid significat? tum gignere, tum nasci. Natura igitur omnem rerum universitatem complectitur: Rerum autem universitas, omnia, quæ ortum aut dant, aut accipiunt. Perbellè, quæ ergo est ista natura, quæ omnia & gignit, & genuit? An intellectrix? Si ita, Deum, an Deam, nuncupetis, non curamus. An intellectûs expers? si ita, cùm cæca, & bruta fuerit, quî (quæso vos) omnia tam commodè, ad omnium utilitatem extruxit? Aut ergo naturæ nomine, rei cujusque naturam intelligitis; at ista bruta est, suíque nescia; vel rerum naturalium universitatem; at ista, cùm è rerum singularum naturis collecta sit, non plus, quam istæ, consilio valere potuit; vel denique substantiam aliquam ab utrisque diversam: At ista vel rationis compos est, vel expers; si prius, Deus est; si posterius, temeritas. Quam ergo naturæ notionem vultis, dicite. Nullam seorsim, sed unam ex omnibus conflatam, inquit Plinius (vir Vanino multò doctior, ne verò uno teruntio sapientior) *Idem enim dico rerum naturæ opus est, ipsam rerum naturam, atque igitur mundum, & hoc, quod nomine alio cœlum appellare libuit, cujus circumflexu teguntur cuncta, numen esse credi par est, æternum, immensum, neque genitum, neque interiturum unquam.* Atqui verò non usque adeo te bovem esse puto (sicut te Cardanus appel-

Nat. Hist. l. 1. c. 1.

appellavit) ut, quin ipſe te nihil dixiſſe intelligas, dubitarem. Si enim Natura cujuſquam opus ſit, ipſa certè ſui artifex eſſe nequit; ſi verò quid effecerit, non ipſum opus, ſed operis artificem eſſe neceſſe eſt. Intelligíſne ergo quid velis, cùm idem rerum naturæ opus, atque ingenitam rerum naturam eſſe dicis? Gignitur enim, ſi opus ſit; ſi ingenita ſit, non gignitur. Quid ergo velis, cùm naturæ opus, ſive ipſam naturam numen æternum, immenſum, neque ingenitum, neque interiturum aiis? An ipſa rerum fabricatio ſe fabricavit? ergo ingenita eſſe nequit, an à quovis alio facta ſit? ergo ſummum numen eſſe nequit. Quid ergo, ne nimis ſtimulem; an putas hunc rerum ordinem, ſui cauſam fuiſſe? ergo &, antequam fuerat, cùm eſſe, tum ſapuiſſe ſtatuas. Si non fuerat, niſi quovis bove hebetior eſſe velis, ipſum neque numen ingenitum, neque ſui artificem eſſe dicas.

Verùm quod *Plinius* de naturâ, eam eſſe ſimul & opificem, & opificium apertè dixit, idem mechanici omnes cenſuerunt. Scilicet eſſe ipſam materiam viribus ſuis in ſe motus neceſſarios cientem, atque in hunc, quem videmus, rerum ordinem certâ operandi viâ ſe perficientem. Quo pacto idem cuique eſt *naturæ opus*, & *ipſa natura*, & ipſius *naturæ opifex*, ut nihil aliud ſit, quàm ea cauſarum, & effectuum via è caſu, aut neceſſitate materiæ orta, quam ſuâ philoſophandi ratione quiſque deſcripſit. Atque igitur *Epicuro* nihil aliud fuit, aut eſſe potuit, quàm fortuita atomorum concurſio, è qua nata eſt hæc univerſa rerum fabricatio. Neque *Carteſio*, niſi legum ſuarum vis mechanica, ad cujus normam materiæ particulas, ſi omnino moveantur, in hanc rerum fabricam moveri neceſſe ſit; neque *Ariſtoteli*, niſi ſempiterna orbium cœleſtium circulatio, quâ elementa, & inferiora omnia certis motuum rationibus excita, rerum omnium, quæ ſunt, genera procrearunt. Neque poſtremo, quicquam *Reginâ naturæ Deâque mortalium* intellexit *Vaninus*, niſi ridiculas iſtas rerum naturæ deſcriptiones, eáſque deſcriptionum rationes, quas ipſe attulit. Cùm ergo hæc fuerit communis omnium de naturâ notio (neque quævis alia, ſublato numine, eſſe potuit) de eâ tum ſingulis ſatis reſponſum eſſe arbitror, cùm cuique ſeorſim rerum naturam, non ad ſuæ *hypotheſeos* rationem factam fuiſſe demonſtraverimus;

rimus; tum universis, quòd jam ante de omnibus mundi nostri *Phænomenis* hæc duo probaverimus, neque eo modo, quo se habent, solis causis physicis, & naturalibus se habere potuisse, neque potiùs eo, quàm quovis alio, nisi, ut certos rerum fines assequantur. Quibus duobus plenè, & perspicuè efficitur, naturam nullâ materiæ fortunâ aut necessitate, sed solius causæ intellectricis consilio fieri potuisse. Atque igitur quantumcunque aut hâc, aut aliâ quâvis voce luserint, iis omnes perfugii vias interclusimus, atque in eas angustias, quocunque se vertant, redactos tenemus, ut aut nihil, quod non sit prorsus ridiculum, dicant; aut tandem, sub alio nomine, numen sapientissimum inducere cogantur. Atque igitur haud inscitè disputasse Seneca videtur, *Sive naturam, sive Ætherem, sive rationem, sive mentem, sive fatalem necessitatem, sive divinam legem, sive quid aliud dixeris: idem est, quod à nobis dicitur Deus; nec obstat appellationum diversitas, cùm ipsa significatione ad unum omnia revolvantur.* Atque idem alibi. *Deus ipsa natura est, cùm igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis Deo, in eodem luto hæsitans versuram solvis. A quo enim fieri mundum negas, ab eodem plane fieri, mutato nomine, confiteris.* Et profectò idem dicitur, ac si quis machinam quamvis, non ab artifice, sed ab arte fieri diceret; cùm sit natura, aut ars divina, aut artis divinæ opus; opus autem sui ipsius effectus esse nequit, cùm igitur non Dei, qui artifex fuit, opus dicitur, sed artis, quæ est ista rationis norma, ad quam operis descriptionem molitus est, artem ab artifice separatam comminiscuntur. Hanc autem, inter artis, & naturæ opera, similitudinem Balbus præclarè dixit, & illustravit. *Si meliora sunt ea, quæ naturâ, quàm illa, quæ arte perfecta sunt, nec ars efficit quicquam sine ratione; ne natura quidem rationis expers est habenda. Quî igitur convenit, signum aut tabulam pictam cùm aspexeris, scire adhibitam esse artem: cúmque procul cursum navigii videris, non dubitare, quin id ratione, atque arte moveatur: aut cùm solarium contemplatus fueris, intelligere declarari horas arte, non casu: mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilii & rationis esse expertem putare? Quod si in Scythiam, aut in Britanniam sphæram aliquis tulerit, hanc, quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cujus singulæ*

Lib. 2. de Nat. Deor.

*ſingulæ converſiones idem efficiunt in Sole, & in Lunâ, & in quinque Stellis errantibus, quod efficitur in cœlo ſingulis diebus & noctibus: quis in illâ barbarie dubitet, quin ea ſphæra ſit perfecta ratione! Hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur, & fiunt omnia, caſúne ipſe ſit effectus, aut neceſſitate aliquâ, an ratione, aut mente divinâ? Et Archimedem arbitrantur plus valuiſſe in imitandis ſphæræ converſionibus, quàm naturam in efficiendis, præſertim cùm multis partibus ſint illa perfecta, quàm hæc ſimulata ſolertiùs.* Atque hæc quidem ille, & præclarè quidem. Quid ergo dicetis? An primùm artis opera, ſine artificis conſilio, perfici poſſe? Nequaquam. Si itaque iſta, niſi ratione, fieri non poſſunt, quantominus, quæ majori naturæ ſolertiâ fiunt? Aut ſi quæ naturâ fiunt citra cujuſvis opificis conſilium fieri potuerant, quidni, quicquid arte factum eſt pari caſu effectum eſſe credamus? Aut ergo arti ratio detrahenda eſt, aut naturæ tribuenda. An deinde præſtantiora naturæ, quàm artis, opera negabitis? Quid? an omnis orbium cœleſtium complexio minori artificio perfecta ſit, quàm exigua *Poſidonii*, & *Archimedis* ſphæra? Si itaque artificum ſolertiam miremur, quâ omnes cœli converſiones imitantur; quanto magis illius, qui primus inſtruxit, & effecit! Circumſpicite omnia artis opera, & de præſtantiſſimis quibuſdam dicite, quid in ſe habent, quod admiremini, niſi quatenus naturæ ſolertiam æmulentur. Adeo ut primi artium authores nihil inveniſſe, ſed omnem ſuam peritiam à naturæ contemplatione didiciſſe videantur. Exquiſita iſta *Galilæi* perſpicilla quid in ſe admirabile habent, niſi quod ad oculorum fabricam efformentur; imò quid aliud tota *Dioptrices* ſcientia, niſi de admirabili viſionis ratione geometricas obſervationes? Quid muſica inſtrumenta, niſi quod ad organorum vocibus modulandis inſervientium ſimilitudinem machinentur? Unde artes pingendi, cælandi, ſculpendi, niſi quòd à ſolâ partium omnium ſingularúmque inter ſe proportione, deſumantur? Et denique unde ipſius artis mechanicæ natæ ſunt regulæ, niſi quòd ab intervalli, molis, motûs, figuræ rationibus, quæ in muſculis ſunt, obſerventur? Si itaque artis opificia ſolâ ratione elaborari poſſint, quanto magis rationem deſiderant, quæ ea omnia innumerabilibus intervallis ſuperant naturæ molimina? At

forte videre vos inquietis ista arte fieri, nihil autem tale in iis quæ perficit natura, intueri. Ita sane. Atqui an non inde colligi intelligitis, quòd si oculorum fide expertum fuerit, nihil sine ratione artem efficere, nedum naturam, cùm multò meliora sint, quæ eâ, quàm quæ arte, perfecta sunt, rationis expertem esse? Atqui verò quid si artis opera artificum industriâ elaborari non viderimus, quæso an non à solâ ipsorum solertiâ artificem quendam argumentari oporteret? Quod igitur fabrefieri videamus, quanquam argumenti summa ratio non sit, præcipuus tamen nervus esse videtur: Si enim ista ab artifice quodam semper fiant, quanto magis sic fieri sequitur longè præclariora naturæ opera? Neque quidem ille apud *Actium Pastor* navem unquam ante viderat, ut tamen divinum, & novum *Argonautarum* vehiculum conspexit, quale sit, statim non dubitavit. Neque *Scythæ*, aut *Britanni* (de quibus *Balbus* loquitur) sphæram antea viderant, cùm tamen eam *Posidonii* primùm vidissent, an non jure interrogat, an quis in eâ barbarie dubitare posset, quin sit ea ratione perfecta? Denique si cuiquam in sylvis nato, & educato, qui nihil humani artificii viderat, neque, an sint artifices, intellexerat, horologii machinationem ostendas, quàm mirabili œconomiâ concinnetur, quàm variis, & subtilibus organulis instruatur; quos motus, & quàm æquales obeat; quibus usibus inserviat; quàm accuratè temporis spatia metiatur, an non hunc penitus obbrutuisse putares, nisi *Artificis* ingenium, & industriam miraretur? An non ergo miremur, quenquam humanâ specie tantum bestias stupiditate vicisse, ut cùm immensam hanc universi machinam viderit, eámque, omnibus partibus inter se cohærentibus, niti, atque omnes partes cùm totius, tum singulas suo inter se emolumento mutuò inservire, eam tamen quòd factam non vidit, an quovis artifice facta sit, dubitaret? *Ita* (inquit Cotta) *prorsus existimarem si mundum ædificatum, non quemadmodum docebo, à naturâ conformatum putarem.* En verò quemadmodum doceat? *Naturæ ista sunt, Balbe, non artificiosè ambulantis, ut ait Zeno, sed omnia cientis, & agitantis motibus, & mutationibus suis. Itaque illa mihi placebat oratio de convenientiâ, consensúque naturæ, quam quasi cognationem continuatam conspirare dicebas. Illud non probabam, quod negabas*

De Nat. Deor. lib. 3.

*gabas id accidere potuisse, nisi ea uno divino spiritu contineretur: Illa vero cohæret, & permanet naturæ viribus, non Deorum: Estque in ea iste quasi consensus, quod* συμπάθειαν *Græci vocant, sed ea quò suâ sponte major est, eò minùs divinâ ratione fieri existimanda est.* At si dixisse vellet *Cotta* quid Naturæ voce intellexerat, intellexerat quoque se nihil omnino dixisse. Si mundi ordinem esse dicat, ut, sympathiam seu conspirantem rerum omnium cognationem esse definiverit, dixisse visus est; nihil aliud dixit, quam si interroganti, unde tam conspirans omnium rerum ordo, & natura? ab omnium rerum ordine, & naturâ esse responderet. Quodcunque autem dixerit, semper interrogare liceret, an iste mundi ordo temerè an providentiâ exortus sit? si temerè, eodem, unde elabi velit, revolvitur; sin providentiâ, opifex ergo rationis compos naturæ ordinem instituit. Adeo planè necessarium est omnia demum vel rationi, vel temeritati referre. An non ergo digna sit responsio, quâ tam gestienti animi elatione exultaret Cotta: *Naturæ ista sunt, Balbe, non artificiosè ambulantis, sed omnia cientis, & agitantis motibus, & mutationibus suis.* Quænam autem sunt *Ista*, Cotta? An non artificiosa ista omnia, quæ Balbus, cùm in universo mundo, tum in singulis ejusdem partibus summâ arte facta fuisse tibi demonstraverat? Quid? an artificiosa ista omnia non sint naturæ artificiosè operantis? An ergo nullâ arte utentis? Istuc est, quod vobis exprobrat *Balbus*, cùm naturalia omnia præclariori artificio, quàm quæ arte fiunt, facta esse videamus, vos negare artem ullam ad ea adhiberi. Etenim si non adhibeatur, artificiosa non sunt, cùm verò artificiosa sint, quî efficiet natura, nisi artificiosè operetur? Omnia, inquit, ciendo, & motibus agitando. Ergo motibus operatur. Si artificiosè, artifex est natura: Si sine arte, quî opus undique tam artificiosum perficiat? Ut sane *Cottæ* responsio tantum abest aut se, aut philosopho digna sit, ut quovis homine prorsus indigna videatur. Eâ autem intelligamus, quàm ludicra, & futilis sit cantilena, quam indoctis suis discipulis quidam impietatis magistri insusurrant, scilicet ipsum *Ciceronem*, qui alios omnes cùm ingenii acie, tum doctrinæ copiâ superavit, cùm hunc de numinis existentiâ locum tractaverit, nihil omnino certi habuisse; ita ut, allatis omnibus in utramque partem

rationum momentis, ipse, tanquam paribus examinatus ponderibus, in neutram moveri videatur; atque demum cùm peroraverit, auditores ita discessisse finxit, ut alteri *Cottæ* (qui contra Deos disputavit) disputatio verior, alteri *Balbi* (qui pro Diis) ad veritatis verisimilitudinem videretur esse propensior. Atqui sanè norunt ipsi eum hîc, ut in omni Philosophiâ, more Academico disputavisse, atque igitur in hâc, ut in omni quæstione, nihil certi, ex Academiæ forma, concludere potuisse; sed cùm omnes in utramque partem rationes exposuisset, cuique, ut res ipsæ persuaderent, judicandum permisisse. Quod itaque ipse nihil concluserit, id non ex animi sententiâ, sed disciplinæ ratione fecisse visus est; quid autem revera concludendum sit, ut è solâ disputatione intelligamus, ipse voluit. Quid verò, si nihil ex animo concludi posse censuerat, an quicquam solam ipsius autoritatem sine ratione valere vultis? si nos virorum clarissimorum autoritates interponamus, eas omnes contemnitis, atque solâ ratione veritatem exquirere profitemini, & speciatim ad unam *Ciceronis* autoritatem, virum popularem, & ventosum fuisse, atque igitur non è suâ, sed populi opinione, scripsisse clamatis. Si verò eum nullâ autoritate esse vultis, quorsum in illius dubitatione, quod neutri parti accesserit, tam insolenter gloriamini? omissis itaque tum hujus, tum sapientum omnium autoritatibus, solâ, ut vultis, ratione pugnemus, neque equidem, in causâ tam nobili quicquam iis omnibus deferendum esse vellem, cùm ea sit ipsius argumenti perspicuitas, ut omnia autoritatis adjumenta aspernari videatur. Quibus ergo rationibus utrinque pugnavit *Cicero*, videamus. Cùm *Balbus* in omni rerum descriptione, summam artis solertiam indicaverat. Quid *Cotta* respondit, nisi ista omnia non cujusvis consilio, sed solis Naturæ viribus accidere? quod quàm futile sit, satis jam ante dictum est, cùm ista Natura, quotiescunque ingeminent, rationis aut compos, aut expers sit: si prius, Deus est; sin posterius, nil, nisi cæca, & bruta materia esse potest; quæ, sive naturam, sive fatum, sive quocunque alio nomine appellaverint, nihilo plus aut esse, aut valere potest, quàm fortuna, & temeritas. Quanquam autem præclarissima sint artis indicia, quæ in rerum naturâ Balbus ubique deprehendit;

Cotta

Cotta nihil de singulis (ut debuit) respondere ausus est, (sic enim cujusque solertiam negare non potuit) sed de omnibus confusè, & fidenter pronuntiat, esse quidem naturæ opificia, non verò artificiosè operantis, id est, quanquam singula summâ arte facta fuisse negare non ausit, omnia tamen quâvis fuisse facta inficiatur. Atque præter unicam hanc responsionem, nihil aliud, quod argumenti nostri sit, libro isto tertio, quantum superesse contigit, fecisse visus est, nisi ut infinitam istam ethnicæ superstitionis rationem irrideret, quàm Stoici, vaferrimi isti fabularum interpretes, excusare, imò & tueri vellent, atque has ineptias, quanquam quavis refutatione prorsus indignæ sint, copiosè, & singulatim (ut solent isti) redarguit. Cùm verò ad ipsum controversiæ nodum pervenire debet, uno verbo, quasi negligenter, atque cum quadam contemptûs specie, eum se satis expedire arbitratur, dum, quod artificiosum fatetur, idem arte factum fuisse negaverit, Atque sic ludunt omnes, cùm, postquam *Naturæ* mentem apertè detraxerint, eam eidem occultò, & per ambages postmodum restituant. Quid enim aliud intelligunt, cùm toties, & ubique de naturæ *scopo*, & *intentione* loquuntur, quod quî fieri posset sine mente, quis intelligit? si enim scopum habeat, ad finem intuetur; eundem ergo & novit, & elegit. Quid aliud cùm de naturæ, quam in numinis locum substitutam, tanquam *reginam*, venerantur, solertiâ, atque mirificâ operandi facultate tam magnificè loquuntur, ut, si sui muneris gnara, atque artificis peritiâ operaretur, majora loqui non potuissent? Atquî verò his omnibus usu venit, non modo ipsi naturæ, sed naturalibus principiis quasi consilium, & idonei electionem tribuere, atque de ipsis materiæ particulis, quasi mente, & affectibus præditæ fuissent, philosophari. Sic atomos vult *Lucretius*, se ultro, & sine causâ physicâ declinâsse, *ne nil unquam natura creasset*, & cùm in hanc terrarum orbem coiverint, naturale suum gravitatis pondus, ne temerè opus suum labefactarent, cohibuisse. Sic *Cartesius* materiæ suæ subtili, quâ pene omnia efficit, eum vacui horrorem tribuit, qui eam continuo in omnes animi affectus impellat, atque contra ipsam suæ naturæ soliditatem præ illius formidine in omnes formarum species se immutare cogat. Sic *Aristoteles* quanquam omnia

ſempiternâ cauſarum ſerie evenire cenſuit; ſuam tamen phyſiologiam omnem decori, & convenientiæ rationibus implevit. Sic denique *Epicurus* (qui ubique alios omnes, ut impietate, ſic hebetudine ſuperavit) cùm omnia ad naturam effecta referret, atque eam fortuitâ atomorum concurſione primò extitiſſe vellet, ſeſe tamen ita uſu, & multiplici ejuſdem casûs eventu ſenſim erudiiſſe dixit, ut demum temporis decurſu iſtâ artis peritiâ, quam jam indies videmus exerceri, operetur, ἀλλὰ μὴν ὑποληπτέον καὶ τὴν φύσιν πολλὰ, καὶ παντοῖα, ὑπὸ τῶν αὐτῶν τῶν πραγμάτων διδαχθῆναι, καὶ ἀναγκασθῆναι. *Illud ſupponendum eſt, naturam quoque multa, & cujuſque modi ab ipſis rebus didiciſſe, & coactum fuiſſe.* An non putaret quiſque eum, naturæ nomine, cauſam quandam intellectricem deſignaſſe: alioqui enim, quî diuturnâ experientiâ, atque rerum eventus obſervando ſe erudire potuit; cùm verò nihil aliud, præter atomos, earúmque motus intelligi voluit, nil aliud dixit, quàm ipſa bruta corpuſcula leges ſibi præſcripſiſſe, & certas inter ſe artes coluiſſe, atque eò tandem peritiæ, diu aſſueſcendo, perveniſſe, ut artificis ſolertiâ, & induſtriâ operarentur. Quiſquámne autem fieri poſſe putaret, quenquam, qui ſapientiam profeſſus ſit, tam illuſtri ſtupore fuiſſe, ut conſuetudinem quidquam in vagis, & temerariis rerum, quæ nihil ſentiunt, nihil intelligunt, motibus, ad artem, & eruditionem valere credat?

Ep. ad Herod.

SECT. XXX. Omnium poſtremus, & vaferrimus, prodiit *Senex Malmsburienſis*, qui nihil eâ curâ, eóque animi ardore eniti viſus eſt, quàm ut impietatis famam, non modo apud ſuos, ſed & cordatos omnes conſequatur. Atque ea quidem eſt quorundam malevolorum veſania, ut, modo nomen ſibi acquirant, curæ non habeant, quibus flagitiis, & ſceleribus acquiſiverint; neque illum aut philoſophiam, aut religionem, aut quidem ſcientias mathematicas omnino turbaturum fuiſſe puto, niſi quod res antiquas, & ab omnibus honore receptas turbare vaniſſimo homini facinus egregium, & heroicum videretur. Quid autem ille, præter falſas, & politicas ſuſpiciones, niſi quod ſemel Geometris demonſtraverit, *primum movens non eſſe, quòd nihil à ſeipſo moveri poſſit.* Quis autem, qui Deum, ſeu primum movens eſ-

ſe

ſe aſſeruerit, nihil à ſeipſo moveri poſſe, quàm primùm audiat, non continuò conceſſerit? & ſi concedat, quàm perſpicuè nullum Deum eſſe potuiſſe concluditur? at ſi non concedat, Geometriam neſcit, neque ſatis doctus eſt, qui *Hobbianas* demonſtrationes intelligat. At certiſſimum ſit axioma, & omnibus Geometris notum; tamen certius eſſe non potuit, quàm totum eſſe majus ſuâ parte; iſtud tamen ut caveat Lector, ne quicquam temerè pro principio admittat, ſcitè demonſtravit vir gravis. *Definitur enim* (à ſe ſcilicet) majus *eſſe, cujus pars eſt æqualis alteri toti; ſi jam ponatur totum aliquod A, & pars ejus B; quoniam totum B eſt æquale ſibi ipſi, & pars totius A eſt ipſum B, erit pars ipſius A æqualis toti B; quare per definitionem* Majoris, *A eſt* majus, *quàm B: quod erat probandum.* Quis autem non videat ipſum axioma tantundem certitudinis in ſe habere, quantum habet *majoris* definitio? cùm cuique Lectori non minus certum fuerit, totum eſſe majus ſuâ parte, quàm majus eſſe, cujus pars eſt æqualis alteri toti, adeo ut poſſet (ſi placuerat) definitionem axiomate demonſtrare, pariter ac definitione axiôma. Atque eo tandem redit totius demonſtrationis ratio, totum eſſe majus ſuâ parte, quòd pars non ſit æqualis toti, i.e. quòd ſit toto minor. Ita *Hobbio* ſemper uſuvénit, ut quicquid demonſtrare velit, primum definitione ſumat, tum deinde, eâ ſumptâ, probet. Atque idem fecerat, ſi, cùm quod ſe movet, motum non eſſe definiverat, nihil ſe movere poſſe planè ſuo demonſtrandi more concluſiſſet. At verò cùm definiendi oblitus fuerit philoſophus, quod ſumit, reſtat adhuc probandum. An verò cùm concluſeris primum movens non eſſe, quod nihil ſe movere poſſit, putares id tibi quenquam, quod ſumis, daturum eſſe? ſi putares, quid diſputatione opus eſt, cùm antequam demonſtraveras, res ipſa non minùs aperta, & perſpicua fuerat, quàm demonſtratione effeciſti? Si non putares, an non vides Geometram non decere, id ipſum, de quo diſputatur, ſumere? & ſi primum movens non eſſe, quod non ſit, concluſeras, Geometris tuis multo melius te ſatisfeciſſe puto, ſolùm quod demonſtrationem, ut ſolent illi, breviſſimè abſolviſſes.

Philoſ. prima, pars 2. cap. 8. ſect. 25.

At verò quid ſi contrarium ſumpſiſſe placuerat? contrarii fieret demonſtratio; en quàm perſpicue! *Nam qui ab ef-*

Leviath. Pars prim. cap. 12.

*fectu quocunque, quem viderit, ad causam ejus proximam procederet, & in causarum deinceps ordinem profundè se immergeret, inveniret tandem (cùm veterum philosophorum sanioribus) unicum esse primum motorem, quem appellant omnes Deum.* Jam verò quis Geometrarum non plane demonstratum videat, & esse, & non esse primum motorem? *Esse*, quod unicus sit primus motor, necesse sit: *non esse*, quod impossibile sit, ut ipse primum se moveat. Atque adeo, magne veritatis Dictator, non minorem tibi in philosophiâ autoritatem arripis, quàm summæ in quâque repub. potestati, pro tuâ liberalitate, elargiris: ut enim ipsa solo suo jussu quicquid velit, aut æquum, aut iniquum possit efficere; ita tu, pro tuo summo imperio, res quasque modo veras, modo falsas esse jubes. Quicquid autem reges in legibus boni, aut mali immutandis possint, veri, & falsi adeo fixas & immutabiles esse novimus, ut si duæ sint de eadem re propositiones, quarum altera aiat, altera neget, nullâ vi, aut auctoritate, ne quidem *Leviathanis* tui, utrasque veras fieri posse, certò sciamus.

Præter insignem hanc demonstrationem, quæ nihil, nisi senem delirare, probat; facetum est, & *Critiæ*, reliquorúmque suspicionibus simile, quicquid præterea in Religionis vituperium dixit. Ita sæpiùs, & in omni loco, illius ortum, aut à somniis, aut à metu puerili ducit. *Putabantur*, inquit, *spectra, vocésque in somnis audiri visas*, (vereor ne in Grammaticâ lapsus sit Mathematicus, *visæ* enim, ni fallor, dicere oportuit) *non phantasmata, sed ipsa per se fuisse in rebus extra somniantes subsistentia objecta; nam in aliquibus metus ipse non modo dormientibus, sed etiam vigilantibus, præsertim verò sceleris consciis, & noctu, & in locis consecratis, & adjutus aliquantulum talium apparitionum historiis, phantasmata horribilia in animo excitavit, quæ spectrorum, & substantiarum incorporearum nomina pro veris rebus imposuêre, & imponunt. Et vulgo metus quidam inest ortus ab eo ipso, quod an sit potentia aliqua necne, quâ juvari, aut lædi possunt, ignorant; atque ab eo metu proclives sunt ad suppositionem, & fictionem variarum potentiarum invisibilium, metuuntque sua ipsorum phantasmata, invocantque in rebus adversis, laudantque in prosperis, & faciunt denique Deos. Atque inde factum est, ut homines*

Phys. pars 4. cap. 25. sect. 9.

Leviath. pars 1. cap. 11.

*mines à phantaſmatibus ſuis innumerabilibus, innumerabiles ſibi creaverint Deos. Metus autem hic inviſibilium ſemen eſt ejus, quam quiſque in ſeipſo* Religionem, *in illis autem, qui diversè metuunt, colúntque* Superſtitionem. *Religionis ſemen hoc, cùm à pluribus animadverſum fuerit, à quibuſdam cultum, & in leges formatum eſt, opinionéſque de cauſis rerum futurarum variæ adinventæ ſunt, quibus putabant, optimè fieri poſſe, ut alii ſervire ſibi inducerentur.* Hæc, híſque ſimilia ubique, & in quoque libello edidit, cùm enim egregius ſui aſſentator fuerit, quicquid ſcripſit, quod centies tranſcribatur, dignum eſſe cenſuit; at fabulæ, & inſomnia, etiamſi decies millies recoxerit, nunquam fient demonſtrationes. Qualeſcunque verò fuerint, nollem iis ipſum ſibi nimis inſolenter placere, cùm ſuæ non fuerint, ſed vetuſtate tritæ, & pervagatæ. Popularis autem noſter cùm fuerit (quanquam Anglorum primus eſt, faxit Deus ſit ultimus, qui impietatem palam oſtentare auſus eſt!) non minus liberaliter cùm eo, quàm cum exteris, & peregrinis agemus. Dabimus itaque, hominum vulgus, è falſis ipſorum phantaſmatis, ſibi Deos fingere potuiſſe, & ſapientiores eorum ſuperſtitionem in leges formaviſſe, & quicquid præterea ſuſpicionis pro ingenii ſui acumine poſſit, nihílque aut cum illo, aut cum naſutorum quovis diſputatum volumus, niſi an rectæ rationis uſu in numinis notitiam, & fidem duci potuiſſent, necne; ſi potuerint, vicimus; ſi non potuerint, ſuæ per nos licet conjecturæ gloria quiſque fruatur.

Vides, Lector, quî utraſque acies eduximus, & totis utrinque copiis dimicavimus: hinc verò cum inermi phantaſmatum & ſuſpicionum colluvie, illinc omnibus rationis viribus pugnatum eſſe videas. Quæ itaque victoriam reportaverit, tibi, & cuique, qui non plane iniquus, & improbus fuerit, judicandum relinquimus. Ea enim eſt argumenti vis, & perſpicuitas, ut neſciam, an quicquam in quâvis ſcientiâ pari certitudine comprobari potuerit. Quod quidem optimâ numinis providentiâ fieri non dubitamus, cùm ut ipſe ſit, & eum eſſe nos ſciamus maxime noſtrâ interſit; quatenus ab illo ſolo omnia fælicitatis noſtræ momenta pendeant, ita ut, ſi non fuerit, fælices eſſe nequeamus, ſed contra miſerrimi; ſi fuerit, ſummâ beatitate, niſi propriâ culpâ labefactet, cuique

que frui licebit. Atqui hoc loci alieni est, scilicet cùm ab iisdem naturæ phænomenis, quibus summum omnium esse rectorem demonstravimus, quâ ratione, & quibus legibus humanum genus se gubernare velit, ipsum ab iisdem planè indicâsse ostendemus: Deinde unicum esse suarum omnium legum institutum, ut quàm optimè humani generis felicitatem procurare possit; postremò homines nullam omnino fælicitatem consequi posse, nisi post exactam hanc vitam mortalem, immortali alterâ fruantur: Atque adeo à primo, ad ultimum perspicuum sit, si Deus sit, animam humanam non interire; & contra, si intereat ista, Deum non esse. Et propterea cùm tam validis, & inconcussis rationibus Deum esse demonstretur, eâdem operâ, eâdémque certitudine animæ immortalitas, quæ tanta necessitudine cum numinis existentiâ connectitur, demonstratur. Hæc autem ut eâ, quâ merentur, diligentiâ disseramus, peculiare sibi opus efflagitant. Interim hujus loci argumento satisfecisse arbitramur, cùm in omni hujusce universi phænomeno, certissimum summi numinis consilium demonstretur.

---

DIS-

# DISPUTATIO TERTIA.

## *Epicuri & Cartesii Hypotheses de rerum omnium fabricatione evertuntur.*

SECT. I. QUI primi fuere homines, majori fructu, & judicio Philosophari visi sunt, quàm qui postea inter Græculos Physici sequebantur; isti enim, dum apertissimam in omni re naturæ solertiam viderent, summam quoque artificis, qui omnia condidit, sapientiam mirati fuere, variásque artes, ad vitæ humanæ usus, illius imitatione invenere. Quod cùm fecissent, exortum est postea ignarum hominum genus, qui, quoniam humano generi nihil utile invenire poterant, ne nihil agere viderentur, in interiores, nescio quos, naturæ recessus penetrare professi fuerunt; atque adeo, relicta facili istâ philosophiâ, quæ & omnibus communis sit, quæque primo intuitu, quis sit omnium author, admonuit, atque quæ paulò ulteriori indagatione, quàm plurimas artes docuit, quibus, si naturæ viam homines sequerentur, vitam humanam admodum sublevarent; istis, inquam, omnibus, quæ ante pedes sunt, relictis, omnia in profundo quæsivêre, nihílque investigare, nisi intimos naturæ recessus, vellent, quos cùm mens humana assequi non possit, nil nisi umbras & opinionum spectra, quæ nihil aut solidi, aut fructûs in se haberent, è puteis suis, evocârunt. Juxta quod ipse Aristoteles de philosophiâ gloriatur, eam tandem, post inventas artes omnes, quæ ad vitæ, aut usum, aut voluptatem spectant, nullâ utilitatis spe, sed solâ contemplationis voluptate inventam fuisse. Atque igitur eam, ab eo, in duas partes, postea diviserunt, Activam alteram, quæ suam quandam vitæ humanæ utilitatem affert; alteram Contemplativam, quæ nullum in vitâ communi usum habet, sed solâ veritatis investigatione

Met. l. 1. c. 2.

tione acquiescit: i. e. otiosas, & inutiles quasdam scientias, ignavi quidam, postquam inventæ sint, omnes, quæ cuique usui esse possint, artes invenerunt. Quæ enim esse possit ista sapientia, quæ nihil prodest, aut quid melius iis, qui eam sequuntur, afferre possit, quàm si umbras captent, aut plumas venentur? Saltem nisi vitam beatam quodammodo aut consequatur, aut perficiat, nulli usui inservire potest, nisi ut ætatis otiosæ tædium fallat; atque sic olim veteres inter Græculos mechanici, omne ætatis tempus, fabulas mechanicas fingendo, trivêre; quas si legerint, & meminerint recentiores quidam, suam eruditionem (sic enim multorum librorum lectionem appellant) statim ipsi mirantur. Ut sane mirére quantâ industriâ, quid alii scripserunt, ipsi memoriâ teneant, quanti autem sapientiores fiant, curæ nihil habent, sed modo multa & meminerint, & loquantur, sive vilia, sive utilia, sibi plaudunt, séque fælices esse putant. Atque si quos sermones, brevésque sententias ex authoribus collegerint, aut quasdam vocabulorum cognationes ipsi primùm eruerint, sublimi vertice sydera feriunt, atque doctarum hederæ præmia frontium Diis ipsos miscent superis. Ne autem de aliis scientiis quicquam dicam, hoc solum de Physiologiâ dicam; quæ ut philosophiæ pars nobilissima sit, ita ipsi contemplatricum principem esse velint, eâ nihil magis, aut melius vitæ humanæ fælicitatem perficere, & tueri. Primùm enim numinis cultum, quo summa ponitur hominum fælicitas, erudit, quatenus quo magis perspectam rerum omnium pulchritudinem habemus, eo certiùs summum esse opificem, qui omnia tam solerter condidit, intelligimus. Quem cùm semel invenerimus, quo magis naturæ rationem perlustramus, eò fortiùs in illius cultum impellimur, cùm in eâ nihil sit, in quo illius & sapientiam, & benignitatem non miremur. Tum deinde jus hominum tuetur, cùm eadem naturæ contemplatio, quæ summi rectoris, & domini numen esse docet, quibus quoque legibus vult hominum societatem gubernari, instituat. Postremò ab omni superstitionis perturbatione mentem eximit, cùm ea, quæ alioqui metum, & terrorem incuterent, nihil mali in se habere intelligat. Neque enim, ut solent alii, ad fulmina trepidat physicus, quòd iræ divinæ nuncios esse suspicetur; sed admirabilem

Dei ſapientiam colit, qui ita cauſas naturales diſpoſuit, ut certis vicibus aerem, cujus ſpiritu vivimus, halituum exploſione undique concuſſum expurgarent. Quid multa? omnem percurre phyſicam, quid eſt, quod aut Dei cultum, aut vitæ oblectationem non efficiat? Si omnia cauſarum genera diſquiſiveris, utrumque promovebis. Si à quibus cauſis rerum natura effecta ſit, præſtantiſſimum, inquam, numen, quod omnia tam admirabili pulchritudine effecit, venerari coget. Cúmque ſic omnia diſpoſuiſſe videas, ut omnium fælicitatem maximè curæ habere videatur, non poſſis, ſi eo, quo ducit, ſequaris, quin ab eo præmia illius beneficentiæ congrua expectes. Si deinde in quos quæque fines fiant, idem efficiet, cùm ſingula præſtantiſſimâ ſapientiâ ſibi mutuò, tibi verò omnia inſervire intelligas. Si è quibus principiis conſtent, id ſi aſſequi potueris (quod neminem aſſecuturum eſſe puto) quantum mirére, quî ſummus opifex inertem materiæ molem in tantam rerum varietatem ſummâ naturæ conſtantiâ diſpoſuerit. Si denique quas proprietates habeant, plus adhuc providentiæ vim mirére quæ eas vires ipſi materiæ dedit, ut ſua ſponte effecta tam mirabilia efficiat: Quæ, quî fiant, quanquam nullâ induſtriâ aſſequi poſſimus, cùm verò, quod valeant, expertus fueris, noſti quî ad varios vitæ uſus, ut opus erit, adhiberi poſſint. Atqui verò ne minutiora omnia, quæ in vitæ humanæ emolumentum peperit philoſophia, ſequar, argumento quod tractamus, ſatis ſit, quòd inde diſcamus quo parente naſcimur, & quo domino gubernamur. Quo intellecto quæ quoque adverſus eum officia nobis perſolvenda ſint, intelligimus: adeo ut Phyſica omnis pietatis, & ſapientiæ fundus; Ethica autem fructus videatur.

SECT. II. Sicut itaque ſuperiori diſputatione cauſam noſtram egimus, nunc quemadmodum ſuam defendunt, qui in contrariâ ſententiâ ſunt, ſupereſt dicamus. Ii autem, quamquam ſuam quiſque opinionem miratur, in hoc, omnem nempe rerum naturam, ſine numine, & fieri potuiſſe, & factam fuiſſe, conſentiunt omnes. Quo ergo clarius, atque uberius argumentum conficerem, contra ſingulos dicere ſemel inſtitueram, exorſus autem ſtatim perſpexi opus, etſi

non arduum, tamen & magnum, & inutile fore. Primùm enim, quid facilius, quàm philoſophaſtrum quemque, cui ſomniare placuit (nemo enim ſobrius id ſeriò cogitavit) quî mundi ordo, & ornatus ſine causâ conſultrice, atque utilitatum providâ condi potuiſſet, refellere? Cùm innumerabilia, & admiranda iſta ſummæ artis, & conſilii veſtigia, quæ in minimâ naturæ parte indicavimus, & factam, & conſilio factam fuiſſe demonſtraverint: utrumque enim planè demonſtrant admirabilis partium varietas, conſpiratio, uſus, & opportunitas. Cùm enim ad ſuos quæque fines dirigantur, aut ſuo, aut alieno conſilio: non ſuo, ergo alieno; at cujus conſilio gubernantur, iſte eſt, inquam, quem univerſi Dominum, & Rectorem appellamus. Quâ ratione cùm inſtituatur diſputatio (ut ſuperiùs inſtituimus) quocunque ſe vertant, quomodocunque ingenia torqueant, quaſcunque fabulas mechanicas fingant, nováſque indies hypotheſes extundant, ſciant mechanici, res nolle, niſi ſuâ ratione, explicari. Si enim cauſam rationis compotem, quocunque nomine appellaverint, adhibeant, Deus eſt: ſi negent, cùm bruta ſit, quæcunque ſit, non curamus. Etiamſi verò arduum non ſit, longum tamen foret ſingula cujuſque inſomnia inſectari, cùm ſuo quemque gaudere, atque omnes communi iſto morbo correptos eſſe, ut ſoli veritatis inventores habeantur, ſæpius dictum, & dicendum eſt. Poſtremò autem opus inutile fore, ſi ſeorſim omnes redarguantur, liquet, quod etiamſi ſuam quiſque hypotheſin anteferri velit, omnia tamen brutâ materiâ facta fuiſſe conſenſerint. Quâ opinione cùm conſpirarunt, tantillum à ſe invicem diſſensêre, ut, qui unius hypotheſin convellat, ſimul omnes omnium labefactet. Ita ſumptâ Epicureâ, aliâve quâcunque, quæ rerum condendarum artificium ſine artifice expedire conatur, omnia quæ adverſus unam diſputantur, alias quaſcunque omnes, ſi ad eas referre placet, perinde ac eam planè, ac funditus ſubvertunt. Cùm ad propriam cujuſque veſaniam redarguendam tot, tantáque afferantur providentiæ ſpecimina, quæ neque iſto, neque quovis alio modo, ſine præſtantiſſimo conſilio aut fieri, aut quidem omnino eſſe potuerunt. Tametſi enim excogitari poſſit hypotheſis, ad cujus normam minori caſuum complexione fiant, tamen quo caſus paucio-

res

res ſequuntur, eo plures anteirent; cùm res eo ſtatu poſitas eſſe ſumat, quo ut ponantur, aut cauſa rationis particeps, aut nihilo facilior caſuum complexio poſtularetur (id quod de Carteſianâ, quibus Epicuream corrigit, poſtea demonſtrabimus) adeo ut ſecluſis ratione, & conſilio, perinde portentoſæ ſint omnes, ſi ab exordio ad exitum inſectemur. Tres itaque principes, & quaſi Belli primipilos, adoriar; Epicurum, Carteſium, & Ariſtotelem, quibus ſubactis, eorum fortunas cæteri, tanquam milites gregarii, ſequentur. Primùm enim quanquam homo admodum indoctus ſit Epicurus, atque quidem propter inſcitiam è philoſophorum choro tollendus; cùm tamen præclaram nominis famam, atque exiſtimationem, ſtatim apud ſuos conſecutus ſit, diúque apud poſteros retinuerit; cùm deinde in illius ſolâ diſciplinâ omnia Leucippi, Democriti, aliorúmque antiquiorum, qui ex iiſdem principiis hunc mundi ornatum confecerunt, ſuperſint flagitia; cùm denique vir omni doctrinâ eruditus, & quo nulla fortè ætas doctiorem tulit, eam magno labore, atque maxima eruditione nuper inſtauraverit; has omnes ob cauſas, utcunque ipſe rerum imperitus ſit, cùm ſummum inter mechanicos principatum obtinuerit, ab omni authoritate eum primum exui oportere putavi. Huic proximum Carteſium adortus ſum, quòd quidem maximus ſit mechaniſmi artifex, atque mechanicorum omnium reverà princeps; neque, ut Epicurus rerum omnium rudis, ſed ſcientiis mathematicis optimè inſtructus, ad philoſophiam acceſſit. Atque cùm acerrimo fuerit ingenio, ſummum, quod hâc provinciâ fieri poſſit, ab illo factum jure expectare poſſimus. Et denique cùm eo acumine hypotheſin ſuam confecerit, ut multi magníque philoſophi rem planè confeciſſe putent; Hunc itaque, cùm omnibus anteponatur, ante omnes redarguendum duxi, ut, ſi ille cùm omni ſuo Geometriæ apparatu, atque ingenii ſolertiâ nihil fecerit, rem omnino fieri poſſe impoſterum deſperemus. Poſtremò autem cùm aliis omnibus nominis authoritatem Ariſtoteles eripuerit, atque & olim in ſummo pretio habitus ſit, & nunc habeatur; cùm deinde ipſe aliam à mechanicis viam inierit, atque fato, ut illi fortunâ uſus eſt, ſive ut illi fortuitâ materiæ concurſione mundum effecerunt, ipſe eundem nun-

quam esse ortum omniáque, quæ fiunt, nullâ providentiæ vi, sed solâ causarum naturalium serie evenire sensit; cùm igitur singulari ratione philosophatus sit, singulari disputatione omnem illius disciplinam funditus pro viribus postremò conatus sum evertere. Hoc autem triumviratu devicto, atque omnibus eorum copiis profligatis, bellum, ut spero, in omnia secula confecimus, cùm sub eorum aquilis pene alii omnes stipendia mereantur; aut, si qui sint, qui eorum alteri non accedant, tam imbelles sunt, atque in philosophiâ inermes, ut prorsus digni non sint, qui debellentur.

SECT. III. Imprimis autem Epicurum quod attinet, ipse innumerabilibus mundis extruendis infinitam atomorum vim undique per inane infinitum diffusam præstò habuit; quibus duplicem motum tribuit, perpendicularem alterum, alterum obliquum: atque perpendiculari corpuscula desuper è regione vertici nostro imminente, deorsum suo pondere ad lineam ferri voluit; quo quoniam motu licet in infinitum abeuntia nunquam coirent, alterum itaque obliquum commentus est, quo particulæ perpaulum deflectentes aliæ in alias inciderent, atque adeo, nescio quâ, fortunâ singulas occurrere, mutuis ictibus modo retro resilire, modo obliquè deflecti, innumeris repercussionibus hinc inde agitari, variísque demum luctis invicem irretiri donec usque tandem in innumerabiles moles, quarum una est hæc mundi machina, coaluissent. Hæc vestra, Epicurei (ut vocant Geometræ) postulata sunt. Primum autem miror vos eâ, quâ soletis arrogantiâ vestrum effatum sumpsisse, è nihilo oriri nihil, sed ex atomis sempiternis omnia, atque alios fere omnes eâdem facilitate, si res physicè agatur, idem ut sumatis, concessisse. Unquámne, quid sit atomus, cogitastis? Aut quanta sit perfectio solâ naturæ suæ virtute existendi necessitas? Exigua ista res est, pulvisculo calceis hærenti, similis, nullis qualitatibus, nisi figurâ, pondere, & magnitudine prædita, omni vi vitali, atque agendi facultate carens; quis ergo rei tam vili, tamque ignobili, qui illius naturam omnino expendat, perfectionem omnium præstantissimam convenire dixerit? Ut enim natura omni perfectione absoluta ob infinitam sui vim atque præstantiam sempiter-

ternam vitæ necessitatem in se habeat, intelligimus, quod eam unà cum reliquis omnium virtutum momentis, summæ perfectionis comprehensione complectatur, & nisi complectatur, quî suâ solâ virtute existat, non intelligimus; ut enim à summâ perfectione (si ita dicam) oritur existendi necessitas, ita nisi ab eâ oriri nequit. Quod enim à se existit, nihil habet à quo circumscribi potest; non à se, quoniam sui causa non est, non ab alio, quoniam (ut res factæ à suis causis circumscribuntur) nullam extra se causam quæ suum perfectionis modum definiat, habere potest. Saltem nisi summæ perfectionis ratione existat, nulla ratio est quamobrem, potiusquam quidvis aliud existat. Cùm itaque re seriò expensâ quæ nullâ extra se causâ existunt, interminatam perfectionem in se habere necesse sit, an cuivis atomo, quâ nihil abjectius, nihil impotentius, tam insigne attributum, tantámque naturæ præstantiam tribuemus? Fingite solitariam atomum ex æterno tempore in immenso spatio habitare, an non atomus ista in vastâ suâ solitudine solivaga spectaculum perridiculum videretur? Eam ab omni parte circumspicite, & quid in eâ intueamini dicatis, ut à se solâ sempiternam stabilitatem habeat, ut hac figurâ, atque magnitudine potiusquam aliâ quâcunque fuerit, ut sine causâ in spatii immensitate, in quâ nec summum, nec medium, nec extremum sit, certum locum occupaverit; & denique, quî, cùm in certam quandam viam moveatur, nullum sit lineæ istius, quam motu suo descripsit, initium? At tamen si una sic fortè extiterit, cur non sola? cur aliæ innumerabiles simul extitêre? Cùm nullum iis invicem commercium intercessit, neque altera alterius causa fuit, neque pacto quovis in existentiam proruperunt, sed quælibet à qualibet soluta sibi ipsa principium extitit, ita ut sublatis aliis omnibus, non secus, acsi fuerint, necessariò extitisset. Atqui verò si Physico alienum videatur rem unicam, quæ mortua sit, omníque perfectione careat, sine causâ certo immensitatis loco extitisse, à se, nullo impellente movisse, motum nullo dirigente, in certam viam definiisse; quid est, quod innumerabiles aliæ seorsim eadem omnia sine causâ assequantur? Quanquam enim cujusque existentia necessaria sit, tamen cùm suâ quæque virtute existat, singulis fortuitum est, reliquas

liquas omnes extitiſſe. An non ſatius eſſe putatis unicam naturam quæ infinitâ ſua perfectione exiſtendi neceſſitatem in ſe habeat, quæque cùm ſummâ ſapientiâ polleat, præſtantiſſimam mundi œconomiam olim concinnaverit, quàm innumerabiles pulviſculos, quamvis nullâ eſſentiæ nobilitate antecellant, ſibi ſuæ exiſtentiæ cauſas eſſe, & quamvis omnis conſilii, & rationis expertes fuerint, omnem univerſi ordinem confeciſſe? Ipſe profectò, ſi nullâ aliâ ratione, hâc ſaltem cauſam quandam primam eſſe concluſeram, quod cauſam quandam eſſe neceſſe ſit, quæ ipſam inertis materiæ ſylvam procreaverit. Atque non modo primum phyſicæ decretum, ſed eidem anticipari oportere dicerem, è nihilo procreari omnia; quòd niſi causâ quâdam effectrice procreetur materia, è quibus fiunt omnia, res tam iners nunquam eſſe potuiſſet. Neque enim Phyſico turpius eſſe puto, ut res brutas, & mortuas, ſe in ordinem ſine causâ intellectrice diſpoſuiſſe dicat, quàm eaſdem ſempiternam exiſtentiam ſine causâ effectrice aſſecutas fuiſſe. Quas verò in phyſicis ruinas edet, ſi è nihilo quicquam fiat? Quod, inquiunt, è ſeminibus ſui generis progignantur omnia, alioqui quidque è quoque naſceretur, Εἰ μὴ γὰρ ἐγίνετο τὸ ἐκφαινόμενον ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, πᾶν ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἄν, σπερμάτων γε οὐδὲν προσδεόμενον, *Nam ſi quid è nihilo fieret, poſſet quidlibet è quolibet*, ſeu (vult Gaſſendus) *undelibet naſci, neque ſeminibus indigeret.*

Ep. Epiſt. ad Herod.

Lucret. lib. 1.

*Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibus rebus*
*Omne genus naſci poſſet, nil ſemine egeret,*
*E mare primum homines, è terrâ poſſet oriri*
*Squammigerum genus, & volucres erumpere cœlo.*

Quiſquámne autem, quæſo vos, ea, quæ naturæ viribus gignuntur, è nihilo procreari dixit? Quiſquámne animantia, in ſuo quodque genere, ſui ſimilia, ſine ſemine genuiſſe, aut novas arborum ſtirpes ſine materiâ extitiſſe negavit? Non de naturæ vi quærimus, an ipſa quicquam è nihilo efficiat, ſed de ipſius exordio, an è nihilo ipſa fiat. At ſic res veſtras ſemper agitis, Epicurei, cùm quod dicitis, probare non poſſitis, quod poteſtis, probandum ſumitis: Ita cùm alter ab hoc exordio inchoaverit;

*Nul-*

*Nullam rem è nihilo gigni divinitus unquam:*

Atq;alter ab hoc, Ipſum mundum, ne è nihilo fiat, ex atomis, quæ ipſæ ab æterno tempore fuêre,factum fuiſſe; ratione tamen quâ rem probare vellent,nihil aut ille de potentiâ divinâ, aut hic de mundi exordio, ſed uterque de vi, quam poſt mundum factum ipſe Deus rerum naturæ dedit. An verò non potuit Deus univerſum è nihilo creare, quòd è ſeminibus ſtirpes naſcantur? Argumentum ſanè Epicuri hortulis, & hortulanis dignum, è granis ficus, ergo & mundos procreari! At cùm tantum diſputando oblectemini, agite, diſputemus; Si è fortuitâ atomorum concurſione naſcantur omnia, cur non ex omnibus? Cur non è mari homines, è terrâ piſces, è cœlo armenta? Cur non è ficûs granis, vites, ex acino vinaceo, ficus? ſi enim nullâ certâ ratione fiant, cur non quidlibet è quolibet? Conſtantiæ nihil tam contrarium, quàm fortuna eſt, ſi ergo fortuitò fiant omnia, quamobrem eâdem ſemper, & conſtanti ratione? Atque igitur cùm rato, atque inviolabili ſuo ordine naſcantur, non caſu naſci demonſtratur. Unde admirabilem providentiæ vim eſſe concludendum eſt, quæ eam rebus omnibus vim dedit, ut ſui ſimile in ſuo quodque genere, ſumma arte, & quaſi manu efficiat. Cùm vero diſputatio de materiæ exiſtentiâ, pleriſque fortè nimis ſubtilis videatur, nimium urgere nolo. Sive itaque divinus naturæ artifex ſuam ipſe materiam fecerit, ſive paratum, & præſtò habuerit, eam tamen eâ artis ſolertiâ tractavit, ut non pulchriora in tabulis ſuis artis monumenta reliquerint Apelles, & Lyſippus. Atque ea eſt materiæ inertia, ut, ſi ſola fuerit, nullóque artifice tractata, innumerabilium iſtorum effectuum, qui in mundo cernuntur, ne unum quidem efficere potuiſſet; imò tantum eſſet, quo minus ſapienter agat, ut non poſſet quicquam omnino agere. Cùm itaque ne effati ſui authoritate nimium ſe efferant, non eam eſſe materiæ conditionem monuerim, ut ſuâ virtute extitiſſe facile concedatur, extitiſſe tamen detur, & ſi placet, dabimus.

SECT. IV. Quantum ergo illius apparatum innumerabilibus vestris mundis condendis præstò esse velitis. Finita nulla, quantacunque sit, quicquam efficiet; nisi enim sit infinita sive spatii immensitati æqualis, nusquam consistet. Sic Epicurus, Καὶ μὴν καὶ τῷ πλήθει τῶν σωμάτων ἄπειρόν ἐστι τὸ πᾶν, καὶ τῷ μεγέθει τοῦ κενοῦ· εἴτε γὰρ ἦν τὸ κενὸν ἄπειρον, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα, οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα, ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον κενὸν διεσπαρμένα, οὐκ ἔχοντα τὰ ὑπερείδοντα, καὶ στέλλοντα κατὰ τὰς ἀνακοπάς, &c. *At vero & corporum multitudine, & inanitatis magnitudine, universum est infinitum: sive enim inane infinitum, corpora finita fuissent, nullibi consisterent, sed in infinito inani dissipata ferrentur, cùm nihil haberent, cui niterentur, quódque eis impedimentum afferre possit,* &c. Sic Lucretius:

Ep. ad Herod.

*Ipsa modum porro sibi rerum summa parare*
*Ne possit, natura tenet: quia corpus inani,*
*Et quod inane autem est, finiri corpore cogit:*
*Ut sic alternis infinita omnia reddat.*
*At etiam alterutrum, nisi terminet alterum eorum,*
*Simplice naturâ, & pateat tantum immoderatum:*
*Nec mare, nec tellus, nec cœli lucida templa,*
*Nec mortale genus, nec divûm corpora sancta*
*Exiguum possent horai sistere tempus.*
*Nam dispulsa suo de cœtu materiai*
*Corpora ferrentur magnum per inane soluta,*
*Sive adeo potius nunquam concreta creâsset*
*Ullam rem, quoniam cogi disjecta nequisset.*

Lib. 1.

Cùm autem videritis quemadmodum nisi infinita fuerit atomorum multitudo, eas nullibi consistere potuisse, an non vidistis, quod si fuerit, nihil unquam nasci potuisse? Quippe infinita corpora æqualia sunt infinitis spatiis, & si æqualia sint, implent, si impleant intercipitur omnis naturæ vestræ motus, & actio; cùm vos, & rectè quidem, nullum, nisi per vacuum, motum, neque nisi per motum mutationem admiseritis. Si itaque immensa spatii magnitudo infinitâ corporum multitudine repleatur, eodem loco, eodémque statu, ab æterno in æternum permanerent omnia, cùm locum vacuum,

um, in quem movere poſſent, habere non potuiſſent; quatenus ne minima quidem ſit immenſitatis portio, quæ corpore ſibi æquali non teneatur: atqui intercepto omni motu tollitur omnis naturæ vis, & ratio, cùm nihil in omni æternitate, aut fieri, aut mutari potuiſſet. Ita ut, ſive finita, ſive infinita fuerit corporum multitudo (& nunc, Epicure, utrum mavis, accipias) tota ruat tua philoſophia; ſi finita, quid ſequitur, ipſe vidiſti, nullibi conſtare potuiſſe, ſed in infinito diſſipari, cùm nihil haberent, à quo ſiſterentur; ſi infinita, adeo loca omnia implerent, ut ne quidem atomus omnium minima, per omnem æternitatem, vel unius capilli latitudine movere potuiſſet.

Quanquam autem tam plenam, atque conſtipatam naturam feciſtis, ut inane veſtrum infinitum, quo ſublato nihil fieri poſſit, prorſus ſuſtuleritis. Ita enim completa, & conferta ſunt omnia, ut ne quidem una atomus movere poſſe incipiat, niſi prius corpus immenſum ſuâ immenſitate cedat; quamdiu enim ſuo loco immotum hæreat, nullus corpore vacat locus, in quem abire poſſit; ſi ergo moveatur, extra immenſitatem, cùm antea ipſam totam occuparet, abeat neceſſe eſt. Adeo ut, quanquam primo hoc impetu, quo tollitur omnis motus, diſputationi finem fecerimus, tamen quoniam cum Epicureis res eſt, quicquid obtinuerim, illiberalis ſim, ſi lucro poſuero, præſertim cùm in quoque capite, eas edatis ruinas, quibus tota diſciplina opprimatur. Atque id veſtræ ſapientiæ ſingulare decus eſt, tum neque partem quamvis parti, neque toti convenire. Reſtitutâ ergo inanitate, ut atomis veſtris detur per eam ſe movendi libertas, Quod, quæſo, iis motûs principium dare poſſitis? Gravitate ſuâ moveri, inquit Epicurus. Atque id profectò Democrito ſapientius, quanquam alia omnia ab illo accepta, cùm meliora feciſſe vellet, deteriora fecit. Ipſe enim cùm atomis motum tribuit, nullam iiſdem vim motricem conceſſit. Cenſuit enim πρῶτα σώματα βάρος μὲν οὐκ ἔχειν, κινεῖσθαι δὲ κατ' ἀλληλοτυπίαν ἐν τῷ ἀπείρῳ, *Prima corpora gravitate carere, mutuo autem ſe pellendo per infinitum moveri*: Δημόκριτος μὲν γὰρ ἔλεγε δύο [τοῖς σώμασι συμβεβηκέναι] ὁ δ' Ἐπίκουρος τούτοις καὶ τρίτον τὸ βάρος ἐπέθηκεν. *Democritus corporibus magnitudinem, & figuram tribuit, quibus duobus Epicurus tertium,*

Stob. Eclog. phyſ. l. 1. c. 17.

De placit. l. 1. c. 3.



*pondus*

*pondus scilicet, adjecit.* Quo autem, Democrite, principio motum primùm cieri putas? Motum enim sequitur impulsus, nisi itaque prius moveantur, sibi mutuò nunquam poterant impegisse. Atque idcirco primi motûs, qui in omnibus ante omnem cum aliis conflictionem cietur, causam, aut vim internam, aut exteriùs inditam esse fatendum est. Cùm itaque externum nullum impulsorem sciverit Democritus, vim quandam internam agnovisse oportebat, quod cùm non fecerit, motum sine vi motrice inchoavit. Quanquam autem unico hoc loco Democrito Epicurus plus sapuisse, vel potius minus desipuisse videatur, nihilo tamen facilius erit atomis vim motricem, sine externo impulsore, quàm motum iisdem, sine vi motrice, dare. Primùm enim communi hominum experientiæ obluctatur, cùm ex omnis motûs, qui à gravitate nascitur, inæquabilitate extrinsecus impressam esse intelligamus. Atque gravium motum quo longiùs decidant, eo magis accelerari novit Lucretius.

Lib. 6.

*Quod longo venit impete: sumere debet*
*Mobilitatem: etiam atque etiam quæ crescit eundo.*
*Et validas auget vires, & roborat ictum.*

Alii autem accelerationem triplici (ut vocant) proportione semper fieri experti fuere; ut, si lapis primo casûs momento unam orgyiam percurrat, tres secundo percurret, tertio quinque, quarto septem; & sic deinceps. Proinde motus gravium inæquabilis cùm sit, à vi insitâ cieri nequit, nam vis interna eadem semper est, eodémque impetu semper agit, cùm suas vires pro arbitrio, neque cohibere, neque vehementiùs exercere valeat, quòd non ex electione, sed è naturali necessitate operetur. Unde planè efficitur, motum deorsum (undecunque oriatur) non posse à principio interno oriri: quod nempe quicquid innatum est, eodem vigore semper operetur, deciduorum autem omnium descensus impari vigore peragatur. Quid quod præterea, cùm quoquam momento accedat celeritatis incrementum, cúmque atomi ab æterno tempore deciderint, an non infinitos celeritatis gradus antehac adeptæ essent? si enim quolibet momento, gradu uno, & altero accelerentur, fieret tandem, ut quolibet infinitum

finitum

finitum ſpatium percurrant, nempe cùm infinities celeriori pernicitate, quàm primo momento præcipitentur; eodem certè temporis ſpatio, poſt infinita ſecula infinities majus inanitatis ſpatium non poſſunt; non tranſire, at ſi quovis momento immenſitatem pertranſeunt, dic ubi locus, in quem proximo movere poſſent, patere potuiſſet? En verò (ne iſta fortè nimis ſubtilia ſequar) quàm mechanicè omnem rerum naturæ vim, & rationem tandem enarraverit veritatis Pater, & inventor! Nempe cùm vulgo Ariſtotelis authoritate in qualitatibus ſiſtatur, nollet Epicurus tam jejunè philoſophari, ſed materiâ, atque motu omnem naturæ rationem mechanicâ neceſſitate conficere pollicetur. Egregium quidem facinus, atque gentis Graiæ decore dignum! Atqui priuſquam conficias, dic, quæſo, Epicure, quâ vi mechanicâ inchoetur motus; dicam, inquit, & ridet vir facetus, ab internâ gravitatis qualitate. Hoccine ergo eſt quòd qualitates omnes tantâ fiduciâ conculcaveris, & philoſophos omnes, qui nihil ſupra eas ſapiunt, tanto faſtu exceperis, ut tandem omnium mechanicarum virium energia in, neſcio quam, cæcam, & occultam qualitatem devolvatur? Satius profectò fuiſſet, à principio in iis acquieſcere, quàm poſt tantum mechaniſmi apparatum, nullum omnino totius operæ exitum, niſi ad eas redeundo, invenire.

SECT. V. At quid ſit iſta gravitatis qualitas? Vis interna, quâ ſe atomus per ſeipſam movere poteſt. At quæ ſit iſta vis? An facultas, quam excitando atomi ſe deorſum propellunt? Vitam ergo, & mentem habent; utrâque enim niſi præditæ ſint, quî facultatem ad vim ſuam eliciendam ipſæ cierent? An ab ipsâ corporis ſoliditate oriatur, adeo ut natura quæque corporea ſolâ ſuâ craſſitudine deorſum propendeat? Eſto: Cujuſque ergo rei motum ſuæ moli reſpondere oportet, ut, quæ exiguâ mole ſunt tardigrado motu, quæ magna eò celeriori ferantur, atomi itaque motum moli conferamus. Eâ autem exilitate ſunt ſolitariæ, ut nullâ ſenſuum acie percipiantur, imò tam longè omne eorum acumen effugiunt, ut quidem multarum complexiones ipſi viſui, quanquam ſit omnium acutiſſimus, non appareant. Quot membris tùm externis, tùm internis Acari corpuſculum compingi-

pingitur, non pauciora habet, quàm ingens Elephanti fabrica, ne quidem exceptâ proboſcide.

Lib. 4.

*Horum inteſtinum quodvis quale eſſe putandum eſt?*
*Quid cordis globus, aut oculi? quid membra? quid artus?*
*Quantula ſunt? Quid præterea primordia quæque*
*Unde anima, atque animi conſtet natura neceſſum eſt.*

Quantâ deinde atomorum multitudine ſingulæ partes conſtituuntur, cùm præter ipſam animalis molem, ubique pilis, & ſetis muniatur. Ingens tamen iſta bellua, è tam innumerabilibus atomis conflata nobis, cùm aſpexerimus, puncti inſtar videtur. Cùm autem hæc ſit atomorum magnitudo, quæ ſit ad eam motûs ratio, videamus; eâ autem pernicitate deferuntur, ut temporis momento immenſum pene ſpatium conficiant. Καὶ μὴν καὶ ἡ διὰ τοῦ κενοῦ φορὰ κατὰ μηδεμίαν ἀπάντησιν τῶν ἀντικοψάντων γινομένη, πᾶν μῆκος περιληπτὸν ἐν ἀπερινοήτῳ χρόνῳ συντελεῖ. *Motus atomorum per ſpatium inane, in quo nihil occurrit, quod ipſum occurſu ſuo, aut retundat, aut impediat, ejus eſt pernicitatis, ut quodvis cogitabile ſpatium tempore inexcogitabiliter brevi conficiat.* Atque igitur Lucretius earundem motum quamdiu ſpatio libero feruntur, lucis trajectionem celeritate ſuperare deſcripſit.

Ep. ad Herod.

Lib. 2.

*Debent nimirum præcellere mobilitate,*
*Et multò citius ferri, quàm lumina ſolis,*
*Multiplexque loci ſpatium tranſcurrere eodem*
*Tempore, quo ſolis pervolgant fulgura cœlum.*

Niſi enim tam incredibili celeritate moveantur, non intelligunt quî lux, quam atomorum effluxione propagari cenſent, ab aſtris per immenſa ſpatia momento ad nos perveniat. Quiſquámne verò tantam vim ponderis rebus tam exiguis incluſam eſſe putat? Quiſquámne atomo cuivis plus ponderis, quàm lapidi molari ineſſe cenſet? Lapidi molari dixi? Terræ moli dicere oportebat. Ipſa enim, ſi huc è cœlo deciderat, majori, quàm radii ſolares, celeritate curſum ſuum abſolviſſe non potuerat. Si verò atomis ſuis motum tardiorem tribuant, quid fiet de luce, de calore, de ſimula-

mulachris, de ſpeciebus, de omnibus ſenſuum phænomenis, quæ nihil, niſi atomorum incredibili hac celeritate volitantium contexturas eſſe volunt? In eas anguſtias ſe adduxit homo imperitus, ut, aut omnem ſuam diſciplinam perdat, aut cuivis pulviſculo immenſum pondus, quo majus non habet terræ globus, ineſſe dicat. At nihil conſideratè dixit, ſed tam cruda omnia effutiit, ut non tam mente, quàm ventriculo, eructata putarem. Neque enim unquam cogitat, an convenienter, aut rerum naturæ aut ipſe ſibi loquatur, ſed eodem argumento contrariis contraria convenire facit; quod ſequitur cùm eo quod præceſſit, tantum abeſt, ut conveniat, ut in re quâque contra quàm ipſe concluſerit, ſi hoc ſit, illud non eſſe ſemper ſequatur. Atque ita cùm omnem atomorum motum ab internâ gravitate provenire, atque atomos alias aliis graviores eſſe ſtatuerit; continuò omnes, quamdiu per inane feruntur, pari celeritate ferri monuit. Καὶ μὴν καὶ ἰσοταχεῖς ἀναγκαῖον τὰς ἀτόμους εἶναι, ὅταν διὰ τοῦ κενοῦ εἰσφέρονται, μηδενὸς ἀντικόπτοντος. *Verum etiam atomos æquiveloces eſſe neceſſe eſt, quamdiu per inane feruntur, neque quicquam eſt, quod earum impetum retundat.*

Ep. ad Herod.

*——Nulli de nullâ parte, neque ullo*
*Tempore inane poteſt vacuum ſubſiſtere rei,*
*Quin ſua quod natura petit, concedere pergat.*
*Omnia quapropter debent per inane quietum*
*Æque ponderibus non æquis concita ferri.*

Lib. 2.

Quiſquámne dubitaret hos homines quicquam tam, quàm ſibi contravenire conari? Quid enim apertius eſſe potuit, quàm ſi motus à ſolâ gravitate fiat, quo fortior ſit gravitatis vis, eò vehementiorem eſſe motûs impetum, ut, ſi ſuo pondere quælibet atomus certâ celeritatis ratione moveatur, an non altera, quæ duplo gravior ſit, duplò celeriùs movebitur? Alioqui dimidia iſta virtus, quâ alteram ſuperat, nullius ponderis dicenda eſt, i. e. quanquam duplò ſit gravior, nihil tamen plus gravitatis habere. Atquî tamen ratione, quâ nobile effatum ſtabilire vellet, ſe ipſe multò ſuperare videtur. Atomos quamdiu impari pondere per inane feruntur, idcirco æquiveloces eſſe, quòd in eo nihil ſit, quod earum impetum

petum retundat. Quis enim, nisi ipse Epicurus, non concluserat omnes eo impetu, quem sua cuique natura dedit moveri, cùm in medio nihil sit, quod motum aut adjuvet, aut impediat, sicubi ergo impar reperiatur pondus, ea per inane impari impetu, pro diversâ sui ponderis ratione, ferri necesse est. Quin etiam quid si spatium inane pari facilitate, tam levibus, quàm gravibus locum cedat, an sit propterea motûs causa? Si non sit, certè non ab æquali spatii libertate sed à dispari gravitatis vi inæqualitatis ratio petenda est. Si quidem gravitatis vim exteriùs inditam esse, si medium per quod moverent, ubique pro majori impressione, eò magis obstare dixerat, probabili fortè conclusione argumenti exitum invenerat, atque eventûs causas probabiles, quamvis non potuit ipse, quivis, qui porcus non sit, afferre posset. Cùm verò æqualitatem motûs ab inæquali pondere per æquale medium concluserit, intelligimus hominem indoctum non prorsus sine causâ, ut alias omnes, ita & disserendi artem contempsisse. Cùm autem tam confertim tantâque ubertate in hortulis hujusmodi Lolia nascantur, singulis extirpandis non nimis hærendum est, unico itaque ictu, quæ supersunt, cætera excindam. Cùm ergo pari velocitate omnes ferri decreverit, alias tamen aliis non modo obliquè, sed rectâ lineâ incidere statuit. Si autem æquali passu moventur, semper eandem ad invicem tuentur distantiam, atque idcirco nisi ab initio coiverant, nunquam coire possent. Tum deinde cùm hoc occursu quasdam velit eo impetu in contrariam viam reflecti, ut naturalem nunquam repetant, nisi in eam aliis occurrentibus impellantur. Quî, quæso, ipsæ sibi invicem obstare possent, cùm uno communi ponderis impetu deorsum nitantur omnes; adeo ut, si fortè altera in alteram illideret, istam vehementius præcipitaret; ipsa autem nequaquam resiliret, cùm quam impellet, sponte naturæ deorsum cedat, vel si fortè paulolum reflecti contigerit, nihilominus naturalis gravitatis nisu à repercussionis vi redempta statim rursus deorsum protruderetur

*——Durissima cùm sit*
*Ponderibus solidis——*

Cùm

Cùm verò postquam innato pondere in certam viam tanto impetu præcipitari statuerat; si tamen aliæ aliis occurrant, aut solum incidant in contrariam, eâ vehementiâ flecti, ut naturalem nunquam repetant, quanquam in eam ingenitâ propensione ferantur, mortalium certè nemo, nisi ipse, qui insulsè omnia, dicere potuerat.

Detur autem (& mille alia, imo exceptâ re solâ de quâ disputatur, omnia, sine periculo dare licebit) esse gravitatem vim ingenitam, eâque aliquò atomos impelli. Unde tamen huc potiusquàm illuc, gravitatis indoles propendeat? an, quoniam ab alterâ parte superum jacet, ab alterâ inferum? Quî autem in immensitate supra, & infra, sursum, & deorsum inveniri possunt? aut si sint, cur ab hac, quàm ab illâ parte, ab unâ, quàm ab omni jaceant? Cur ergo in hanc, relictâ istâ immensi atomorum imbres corruerent? Cur non quævis huc ruens in oppositam regionem avolare poterat, cùm nulla ratio sit, quin perinde inferior habeatur, ac illa in quam abire contigit? An quòd Lucretio definire placuerit,

*—— Nullam rem posse suâ vi,*
*Corpoream sursum ferri, sursumque meare.* Lib. 2.

Præclaré! Quamobrem autem in infinito hic locus sursum, ille deorsum dicatur? at satis se fecisse putat Poeta, cùm id quî fiat dicere oportet, si solum sic esse asserat, quanquam nulla aut causa, aut ratio sit, quæ hanc regionem sursum esse, istam deorsum definiat. Si quidem centrum, aut medium foret, quo tenderent, id deorsum dici potuit, atque ita vulgari hominum consensu istis vocibus uti solemus; quæ ad centrum ferri intuemur, deorsum moveri dicimus, quæ à centro sursum; at in spatio ubi nullum sit aut medium, aut extremum, qui de locis sursum, & deorsum loquuntur, voces quidem tritas, & usitatas afferunt, at eo quo fine ipsi afferunt, nihil significare non animadvertunt. Atqui in immensitate dentur loci sursum, & deorsum, quamobrem tamen atomi uno consensu omnes in hanc potiusquàm istam regionem se dederint? si extra locum suum corporeâ soliditate ferantur, cur verò eâdem viâ omnes? An spatium quod inferius dicitur, deorsum trahat? at cùm

inane sit, quî quicquam valeat? aut si quæ inanitati vis inesse possit, quamobrem non eadem ubique? An ipsa corpora sponte ferantur? quamobrem verò, cùm ubi locorum sint, iis perinde sit, tanto impetu locum alterum petant, alterum aversentur? Si rem, ut philosophos decet, æstimare vellent, nullam causam, quæ earum motum definiat, invenirent, nisi aut in certam viam externo impulsore mittantur, aut internâ suâ libertate viam alteram, cùm alteram possent, elegerint. Egregiè autem Gassendus (qui se indocti magistri vice sæpius vapulandum dedit) rem explicasse se putat, cùm sæpius repetat, quanquam in immensitate regiones sursum, & deorsum suâ naturâ non definiantur, eam tamen regionem sursum appellari, è qua adveniunt atomi, eam deorsum, in quam abeunt. Atque ita profectò post ingentes hiatus, Epicurei nihil semper dicere solebant. En enim totius rei ab initio ad exitum hypothesin! Si percontemur quid sit quod atomos moveat? à gravitate moveri inquiunt. Si quid sit ista gravitas? Est quædam atomis innata qualitas, quâ deorsum feruntur. Quo responso non acrius rem expediunt, quàm si dicant, deorsum moveri, quòd deorsum moveantur. At si omnino moveantur, cur huc potiusquàm illuc? Quia gravitatis indoles sit deorsum ferri. At cur in immensitate deorsum ab hac potiusquàm ab illâ parte jaceat? Quòd inquit Gassendus (nam magistro extremâ suâ difficultate auxilium ferre vellet) eò ferantur atomi. Atq; ita tandem post tot egregios ingenii conatus, res eò perducta est, atomos huc moveri, quòd deorsum sit, & deorsum esse quòd huc moveantur atomi. Plaudite.

SECT. VI. Hactenus de atomorum naturâ, earúmque motu naturali diximus: de motu autem declinationis non opus est multa dicamus, cùm non modo ad libidinem & sine causâ fingatur, sed alterum motum, quem naturalem, & ingenitum esse statuunt, sine causâ planè eripiat: quippe si atomi suo pondere ad lineam moveantur, à se declinare non possent, vel si à se declinationem habeant, gravitate naturali ferri non possent ad perpendiculum. Rem verò totam acriter, & copiosè redarguit Cicero. *Censet* (inquit) *eadem illa individua, & solida corpora ferri suo deorsum*

De Fin. l. 1.

*sum*

*sum pondere ad lineam, hunc naturalem esse omnium corporum motum. Deinde ibidem homo acutus, cùm illud occurreret, si omnia deorsum è regione ferrentur, &, ut dixi, ad lineam, nunquam fore, ut atomus altera alteram posset attingere. Itaque rem attulit commentitiam; declinare dixit atomum perpaulum, quo nihil possit fieri minus: ita effici complexiones, & copulationes, & adhæsiones atomorum inter se, ex quo efficeretur mundus, omnesque partes mundi, quæque in eo essent. Quæ cùm res tota ficta sit pueriliter, tum ne efficit quidem quod vult. Nam & ipsa declinatio ad libidinem fingitur (ait enim declinare atomum sine causâ, quo nihil turpius Physico quàm fieri sine causâ quicquam dicere) & illum motum naturalem omnium ponderum, ut ipse constituit, è regione inferiorem locum petentium sine causâ eripuit atomis. Nec tamen id cujus causâ hæc finxerat assecutus est, nam si omnes atomi declinabunt, nullæ unquam cohærescent: sive aliæ declinabunt; aliæ suo nutu rectè ferentur, primùm erit hoc quasi* provincias *atomis dare, quæ rectè, quæ obliquè ferantur.* Præclara sanè disputatio, atque ipso Cicerone digna. Quid ergo respondeatis Epicurei? Quid enim risu & sibilis dignius esse possit, quàm ut qui rerum causas ingenti supercilio investigare præ se ferat, quidvis non modo citra, sed contra vim naturæ comminiscatur? Quid Physico turpius esse potuit, quàm ut cùm primùm atomos naturali suâ gravitate ad perpendiculum ferri dixerat, easdem tamen, cùm non modo nihil sit, quod declinationem efficiat, sed etiam cùm naturale pondus eidem repugnet, declinare dicat? An non pudeat tam insulsi magistri, qui ista non modo dicat, sed tantâ fiduciâ dicat: nisi enim incredibili stupiditate oppressus fuerat, stultum esse, qui talia diceret, nescire non potuit; atquî cùm animo elato, Democriti contemptu, superciliorum contractione exultans diceret, communi se hominum sensu caruisse ostendit. Causatur tamen Gassendus, (& dolet quidem tantum virum omnem suam eruditionem homine indocto defendendo tam demissè tamque inutiliter abjecisse.) Quid autem ipse? " Eam esse ingenii humani imbecillitatem, ut objici idem nemini non " possit. Nam in concretionibus quidem, seu in rebus com- " positis reddere rationem diversarum affectionum, ex as- " sumptis principiis, aliquatenus possumus; at de ipsis prin-

Phys. Sect. 1. l. 3. c. 7.

" principiis dicere nihil aliud licet, nisi quòd hæc isto, illa
" illo modo se habeant ex suæ naturæ necessitate, cùm igno-
" remus germanam causam ob quam ita se habeant, imò cùm
" ea frustra quæratur nisi sit eundum in infinitum: Adeo ut
" proinde non modo Epicuro, sed Peripateticis, & Stoicis,
" & cæteris objicere liceat, provincias ipsos principiis dare,
" quòd dicere nequeant, quare materia iners sit, causa actu-
" osa, imò neque cur ignis calidus, terra gravis. Ac nemo
" quoque dicere valeat quorsum astra omnia non ferantur
" motu Æquatori parallelo, sed quorundam motus in obli-
" quum sit; quorsum item omnes Planetæ per Eclipticam,
" aut motu saltem ipsi parallelo non incedant, sed quædam
" obliquè ad ipsam ferantur: cùm quicquid demum respon-
" deatur, constet hoc esse provincias dare, non veram cau-
" sam dicere. Atquî vir erudite, hebetior est tuus Epicu-
rus, quàm ut omni tuo acumine, aut defendi, aut excusari
possit; scire enim debuisti (& quidem optimè nosti, nisi
quod dissimulare, & ultro hallucinari velis, quo melius vi-
rum oscitantem quodammodo excusare videaris) hæc à Ci-
cerone objici, non quòd Physico turpe reputaret principiis
provincias dari, sed, ut ab Epicuro tuo dantur, sine causâ
dari. Cùm enim finxerit atomorum alias rectè, alias obliquè
ferri, an non ineptè finxit, cùm nulla sit causa quæ illas in-
clinare fecit, quin quæ reliquas quoque omnes inflecteret?
Atque hoc est quod ei summo jure vir doctus exprobra-
vit, non quod principiis suis suas dederit provincias, sed
quod pro libidine, & absque causâ dederit: cùm alioqui
principiorum provincias scire, id ipsum sit, quod præcipuè
quærunt Physici, in quo tamen nihil proficiunt, nisi pro-
vinciarum quoque causam assequantur; quæ nisi Deus fu-
erit, qui omnia in certos usus, & fines procreavit, etiamsi
ut ais, Gassende, in infinitum iverint, nullam tandem cau-
sam invenient; sin in eo sistatur, veram & germanam omni-
um tum principiorum, tum provinciarum causam invenére.
Cùm ergo idem Peripateticis, & Stoicis, & cæteris objici
posse, inquis, jure inquam, omnibus objici debere, qui prin-
cipiis suis provincias, nullo autem authore assignatas, de-
derunt. Si ergo Peripatetici, aut Stoici, aut quivis alii
varias variis naturæ partibus distributas esse velint, atque
nullâ

nullâ interim causâ usi sunt, quæ illas, ut visum est, dispo-suerit, eodem quo vos crimine versantur omnes. Et qui-dem quemadmodum nugati sint, qui, quamobrem terra gra-vis sit, causis mechanicis explicare vellent, jam ante dixi-mus, & quantas ipse speciatim Aristoteles in eâdem re nu-gas egerit, inferius dicemus. Atque quidem siqui post-hac ejusdem rationem alio quocunque modo eruere labo-raverint, nisi tandem in numinis consilium devolvi patien-tur, aut iisdem, aut similibus ineptiis irretiri se semper sen-tient. Quid ergo, inquies, Philosophiâ opus est, si nodi om-nes hoc uno ictu disrumpantur, sic voluisse Deum? Imò Philosophiæ munus esse dicimus primum rerum opificem in-vestigare; tum deinde quâ arte naturæ ordinem instituerit, quásque rebus facultates, seu (ut à Cicerone appellantur) provincias dederit. Atque hoc est, quod philosophis ne-gotium facessit, ut quo instituto, quâ causarum serie, qui-bus rerum viribus efficiantur naturæ opera, intelligant. At-que sive mechanismo, sive alio quocunque modo fiant, aut ad opificis artem referre oportebit, aut ad nihil. Cùm au-tem in solius materiæ se suâ sponte fabricantis mechanismum omnem omnium rerum rationem refundatis, perinde agitis, ac si quis, cùm deprehendat, quo apparatu, & quibus or-ganis automaton quodvis motus suos obeat, & usu suo fun-gatur, explicatum statim iret, quibus materiæ legibus ipsa machina se ipsam in talem fabricam disposuerit; quod ip-sum est, quod mechanicam stultitiam, & credulitatem esse dicimus. Cùm verò pergas neminem dicere valere, quor-sum Planetæ omnes non motu Æquatori parallelo, sed obli-què per Eclipticam ferantur; quanquam in Epicuri causâ nihil melius dici possit, tamen ab homine acerrimi ingenii dictum non putarem; quod enim motu Æquatori parallelo non incedant, nihil responderi potest, nisi quod istâ motûs ratione suis, quas summus opifex cuique præscripsit, pro-vinciis fungantur. Suas itaque provincias cùm obtinuerint, nonne planè vides eam motus cujusque obliqui causam esse, quæ istâ ratione moveri velit, ut fines, ad quos in eorum mo-tibus constituendis respexit, assequantur. Atque hoc est, quod ubique dicimus, sublato numine, omnem quoque tol-li philosophiam, quòd sine eo, ne quidem unius phænome-

ni ratio solvi potuisset. Etenim cùm in ipsam (ut inquis) naturæ necessitatem venerimus, quæ causarum naturalium prima sit; superest adhuc sciscitandum, quæ, aut unde ista necessitas; si à Deo petamus, soluta res est, sin alias, tandem tota causarum series in nullam causam devolvitur. Quid enim ista naturæ necessitas, nisi ipsa causarum naturalium series, ut planè istâ responsione nihil melius dicatur, quàm res omnes eo quod sic se habeant, sic se habere. Atque etiamsi sit necessitas ista non ipsa natura, sed quoddam quasi naturæ principium, nulla tamen causa idonea fuerat, quæ hanc, quam cernimus, naturæ seriem instituerit: Cùm enim summâ utilitate constituta sint omnia, causam à vobis impetramus, quamobrem, nisi ab effectore sapientissimo? Vestræ enim, si placet, Naturæ dabimus, ut quot, & quantacunque vultis, efficiat, ut tamen sapienter omnia, cùm nullo consilio utatur, unica res est, quam ut dicatis, ubique postulamus, atque vos omnes nihil dixisse, id ipsum est, quod contra omnes disputandum suscepimus. Quanquam igitur alii solas rerum utilitates, ad quas solas respexisse debent, in naturæ contemplatione præterierint, tuum tamen, Gasiende, neque acumen, neque candorem decet, nisi quod aliter defendi non potuit Epicurus, earum oblivisci. Si ergo ad eas respexisse velis, videras quî causam, quæ provincias dedit invenire, sit veram causam invenisse. Quanquam denique multò adhuc deterius ruat tuus Epicurus, qui rebus naturalibus, non modo provincias sine causâ, sed iisdem contrarias dedit. Cùm enim censuerit mundum ex atomis fieri, atomos coire, quòd quædam rectè, quædam obliquè ferantur. At quamobrem rectè aliæ, aliæ obliqué? An à naturæ necessitate? Hoc est, quod ei maximè exprobramus suas non modo ad libidinem, sed contra naturæ leges atomis provincias dare: Unde enim ista tam varia naturæ necessitas, quæ alias inclinare efficeret, alias rectè ferret, cùm naturæ necessitate rectè ferantur omnes? Quàm autem non dicam ignava, & inutilis sit ista philosophia, sed prorsus fatua, quâ post longam causarum, & effectuum seriem omnia tandem in causam primis ipsarum rerum facultatibus contrariam devolvantur. At quanquam principiis provincias sine causâ consultrice, ad libitum comminisci, ut soletis, puerile, & turpe existi-

existimemus; si tamen talis revera fuerit, quæ initio suam cuique proprietatem indidit, cogit ipsa rerum naturæ ratio, ut non modo rei cujusque provinciam, sed & provinciæ cujusque authorem investigemus. Quâ quidem viâ in Dei notitiam præcipuè ducimur; cùm enim rebus omnibus suas provincias assignari, & singula ad suum finem dirigi, suoque munere fungi videamus; aut res ipsæ inter se convenére, aut alieno consilio provincias suas accepére: Si hoc, Deus est, qui quodque ad suum finem direxit, & suam cuique provinciam dedit; sin istud, hoc non solum est atomis provincias, sed prudentiam, & rationem dare, quasi in consilium quandoque coiissent, atque quid agerent, inter se pacto, seu senatusconsulto quodam consensissent. Ita ut demum provincias inter se dividerent, atque ut rerum naturæ optimè expedire videbatur, suum quæque munus adiret. Sic cùm mundum fieri non potuisse intellexerint, si rectè omnes ingenitâ suâ gravitate deorsum ferrentur, idcirco pars vim naturæ sequi, pars contra vim naturæ declinare voluit, non aliter quàm ad magni architecti mentem egregiè quidem cecinit Lucretius.

*Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus,* Lib. 2.
*Corpora cum deorsum rectum per inane feruntur,*
*Ponderibus propriis incerto tempore fermè*
*Incertisque locis, spatio decedere paulùm*
*Tantum, quod minimum mutatum dicere possis:*
*Quod nisi declinare solerent, omnia deorsum*
*Imbris uti guttæ caderent per inane profundum:*
*Nec foret offensus natus, nec plaga creata*
*Principiis, ita nil unquam natura creasset.*

An verò norunt atomi mundum fieri non potuisse, nisi earum quædam à motu naturali declinarent? Si norunt, illarum cùm prudentiam, tum virtutem satis mirari non possumus, cùm naturali propensione ultro decesserint, quo melius universo consultum foret. Præclaras atomorum familias, nec minus quàm Deciorum illustres! quæ rebus suis posthabitis, se rei publicæ utilitatibus devoverunt, neque, ut ipsi, sibi hostium telis vim fieri passæ sunt, sed ipsæ sibi fecerunt.

cerunt. Si verò non norunt, quomodo quæso vos à naturali motu se aut huc, aut illuc cujusvis finis causâ, flectere potuissent? Quid autem responsi quicquam, in re quâque à vobis sciscitemur, qui quicquid dicitis, an cum iis quæ antecesserunt, aut secutura sunt, an cum rerum naturâ, aut sensuum experientiâ consentiat, curæ nihil habetis; sed modo cum unâ, modo cum alterâ, modo cum vobis, modo cum omnibus pugnantia cantatis: Ut quidem si communi hominum rationi bellum indicere velitis, philosophiam è pluribus contrariis, magísque inter se pugnantibus, conflare non potuissetis. Ita nunc cùm rerum naturam, contra naturæ vim, motûs obliqui auxilio, Poeta vester se absolvisse putat, ipsis, qui proximè sequuntur, versiculis, eundem abjicit; idque nullâ aliâ, aut majori, aut meliori ratione, nisi solùm quòd communi hominum experientiæ adversetur.

*Quare etiam atque etiam paulum inclinare necesse est*
*Corpora: nec plusquam minimum: ne fingere motus*
*Obliquos videamur: & id res vera refutet,*
*Namque hoc in promptu, manifestumque est videmus,*
*Pondera quantum in se est, non posse obliqua meare,*
*Ex supero cùm præcipitant: quod cernere possis.*
*Sed nihil omnino rectâ regione viai*
*Declinare, quis est qui possit cernere sese?*

Nec rectum, nec obliquum esse concedes? At sanè si neuter sit, omnino nullus est. Importunos homines! quoties, & quàm apertè ipsi contra se dicere sustinebunt, quàm quod semel temerè dixerunt, non defendere. Quanquam atomis naturale sit rectè ferri, non tamen rectè ferentur, *ne nil unquam natura creasset*. Tum deinde quanquam declinent, hoc est, obliquè ferantur, obliquè tamen ferri non dicendum est, quod *id res vera refutet*. Atque adeo præcipuo totius philosophiæ decreto, non modo ipsos secum apertissimè pugnare (id parum est) sed & manifestam contumeliam ipsi rerum naturæ communíque omnium experientiæ, inferre non pudet.

Quanquam autem hic motum obliquum, tum quod naturæ, tum quod experientiæ repugnet, explosisse videatur, tamen

tamen paulo post, cùm opus fuerit, eâdem fabulâ rursus magistrum secutus utitur; ut scilicet impositam rebus omnibus à Democrito necessitatem declinaret; si enim, inquit, motus certo ordine progrediatur, inevitabili lege fierent omnia, at cùm quædam liberè fieri videamus, incertum esse motuum ordinem necesse est, cujus nulla alia causa esse possit, nisi obliquitas, & declinatio.

> ——*Ne res ipsa necessum*
> *Intestinum habeat cunctis in rebus agendis*
> *Et devicta, quasi cogatur ferre, patique,*
> *Id facit exiguum clinamen principiorum.*

At cur, quæso, plus libertatis motui atomorum obliquo, quàm recto, tribuatur? Etenim cùm statâ suâ lege quælibet feratur atomus, quomodo liberius descendet si obliquè, quàm si rectè? An ipsa atomus obliquè ferri eligit? Isto autem pacto, cuivis tribuenda est mens, & ratio. An necessariò, & certâ lege flectat? si ita, quis non videt idem fore *necessum intestinum*, ac si lineâ rectâ ferretur? Atquì verò his aliísque hujusmodi innumerabilibus næniis, etiamsi millies objicias, nihil habet vir gravis quod respondeat, nisi aut quòd ita esse necesse est, ne nil unquam natura creasset, aut (quod ubique monet) *avius à rectâ longè ratione recedis*. Et quid mirum? ut enim alii suam à naturâ philosophiam sumendam esse putant, & quid, quidque velit, aut valeat, ex ipsius rei contemplatione discere, & docere conantur, atque quodcunque quocunque modo factum vident, eo quo factum est fieri credunt. Hi è contrà naturam suæ philosophiæ subjugare, atque suas, quas volunt, leges præscribere nituntur, atque secum modo consentire, modo dissentire, & quidvis tentare jubent, ut ipsorum hypothesi obsequatur. Atque ita (ut verbo omnia complectar) Epicurus, quo atomis suis motûs principium inveniret, gravitatem, vim cuique internam esse, statuit, quanquam omnia, quæ decidunt inæquali impetu moveri noverit, atque idcirco non innatâ facultate, quæ, cùm eadem semper fuerit, eandem semper propensionis vim cieret. At deinde sit ingenita facultas, cur huc potiusquàm illuc feratur? Quod deorsum sit. Quid est autem quod re-

giones sursum, & deorsum in immensitate definiat? Atomorum, inquit, motus. At cum citra causam motum eumque deorsum finxit, universi structuram, ne non defenderet, immutavit: & idcirco planam esse terræ figuram docuit, quanquam nihil, aut omnibus mundi phænomenis, aut maximè obviis philosophiæ principiis, aut cujusque oculis repugnantius dici potuisset. At id quoque cùm detur, atomósque internâ gravitate rectà deorsum ferri; sin ita, quomodo tandem coirent? Declinant paululum, inquit. Quamobrem vero? Nullâ aliâ ratione, nisi ut finem suum assequantur, si enim naturæ impetum omnino secutæ fuissent, nil unquam natura creâsset. At tamen quoniam manifestum esse videmus, pondera, quantum in se est, non posse obliqua meare, ex supero cùm præcipitant; quanquam declinatione fiant omnia, nihil tamen declinare putandum est. Hominum profectò an ingenium, an modestiam magis miremur, nescio; id enim nisi singulare haberent, non poterant in omnibus tam crassè nugari, hanc tamen nisi majorem obtinuerint, non poterant tam crassis ineptiis tamdiu, tamque insolenter se efferre. Denique cùm homines polliceri audiamus se explicaturos, quemadmodum solâ naturæ vi creentur omnia, eâ autem arte rem ab initio ad exitum perduxisse videamus, ut demum contra omnem naturæ vim, sensuúmque fidem, facta omnia decreverint, ne, si suâ viâ progressa fuerat, nil unquam natura creasset, quid agendum est, nisi ut summa sane philosophorum acumina dii, hominésque plaudamus?

Sect. VII. Hæc autem cùm tam prolixè disputavero, nescio quâ excusatione, qui tam nugatoria tam diligenter conatus sum evertere, me ipse defendam. Quoties enim hominis sapientiam, & eruditionem mecum cogitare soleo, tam studiosè, cum indocto, & prorsus fatuo nugatore, disputasse pudet. Scilicet tantis ubique nugis delectatur, ut qui eas seriò refutatum iret, doctis omnibus de judicii debilitate in suspicionem ipse veniat, quòd cùm refutatione quâvis dignas æstimaret, plusquam sapientem decet, de iis æstimare videretur. Cùm vero hominis authoritatem, discipulorum numerum, disciplinæ vim longè, latéque diffusam, mecum ipse contra meditatus sim, majori eam sedulitate, quàm meruit

ruit ipſa, profligandam eſſe cenſui. Saltem ut qui ſint homines, & quo acumine præditi, intelligamus, qui aut primùm impias diſciplinas tradunt, aut traditas tuentur. Cùm enim tam abſurda ſint, atque communi ſenſu aliena, quæ afferunt, oracula, quid concludemus, niſi quicquid, qui talia creduut, cenſeant, prorſus ridiculum fore? Adeo ut niſi impietas ſuâ ipſa ſtultitiâ ruat, authorum, quos ſemper habuit, in magnam ſuſpicionem veniret; niſi enim ab omni ſapientiâ longè alienum fuiſſet, viris tam fatuis non potuit tam placere. Hiſce ergo poſtulatis everſis, quibus tum tota nititur diſciplina, tum illi maximè gloriantur, cætera breviùs conficiam. Quanquam tamen omnes eorum, per ſingula naturæ phænomena, rationes ſequar, ut liqueat virum iſtum, etiamſi doctorum, & ſapientum quamplurimis, & nunc, & olim ſummâ admiratione habitus fuerit, unius ſapientis, aut verbi, aut cogitati compotem non fuiſſe: Poſtquam ergo ſuperiora omnia (pro ſuâ modeſtiâ) arripuerunt Epicurei, fidenter ſtatim, & intrepidè ſumunt non modo totius hujus, quem aſpicimus mundi, ſed aliorum innumerabilium pulchritudinem, vagis atomorum erroribus, quâdam rerum neceſſitate effici debere, quaſi fieri non poſſet, ut aliter quàm evénit, eveniret. Quàm breviter, & rotundè ipſe Epicurus corpuſcula undequaque per inane vagantia tandem in elegantem hanc, quam videmus, mundi machinam neceſſariò coire, atque tamdiu cohærere aſſerat! Ὅθε δὴ καὶ τὰς ἐξ ἀρχῆς ἐναπολήψεις τῆς συστροφῶν, τούτων ἐν τῇ τοῦ κόσμου γενέσει δεῖ δοξάζειν, καὶ τὴν ἀνάγκην ταύτην, καὶ περίοδον συντελεῖσθαι. *Cùm mundus procreatus eſt, eos factos fuiſſe atomorum ſe convolventium circumplexus, ut, creatis exinde corporibus cœleſtibus nata ſit in iſtis hæc neceſſitas, ut & ſic moveantur, & tales circuitus obtineant.* Ita quidem ſi ſemel dixerit magnus Epicurus, non modo hunc, quem videmus, mundum, ſed alios innumerabiles naſci, quemadmodum aut ipſe juſſit, aut ipſi maximè placuit, quis dubitare auſus eſt! neque ſecus Velleius: *In hac igitur immenſitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita vis innumerabilium volitat atomorum, quæ interjecto inani cohæreſcunt tamen inter ſe, & aliæ alias apprehendentes continuantur, ex quo efficiuntur hæ rerum formæ, atque figuræ, quas vos effici poſſe, ſine follibus, & incudibus, non putatis.*

Ep. ad Herod.

*putatis*. Præclarè philoſophantes! Vos quoque, Epicurei, lapides, ligna, clavos, calcem, aliáque rudera temerè in cumulum congeratis, quid dubitetis, quin ita ſingula ſuis ſe locis poſuerint, ut ex omnibus tandem pulcherrimum oriatur palatium? E rotulis, malleo, nolâ, aliiſque id genus machinulis ad invicem fortè commiſſis, aliiſque alias ſponte apprehendentibus horologia, aliáve quæcunque automata efficiatis, quæ vos quoque, Epicurei, effici poſſe ſine follibus, ac incudibus non putatis. Iſtuc autem veſtræ phyſicæ primum, & imum eſt, ultra quod progredi nunquam conamini, ut atomos quoquo modo in aggeriem quandam colligatis; an vero moles iſta, quæ ex ejuſmodi fortuito concurſu fieret, quovis ornatu, aut quâvis utilitate ſe in fabricam architectari poſſet, ſuâ phyſicâ ut explicetur nihil intereſſe putant; ſed unicum hoc, ex atomis, quæcunque fiunt, fieri omnia importunè, & ſemper urgent. In ipſam verò rerum ſolertiam, quicquam inquirere nullâ ſolicitudine tenentur, atque an quâ arte, aut utilitate, quidque fiat, nunquam inquirunt, ſed de ipſo mundo, omníque ejuſdem parte, tanquam rudis, & indigeſta quædam atomorum moles, omnis ordinis, usûs, & opportunitatis expers fuiſſet, balbutire conantur. Atque quidem, ſi ejuſmodi fuiſſet moles, temerè & citra conſilium factam fuiſſe, ſi placet, ipſe dicerem. Quemadmodum ſi lapides, ligna, cæmenta, aliaque rudera variè, & perturbatè aggeſta aſpicerem, iſtiuſmodi rerum ſtruem artificis cujuſpiam induſtriæ, & ſolertiæ ipſe non referrem; templum autem, aut domum nullo architecto, ſed temerario lapidum, trabium, & clavorum concurſu extrui potuiſſe, vel quidem ſuſpicari puderet. At deinde ſi auri, argentíque indomiti maſſas, æs rude, lapides ſcabros, ebur impolitum, lignum, gluten, & gypſum variè inter ſe nullo ordine confuſa viderem, iſtud quidem Phydiæ opus eſſe neſcirem, neque dicerem: at ſi hæc in membrorum ſimilitudinem fabricari, ſi alia tornari, excavari alia aſpicerem, ſi auriculas, ſi labra, ſi oculos, ſi brachia, ſi pedes elaborari, ſi denique immenſam Jovis Olympii effigiem effici intuerer, Phydiæ, alteriuſve cujuſdam eximii artificis opus eſſe, niſi planè inſanire placuiſſet, jurare cur dubitarem? ita cùm tantam in rerum naturâ ſubtilitatem, tantam omnium inter ſe conſpirationem, tam opportunam varietatem,

rietatem, & tam prudentem cujusque ad suum finem destinationem viderimus, an non nisi cæci sumus, consilio fieri videamus? Denique etiamsi confusam vocabulorum farraginem fortuitò commisceri darem, cùm tamen suaviloquos *Cari* de rerum naturâ versus perlegero, ex literis fortè concussis, atque in debitum situm, & ordinem sponte volitantibus, concinnari potuisse, nisi ipso Poetâ dementior sim, non putarem. Cùm verò in tam perspicuam, tamque accommodatam rei imaginem inciderimus, eâ paululum utamur. Versus ergo tuos, Care Lucreti, ex elementis vario ubique ordine commistis (id quod monuisti) fieri novimus,

*Quin etiam passim nostris in versibus ipsis*
*Multa elementa vides multis communia verbis:*
*Cùm tamen inter se versus, ac verba necesse est*
*Confiteare & re, & sonitu distare sonanti:*
*Tantum elementa queunt permutato ordine solo.*

Lib. 1.

At verò quî elementa tua in ordinem quæque suum convenére? si fortuito concursu ipsa se disposuerint, ingenii gloriâ excidisti. Cùm verò musarum amore, laudisque studio à scribendo te rei difficultate deterritum non fuisse scripseris;

*Nec me animi fallit quàm sint obscura, sed acri*
*Percussit thyrso laudis spes magna meum cor,*
*Et simul incussit suavem mî in pectus amorem*
*Musarum: quo nunc instinctus, mente vigenti*
*Avia Pieridum peragro loca, nullius ante*
*Trita solo: juvat integros accedere fontes,*
*Atque haurire, juvatque novos decerpere flores,*
*Insignemque meo capiti petere inde coronam,*
*Unde prius nulli velarint tempora Musæ.*

Lib. 1.

Poematis ergo tui, *Care*, elegantiam, quanquam ex elementis vario ordine commistis oriatur, fortuito ipsorum concursui ascriptam esse nolles, ne laudis spe, quâ Musarum amor cor tuum percussit, deturberis. Quidni ergo de mundo (quem, si vobis placet, summi numinis Poema appellare licet) idem quoque concluseris, è primordiis scilicet quibusdam, simili

varietate invicem dispositis, factum fuisse, cùm verò summâ elegantiâ fiat, non cæco vestro casu, sed Poetâ quodam (sic enim quisque, qui quicquam eleganter fecit, appellandus est) numeris suis astrictum esse putes. Atqui tamen ipse mundos innumerabiles multo majori ingenii facilitate, quàm carmina conficit, atque quâ necessitate tam continuata mundi partium cognatio, tantaque omnium utilitas fieri & conservari potuit, ut solent Poetæ & Epicurei, planè demonstravit.

Lib. 5.

*——Quia multa modis multis primordia rerum*
*Ex infinito jam tempore percita plagis,*
*Ponderibusque suis consuerunt concita ferri,*
*Omnimodisque coire, atque omnia pertentare,*
*Quæcunque inter se possent congressa creare:*
*Propterea fit uti magnum vagata per ævum*
*Omnigenos cœtus, & motus experiendo,*
*Magnarum rerum fiant, exordia sæpe*
*Terrai, maris, & cœli, generisque animantum.*

Hujus disciplinæ authorem Democritum fuisse, quis dubitaret, qui scilicet, quo melius rerum naturam cerneret, oculos perdidit. Quamdiu enim luminibus uteretur, ut, ante eum, Pythagoras & Pythagorei hujus tam præclaræ fabricæ, quam pulcherrimam aspexerat, opificem suspicere potuerat. Istis autem amissis oblitus statim omnis rerum pulchritudinis, ejusmodi mundum, quo fruuntur cæci, nullâ artis ratione, sed cæco casu effici potuisse, putare potuit. Hunc itaque cùm secuti sint Epicurei, quid mirum, si de rebus omnibus, cæcorum more, commententur? Atque adeo eam naturæ descriptionem, quàm quis, à partu cæcus, daret, ipsi dederunt. Solem igitur, quanquam universum suâ luce tam commodè lustret, & foveat, Lucernam bipedalem censent, non aliter, quàm cæcus nullum inter solis, & candelæ lucem, atque foci calorem, discrimen inveniret. Atque ita isti præclarum illud sidus, cujus admirabili, atque per omnia secula constanti, motuum vicissitudine, omnis conservatur natura, exiguum ignem esse, qui cùm fortè non aliter, quàm visæ tempore nocturno faces, accendatur, eâdem etiam, quâ ipsæ ratione,

ratione, aut ventis impellentibus hinc inde agitari, aut huc illuc pabuli aviditate, cursu fortuito ferri arbitrantur. Atque eodem acumine, quo de sole, de omni naturæ phænomeno disseruerunt, ut solam cujusque crassitudinem, missâ illius elegantiâ, intueantur, Eos ergo si per omnia naturæ phænomena, de quibus, quorumque utilitatibus superius diximus, sequamur, aut eorum maxima, aut quod in quoque maximum est, penitus præteriisse inveniemus. Aut si quid forte extremis digitis tetigerint, more tam puerili tractarunt, ut ab infantium incunabulis, ineptiora audire nequeamus. Atque nescio sanè, an aptiora sint, risum, quod tam stultè dicta sint, an stomachum, quod tam insolenter, movere. Si itaque lector pueris istis (istâ enim ætate semper sunt Epicurei) nimium irasci nolis, atque risum, ne nimium erumpat, tenere velis, ludicras quasdam eorum exercitationes, quas summâ cum gravitate luserunt, si placet, exhibebimus.

SECT. VIII. Primùm ergo, quamobrem terra se loco, & situ, quem habet, collocavit? Quòd, inquit, Lucretius, media pars mundi ima sit, in quam corpora quæque gravitate suâ feruntur.

*Quippe etenim primum terrai corpora quæque,*
*Propterea quod erant gravia, & perplexa, coibant,*
*In medioque imas capiebant omnia sedes.*

Lib. 5.

Rationem ipsam satis suo loco redarguimus, at cùm ab Epicureis allatam audiamus, fieri certè non potest, quin, quos promisi, risus consequantur, cùm inter prima philosophiæ suæ effata statuerint, nullum esse in immensitate aut medium, aut infimum, præsertim totius medium non esse, in quod corpora nitantur. En ipsum Lucretium.

*Illud in his rebus longè fuge credere, Memmi,*
*In medium summæ (quod dicunt) omnia niti,*
*Nam medium nihil esse potest, ubi inane, locusque*
*Infinita: neque omnino si jam medium sit,*
*Possit ibi quicquam hâc potius consistere causâ,*

Lib. 1.

Quàm

*Quàm quavis aliâ longè regione manere.*
*Omnis enim locus, ac spatium, quod inane vocamus,*
*Per medium, per non medium, concedat oportet*
*Æquis ponderibus, motus quâcunque feruntur,*
*Nec quisquam locus est, quò corpora cùm venére,*
*Ponderis amissâ vi, possint stare in inani:*
*Nec quod inane autem est, illis subsistere debet,*
*Quin sua quod natura petat, concedere pergat;*
*Haud igitur possunt tali ratione teneri*
*Res in concilio, medii cuppedine victæ.*

An non faceta res sit, eundem, qui hæc cecinit, cecinisse terræ corpus, quòd alia omnia gravitate superet, idcirco imas in medio cepisse sedes, cùm neque imum, neque medium fuerit, & si sit utrumque, neque medium imum, neque imum medium esse. Scitè profectò Democritus, qui quenquam, nisi insanierit, poetam magnum esse posse negaret, quanquam longè acrius, & quidem verius dixerat, si neminem, nisi sit idem mente captus, sui discipulum esse posse dixisset. Atque igitur hominum nemo aptior, quàm Lucretius accessit, qui illius disciplinam aut discat, aut doceat. Etenim eximius Poeta cùm fuerit, fabulas, quas olim docuerat, poeticâ venustate, & lepore ornare potuit; atque cùm philtro quodam in insaniam adactus fuerat, potuit quoque fabulis suis fidem habere; quemadmodum insani omnes, quæcunque imagines sibi obversantur, res ante oculos eas positas esse credunt. Neque equidem dubito, quin Epicurea philosophia longè antehac prorsus neglecta, & abjecta fuerat, eam nisi ipse, quem nemo fortè & majestate, & lepore assecutus est, tam præclari poematis argumentum fecisset. Verùm ut ad rem nostram redeamus, si terra in totius medio sita sit, ut sitam esse putant, actum est de primis Epicureæ philosophiæ decretis, nempe nullum esse totius medium, aut si quod esse fingatur, idque terra fortè obtinuerit, deorsum tamen insito suo pondere per spatii immensitatem sine fine abiret. Hujusmodi autem rationes in hortis non nascantur, atque igitur ipse, qui iis præfuit, ipsum phænomenon omnino præteriit, an callidè, an oscitanter, nescio, quanquam non calliditate factum esse arbitror, quod non posse intelle-
xerit

xerit, sed oscitantiâ, quòd de eo nunquam cogitaverit.
Atquî cùm terra mediâ mundi regione consederit, cur in eâdem quiescat?

*Terraque ut in mediâ mundi regione quiescat,*
*Evanescere paulatim, & decrescere pondus*
*Convenit.*

Lib. 5.

Profectò putarem non per intervalla, quibus morbus inducias habuerit, sed in ipsis vesaniæ paroxysmis scripsisse poetam. Quid enim furiosorum visis similius potuit, quàm contraria omnia secúmque pugnantia, sibi finxisse? Etiamsi enim nusquam sit locus, aut medius aut infimus, cùm tamen atomi ad medium pervenerint, in eo, quòd & medius idemque infimus sit, se sistunt, atque quanquam deorsum incredibili pernicitate, quæ nova continuò incrementa sumit, ferantur omnes; cùm tamen mediâ mundi regione se sitas esse intelligunt, pondus, quod quiescere conveniat, aut cohibent, aut mittunt. Ita scilicet quælibet atomus, cùm finem suum se assecutam fuisse intellexerat, naturæ suæ vim, & facultatem mox dimisit, ne fortè alioqui irrequieto suo impetu labefactetur opus, quod tandem tam fælici eventu absolvisse contigerat. Atque non modo ipse Lucretius, sed & sic bacchantur omnes, neque enim causam meliorem attulit ipse veritatis Pater, & inventor. Καὶ μὴν καὶ τὴν γῆν τῷ ἀέρι ἐποχεῖσθαι, ὡς συγγενῆ ὄντα, ὥσπερ καὶ τὰ ζῶα τῇ γῇ. *Insidere terram aeri, tanquam ipsi congeneam; ut animalia insident tanquam congenea ipsimet terræ.* Quâcunque autem cognatione jungantur terra, & aer, cùm ista hunc gravitate vincat, quî, quæso, quamdiu suâ sponte deorsum ruat, ne ruat illius amplexibus teneri possit, nisi vim quandam, quæ terræ incumbentis pondus sustineat, aer supposuerit? Alioqui eidem quantumcunque suâ affinitate, atque principiorum similitudine placeat, Circæis suis illecebris nunquam in tam profundam delirationem delinire valebit, ut sui, totiusque suæ naturæ oblivisci efficiat. Cùm verò tantam aeri undique circumfuso vim inesse velit, dicat quamobrem illius corpuscula cum eadem celeritate, quâ cætera omnia deorsum nitantur, in saxorum densitatem non coalescant.

Ep. ad Herod.

*—Quæcunque magis condenso conciliatu,*
*Exiguis intervallis convecta resultant,*
*Indupetita suis perplexis ipsa figuris:*
*Hæc validas saxi radices, & fera ferri*
*Corpora constituunt: & cætera de genere horum*
*Paucula, quæ porro magnum per inane vagantur.*
*Cætera dissiliunt longè, longéque recursant*
*In magnis intervallis. Hæc aera rarum*
*Sufficiunt nobis, & splendida Lumina Solis.*

Atqui cùm spatium omne corporibus repleatur, cur non eâdem ferreâ soliditate, quâ saxi radices, constipentur omnia? Quid enim si immensitatis magnitudo pari corporum multitudine occupetur, inter rarum, & densum interesse possit? Datâ autem spatii corpore vacantis libertate, cur aer in eandem, quam terra duritiem non coiret? Cùm enim omnia ejusdem corpuscula pari, cum eâ, pernicitate deorsum ferantur, quamdiu ad terræ globum pervenerint, quamobrem unam cum eâ molem non constituant, atque eâdem soliditate, quâ suæ sibi partes eidem defixæ non hæreant? Atqui verò cùm terræ partes undique in sese tam arctis complexibus conglobentur, si Epicureos porro interrogemus, quid easdem cohærere efficiat? Id ipsi, quod sit maximum omnium, quæ in rerum naturâ cernuntur miraculum, prorsus præterierunt. Quanquam quî aut terra, aut quicquam aliud in corpus solidum coalescat, si sibi steterint, nunquam intelligent. Primùm enim cùm atomos suas eâ exilitate esse velint, ut non modo ipsæ omnem oculorum aciem effugiant, sed res minima, quæ visu acutissimo percipi potest, ex earum decies mille millenis confletur, quâ vi, quibusque machinis res tam exiguæ quâvis firmitate se invicem tenere possunt, nova difficultas cæteris, quibus Epicurus afflictus est, accedit. Cùm verò tam vehementi, atque irrequieto motu semper agitentur omnes, quomodo in immani isto turbine aliæ aliis connexæ implicentur, id cùm ille philosophorum Deus dicere omiserit, posthac nos humile hominum genus intelligere desperemus.

Si deinde de terræ sitûs commoditate, aptissimóque ejusdem à Sole intervallo, perquiramus, quî in omni longitudinum,

dinum, & latitudinum immensitate, eo loci, qui solus ex omnibus sibi sit commodus collocetur, adeo ut si paulò aut propius, aut longius, aut utrinque à latere sita sit, omnis in omnia secula usûs, & fructûs expers jacuerat. Quid illi? Sol sit, necne, nihil ad illos pertinet, nisi quòd Lucernam quandam bipedalem in aere, ut cætera meteora, fortè accensam, atque huc illuc fortuitò impulsam intueantur. An verò quas utilitates terræ afferat, quam motûs constantiam, quas motuum vicissitudines conservet, quâ ratione cursus suos metiatur, quas tempestatum varietates efficiat, non animadvertunt, qui ex harâ prodierunt Porci. Porci, inquam? profectò si ipsi scholam aperirent, ab iis doctiores, quàm à vestro grege, grunnitus expectarem. Si in hortulis vestris quandoque apricari libuerat, fieri non posse puto, quin gratiori animo Solis beneficia commemoretis; cùm verò in cœno semper volutemini, quid mirum, si ut lutulenti sues, sapiatis? In haras igitur vestras redite pecudes, neque posthac in philosophorum scholas proficisci audeatis. Tantum enim abest, ut qui tam stupidè de illustrissimo isto sidere, cujus beneficio universa conservatur natura, existimare possitis, philosophos putent, ut ne quidem dignos esse qui homines habeamini putarent. *Quis* enim, *hunc hominem dixerit, qui cùm tam certos Cœli motus, tam ratos astrorum ordines, tamque omnia inter se connexa, & apta viderit; neque in his ullam inesse rationem, eaque casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus?* Quid ergo de vobis dicemus, Epicurei, qui cùm tam certos motus, tam ratos ordines, tam constantes vicissitudines cum summâ omnium utilitate videritis, nulla sapientiori ratione gubernari, quàm noctivagos ignis fatui errores dicere possitis. De cœlestibus autem postea seorsim disputandum erit, interim inter Epicureæ philosophiæ opprobria habeatur, cùm Terra innumerabilibus aliis sedibus, quàm quâ sita est, sita esse potuit, eâ tamen unâ sitam esse, quâ debuit, tam mirabilem rei commoditatem ipsos videre noluisse: Quod si viderant, non eò usque fronte percalluisse poterant, ut cæco quovis casu evenire, quâvis vultûs confidentiâ dicere potuissent.

Cic. de nat. deor. L. 2.

Sect. IX. Quod ergo res, quæ in ſublimi fiunt, attinet, quarum metu ſe, ſuóſque liberâſſe maximè gloriatur, atque igitur præcipuum Philoſophiæ ſuæ ſcopum feciſſe geſtit, ut Præfecto nullo fieri, aut adminiſtrari credamus. Καὶ μὴν καὶ ἐν τοῖς μετεώροις, φορὰν καὶ τροπὴν, καὶ ἔκλειψιν, καὶ ἀνατολὴν, καὶ δύσιν, καὶ τὰ σύστοιχα τούτοις, μήτε λειτουργοῦντος τινὸς νομίζειν δεῖ γίνεσθαι, καὶ διατάττοντος ἢ διατάξαντος, Ch. *Quod meteora attinet, exiſtimare non oportet, acceſſus, & receſſus, & defectiones, & ortus & occaſus, aut alia hujuſcemodi ideo fieri, quòd ſit* Præfectus *aliquis, qui ſic diſponat, aut diſpoſuerit.* Atque etiamſi rem ſummâ ignorantiâ tractavit, ſpeciem tamen quandam modeſtiæ præ ſe tulit, cùm quî fiant, ſe neſcire fateatur. Omnia enim tribus rationibus abſolvit, Πλεοναχῶς εἶναι ἐνδεχομένως εἶναι, καὶ ἄλλως ἔχειν, vel pluribus modis, vel non uno modo neceſſario, vel alio quocunque modo fieri potuiſſe: Hoc eſt, quoquo modo contingere potuerant, quo autem contigére, ſe ipſe neſcire fatetur. Atque eſto, facillimè enim, neque facilius quicquam quàm Epicurum neſcire, concedetur. Cùm verò ita eſſe ut ſunt, contigerint, an ſine præfecto quovis tam aptè hoc, alióve quocunque modo contigiſſe potuerant, aut an ipſe niſi quod ultro velit, id neſcire potuit, videamus. Primùm ergo quamobrem in unum acervum non convolvantur omnia? Οὐ γὰρ ἀθροισμὸν δεῖ μόνον γένεσθαι, οὐδὲ δῖνον, ἐν ᾧ ἐνδέχεται κόσμον γίνεσθαι κενῷ, κατὰ τὸ δοξαζόμενον ἐξ ἀνάγκης, αὔξεσθαί τε, ἕως ἂν ἑτέρῳ προσκρούσῃ, καθάπερ τῶν φυσικῶν καλουμένων φησί τις. Τοῦτο γὰρ μαχόμενόν ἐστι τοῖς φαινομένοις. *Quo inani mundum generari contigit, non ſufficit acervum fieri, convolvique, & incrementum, quandiu in aliud incurrerit, accipere, juxta opinionem, quod ſic fieri ex neceſſitate oporteat, ut Phyſicorum appellatorum ait aliquis.* In Democritum ſemper ingratus fuit, nunc autem in Leucippum, ipſe enim eſt quem reprehendit, quòd particulis ſimilibus aliis, in alias, ut nivis floccis ſibi accumulatis, plures globos effici voluerit; ſic enim Mundi exortum deſcripſit. Φέρεσθαι κατ' ἀποτομὴν ἐκ τῆς ἀπείρου πολλὰ σώματα παντοῖα τοῖς σχήμασιν εἰς μέγα κενὸν ἅπερ ἀθροισθέντα δίνην ἀπεργάζεσθαι μίαν, καθ' ἣν προσκρούοντα, καὶ παντοδαπῶς κυκλούμενα, διακρίνεσθαι χωρὶς τὰ ὅμοια πρὸς τὰ ὅμοια. *Multa ex infinito abſciſſa corpora variarumque formarum magnum ad inane fieri,*

Ep. ad Herod.

Ep. ad Pyth.

Laert. lib. 9.

*fieri, quæ simul congregata unam quandam conversionem efficiunt; per quam sibi adversantia, variisque modis se circumvolventia, similia seorsum secreta ad similia sese applicare.* Quâ partium se mutuò complectentium coalitione rotundum hunc mundi globum, ut in locis aliis, alios effici contigit. Utriusque tam Epicuri, quam Leucippi sententiam Gassendus duobus exemplis explicare conatus est, alterum Mundos fieri ut acervos nivis super nivem convolutos voluisse, alterum ut nucem, cujus intimus, quasi nucleus solidus sit, ut in Mundo nostro Terram esse contigit, atque extima quasi crusta solida, ut Cœli arcus; Interstitium autem inter utrumque fluxum, quod exteriorem crustam in eundem cum interiori nucleo acervum coire prohibet. De Leucippi Hypothesi dicere nihil opus est, cùm particulæ omnes in eandem viam decidentes nullo interstitio interjacente, in eundem acervum cum quavis mole, quæ inferius suâ stabilitate consistit, non aliter quàm cùm ningit, nix omnis in quamvis nivis molem irrigua, coirent. Epicurus autem eâdem, quâ solet, diligentiâ ab eodem exordio, quo omnia orditur, ut ipsa rerum phænomena principiis suis semper reluctentur. Cùm enim corpuscula omnia gravitatis suæ impetu in eandem viam ferantur, cumque Terra, quòd gravissima sit, sit omnium infima, si aliæ uspiam moles concreverint, nullum stabilimentum obtinere possent, priusquam in eam ruant. Interstitium enim à Terrâ ad Planetas, à Planetis ad Cœli ambitum, solo tenui, aut aere, aut æthere occupatur. Quid ergo est, quod impediat, ne in eam communi pondere omnia, tum Cœlum, tum sidera, tum ipse aer delabantur? Si ergo ipsa suo loco aeris amplexibus delinita immobilis quiescat, ex Epicuri principiis fieri non potest, quin in eundem cum eâ acervum superiora omnia accumulentur. Cùm igitur nostro Mundo varii orbes variis intervallis invicem distent, atque intervalla sua summâ stabilitate tueantur, nonne ipsa rerum Phænomena aliâ ratione, quàm voluit Epicurus, se facta fuisse pugnant? Quid ergo agendum est cùm in eas angustias redacti simus, ut, aut Epicuri principiis, aut rerum phænomenis bellum indicamus? An non quisque sapiens, quo ducit natura potius sequendum esse intelligit, quàm in eam, solo Epicuri sacramento devinctum,

reclamante ipsâ rerum experientiâ, pugnare? Si quid valeat vaferrimi hominis Autoritas, en quid primo loco ipse monuerit. Ἐp.ad Pyth. Ὀυ γὰρ κατ' ἀξιώματα κενὰ, καὶ νομοθεσίας φυσιολογητέον, ἀλλ' ὡς τὰ φαινόμενα ἐκκαλεῖται· οὐ γὰρ ἰδιολογίας καὶ κενῆς δόξης ὁ βίος ἡμῶν ἔχει χρείαν, ἀλλὰ τοῦ ἀθορύβως ἡμᾶς ζῆν. *Philosophandum de Naturâ est non pronunciata vana sequendo, & quasi ex legis præscripto, sed ut res, quæ apparent imperaverint. Ad vitam quippe nostram nihil confert placita propria jactitare, inanique gloriâ gestire, sed animo imperturbato esse.* Cùm ergo alias leges tu, alias res ipsæ jusserint, quibus obsequamur, te Authore novimus. Nos ergo Naturæ decretis parebimus, tu autem cum tuis in intermundia tua abeas, ubi si quam ob tam præclarè inventa à Diis tuis umbratilibus famam, & gloriam accepturus sis, nullam (crede mihi) nostro mundo assequeris.

Cùm verò Magister tam turpiter luto hæserit, versuram qui ei totus væniit, fortè vadimonii jure solvet discipulus. Ipse ergo cùm primùm in unam molem omnia sine ordine collegerat, in quâ

Lucret. lib. 5.

*——Neque tum solis rota cerni lumine largo*
*Altivolans poterat, neque magni sidera Mundi,*
*Nec mare, nec cœlum, nec denique terra, neque aër,*
*Nec similis nostris rebus res ulla videri.*

Novâ autem postea tempestate coortâ, in sua quæque loca secrevit, atque imprimis cùm in unum coiissent, graviora Terræ corpuscula, tenuia, atque rotunda, è quibus fiunt cœlestia, arctâ suâ constrictione expressére, quæ cùm in altum avolarent, quæ in sublimi sunt, omnia effecerunt:

Ibid.

*——Primùm terrai corpora quæque*
*Propterea quòd erant gravia, & perplexa coibant.*
*In medioque imas capiebant omnia sedes.*
*Quæ quantò magis inter se perplexa coibant*
*Tam magis expressere ea: Quæ mare, sidera, solem,*
*Lunamque efficerent, & magni mœnia Mundi.*

Esto

Esto ergo Terram leviora omnia suo pondere ex se expressisse, quare tamen eidem, sicut & ipsa aqua, in eodem vortice non supernatarent? Quâ vi tanto intervallo à se arcere posset? Quidve tantas moles à se separatas in sublime sustulit? Aut quæ vis sublatas in æthere tenuissimo tandiu sustinuit, cum innatæ gravitatis pondere deorsum abripiantur omnia? Quis verò putaret illustrissima ista Corpora, è vaporibus quibusdam hâc fæce exhalantibus, sui exordia cœpisse? Etiamsi enim Sol, Planetæ, cæteraque sidera ista fortè ratione nasci potuerant, cùm nil nisi Meteora sint tanta, quanta videntur, non aliter quàm Ignes fatui è locis lutulentis ubique oriuntur. Quî tamen ingens, atque admirabilis iste Cœlorum arcus immensâ pene amplitudine diffusus extrui potuerat? Quid portento similius fingere poterat Poeta amens, quàm pulvisculos aliaque corpora levissima, solummodo quòd è Terrâ exprimantur, in tam robustum fornicem fortè coiisse, qui se solâ fabricationis suæ formâ sustineat? Ut quidem si sobrius, mentisque compos philosophiam suam ludibrio dedisse velit vir facetus, eam descriptione magis ludicrâ irridere non potuit, quàm quâ laudavit.

*Non aliâ longè ratione ac sæpe videmus,*
*Aurea cum primùm germantes rore per herbas*
*Matutina rubent radiati lumina solis,*
*Exhalantque lacus nebulam, fluviique perennes:*
*Ipsa quoque interdum Tellus fumare videtur,*
*Omnia quæ sursum, cum conciliantur in alto,*
*Corpore concreto subtexunt nubila Cœlum:*
*Sic igitur tum se levis, ac diffusilis æther*
*Corpore concreto circumdatus undique sepsit,*
*Et latè diffusus in omnes undique partes,*
*Omnia sic avido complexu cætera sepsit.*

Quam, inquam, similitudinem, si sibi ludificari vellet, comminisci potuerat, quàm immensam Cœlorum concamerationem, non aliter quàm nebulæ è lacuum vaporibus concrescunt, corpusculis quovis fumo, & plumâ levioribus, hoc è puncto expressis, extructam fuisse. Næ sapienter Diis suis, quos

quos immortalitatis securos esse voluit, consuluit Epicurus, quòd eos extra Mundi mœnia ruinarum metu posuerit. Atque equidem miror vos omnes Epicureos ex apricis hortis confugientes in Stoicorum porticu asylum non quæsivisse. Ipse profectò, si è vobis fuissem, caput nusquam uno quidem momento, ne cœli ruinâ interearn, tutum esse putarem.

Gas. Phys. S. 2. l. 2. c. 5.

Ep. ad Pyth.

SECT. X. De solis, siderumque magnitudine, quæ tanta quanta videntur, seu paulò aut majora, aut minora esse voluit Epicurus, quicquam dicere penitus præterirem, nisi quòd homo doctus hominem indoctum nuperrimè à sententiæ suæ stupiditate defendere susceperit. Primum ergo quid censuit alter, tum deinde quî quod censuit, alter excusare potuit, videamus. Τὸ δὲ μέγεθος ἡλίου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς τηλικοῦτόν ἐστιν ἡλίκον φαίνεται. Κατὰ δὲ τὸ καθ' αὑτὸ, ἤτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου, ἢ ἔλαττον μικρῷ, ἢ τηλικοῦτον ὑπάρχει· οὕτω γὰρ καὶ τὰ παρ' ἡμῖν πυρὰ ἐξ ἀποστήματος θεωρούμενα, κατὰ τὴν αἴσθησιν θεωρεῖται. *Magnitudo verò & solis, & reliquorum siderum, quod ad nos quidem attinet, tanta est, quanta & apparet. Quod ad ipsam verò rem spectat, aut paulò major, aut paulò minor, aut tanta quanta videtur; istâ nimirum varietate exhibentur sensibus ignes, qui apud nos ex intervallo spectantur.* Perspicuum, sanè satis mihi videtur effatum, solem non multò aut majorem, aut minorem esse, quàm nobis appareat, ut neque lucernas, quæ ex intervallo spectantur, multo aut majori, aut minori magnitudine, quàm sunt, apparere: Sol autem an major, an minor sit, quàm videatur, nos nescire, uter autem sit, non multum discrepare. En verò, quî excusare velit Gassendus! Primùm attende, inquit, distinxisse Epicurum apparentem solis magnitudinem à verâ, ut sit alia κατὰ τὸ πρὸς ἡμᾶς, *secundùm nos*, atque adeo semper tanta est, quanta videtur: Alia καθ' αὑτό, *secundùm se*, atque ita, quanta sit, definiri non posse. Ita quidem, docte, distinxit tuus Epicurus, sed ut cætera omnia, ineptè, & ridiculè; Cùm enim solem *secundùm nos* tantum esse, quantus videtur, dixerit vir gravis, quid aliud, quæso te, dixit, quàm tantum nobis, quantus videtur, videri? Prudens effatum, atque bipedum stupidissimo dignum! Hîc ergo rursus

rursus paululum ridendum est, cùm hominem tam cautâ gravitate rem quamque, ut apparet, apparere definire audiamus. Atqui pergit Gassendus, cùm solem tantum esse *secundum se* dixerit, quantus nobis apparet, non propterea pedalem dixisse; id invidiosâ consecutione deductum est, sed tantum esse in suâ sphærâ, eóve Cœli ambitu, in quo est, quantus est angulus, qui ex oculo ducitur in ejus extrema. Idne Epicurus voluit? Illéne de anguli ratione inter solem & oculum cogitavit? Noluit tantam sibi injuriam fieri, noluit eam in rebus Mathematicis, quas summo fastidio contempsit, scientiam sibi imputari: Ad regulam suam, quam initio jam ante præscripserat, respexit. Σημεῖα δέ τινα τῶν ἐν τοῖς μετεώροις συντελουμένων φέρειν δεῖ ἐκ τῶν παρ' ἡμῖν γινομένων, ἃ θεωρεῖται, ᾗ ὑπάρχει ὡς καὶ τὰ ἐν τοῖς μετεώροις φαινόμενα. *Quasdem eorum conjecturas, quæ sublime fiunt, ex iis ducere oportet quæ apud nos, quæ nempe observantur, ac perinde se habent, ac ea quæ sublime visuntur*: Atque adeo cùm in triclinio suo, ut parciùs, aut lautiùs cœnaverat, Lucernas eâ varietate oculis exhiberi contigerat, ut modo majores, modo minores videantur, ita solem precisè tantum quantus videtur dicendum non esse, cùm fortè paulò aut major, aut minor esse potuerat. Quid ergo, inquit Gassendus, putásne Epicurum fuisse quovis Rustico hebetiorem? Esto, non magnus Geometra fuerit, at sensu solùm communi opus, quo si destitutus fuit, quî potuit vel solum ejus Contubernium magnos viros facere, ut Seneca testatur. Quovis rustico hebetiorem an putem esse interrogas? Imò quovis asino, & stipite: Is enim fuit istius hominis, dicam, an pecudis, incredibilis stupor, ut quodam Naturæ fato nihil sapere potuerit. Et quid mirum? Cùm in summâ rerum omnium ignoratione summus Philosophus esse velit. Atque adeo Philosophiam eâ ruditate, quâ quivis tractaret rusticus, tractavit. Cùm vero rerum ignorantiæ, mentisque stupori summa accesserit arrogantia, hominem stultum in pecus infatuavit. Verum de Magistri ingenio è discipulorum acumine judicari cum volueris, adeóque eum quendam magnum fuisse, quòd ex illius contubernio viri quidam magni prodiisse memorentur. Quos dicis magnos viros? An magnos Philosophos? Ne, si, bene memini, unum

quidem, tu omnium, qui hanc ſectam ſecuti ſunt, primus es, quem quâvis eruditione inſtructum eſſe accepimus. Quid autem tu, quod Epicuri cauſam adjuvet, magnis tuis voluminibus præſtitiſti? Niſi quod dimidium alterum optimè refutaveris, alterum peſſimè excuſaveris. Nimirum quoties à Magiſtro diſſentiendum eſſe putas, optimis argumentis hominis oſcitantiam ſemper reprehendis: Quoties verò tueri velles, vapulandum unà cum illo te ipſe ſemper præbes. Quippe ne unâ quidem defenſione eum à ſtultitiâ vindicare potes, ſed in facillimam reprehenſionem in omnibus ipſe incurris. Atque ex illo, vix quicquam aliud omni tuâ induſtriâ lucratus es, niſi ſolùm quòd omnia Naturæ phænomena non qualitatibus, neſcio quibus, ſed corporum exiguorum motibus confecta eſſe intellexeris. Quos autem alios habuit diſcipulos? Multos, magnoſque viros. Qui autem vitam politicam, aut militarem ſecuti ſunt; quorum igitur pleroſque, quanquam civili prudentiâ, aut militari diſciplinâ multùm valerent, ut potuit quiſque, etiamſi literas neſciverit, tenuiter admodum doctos fuiſſe ſuſpicor. Etenim audax eſt iſtuc hominum genus, qui ſi quid ſingulare aut oſcitanter legerint, aut ab aliis fortè audierint, magno clamore, majori autem faſtu, cuique narrare ſolent, etiamſi dogmata ſua non minori credulitate, quam vulgi errores quis ruſticus, qui literas non novit, arripuerint. Cujuſmodi homines noſtris temporibus, complures ipſe novi, qui ſi Hobbium, aut Vaninum, aut ejuſmodi alium quemvis ſophiſtam leviſſimè lectitaverint, mox circumvolitare, ſtulti hominis ſapientiam mirari, omnia, quòd cum Magiſtri decretis, non convenirent, tum Eccleſiæ, tum reipublicæ turbare. Qui tamen, ſi propius acceſſeris, nihil intelligunt, ne quidem ipſum Magiſtrum, ſed ſolùm ut majoribus ſapientiores videantur, in omnibus novare moliuntur. Atque ejuſmodi olim fuiſſe pleroſque Epicuri ſectatores non dubito, qui cùm ab eo didicerint quemque ſui ſolius rationem habere, ſe ſtatim ſapientes, alióſque omnes, qui remp. ſuâ quicquam intereſſe putabant, ſtultos exiſtimavere. Atquî verò ſi præter has ſapientiæ umbras, quos præclaros ſectatores, ut plures Ciceronis ætate ejuſque familiares, habuit. Ii plerunque non hominem; ſed ſolam vitæ rationem

ſecuti

ſecuti ſunt, qui cùm in magnis iſtis reip. calamitatibus cui factioni ſe darent neſcirent, hoc uno Epicuri effato, quemque ſibi ſoli charum eſſe oportere, ſibi conſulendum eſſe putârunt; atque igitur modò ſuæ ſaluti, quoquo modo proviſum fuerit, nihil ſuâ intereſſe an remp. ipſi evertant, aut everti patiantur. Et ſi qui boni fuerint, ut fuêre ſpeciatim Atticus, & Caſſius, in iis optima Naturæ indoles teterrimam dogmatum malignitatem ſuperavit. Alii autem quos tantâ Naturæ probitate naſci non contigit, nil niſi ſcelera mobileantur, atq; è ſcholâ iſtâ prodiere immanes iſtæ belluæ, qui optimum iſtius reip. regimen everterunt. Quicunque autem fuére, qui eum intervallo ſecuti ſunt, ipſum, quíque cum eo vixerunt omnes, ſi ex eorum aut dictis, aut ſcriptis judicare liceat, quovis ruſtico hebetiores fuiſſe novimus. Verùm iſta fortè plus æquo ſecuti ſumus, cùm itaque hominem tam in Phyſicis, quàm Mathematicis rerum omnium juxta ac ſi ruſticus fuiſſet prorſus ignarum fuiſſe probaverimus; quod ſolem magnitudine pedali, aut bipedali ſeriò eſſe crediderint, dogma nimis inane, & ineptum eſt, quàm ut redargui mereatur; ad illius ergo motuum rationes pergamus.

SECT. XI. Primùm ergo quî, & quo caſu, eum ab ortu in occaſum commeare contigit? Ἐp. ad Pyth. Ὀυκ ἀδύνατον μὲν γίνεσθαι κατὰ τὴν τοῦ ὅλου οὐρανοῦ δίνην, ἢ τούτου μὲν στάσιν, αὐτῶν δὲ δίνην κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς ἐν τῇ γενέσει τοῦ κόσμου ἀνάγκην ἀπογεννηθεῖσαν ἐπ' ἀνατολῇ. *Fieri nihil vetat, aut toto Cœlo circumducto, aut Cœlo ſtante, ipſis circumductis moveri juxta neceſſitatem motus ab uſque initio, tum cum mundus generaretur factam impreſſamque ex parte Orientis.* Aut, ut Lucretius,

*Principio magnus Cœli ſi vertitur orbis:* Lib. 5.
*Ex utrâque polum parti premere aëra nobis*
*Dicendum eſt: Extraque tenere, & claudere utrinque:*
*Inde alium ſupera fluere, atque intendere eodem,*
*Quo volvenda micant æterni ſidera mundi:*
*Aſt alium ſubter, contra qui ſubvehat orbem:*
*Ut fluvios verſare rotas, atque hauſtra videmus.*
*Eſt etiam, quoque uti poſſit cœlum omne manere*
*In ſtatione, tamen cum lucida ſigna ferantur:*

*Sive quod inclusi rapidi sunt ætheris æstus,*
*Quærentesque viam circumversantur, & ignes*
*Passim per cœli volvunt se immania templa:*
*Sive aliunde fluens alicunde extrinsecus Aër*
*Versat agens ignes: Sive ipsi serpere possunt,*
*Quo cujusque cibus vocat, atque invitat euntes,*
*Flammea per cœlum pascentes corpora passim.*

Quanquam, in aliis argumentis, homines contemptissimos solâ irrisione semper excipere soleo, cùm verò, quæ de solaris cursus ratione nugantur, audiamus, subirasci, & stomachari oportere puto. Quid enim cùm tam incredibili pernicitate circumferatur, cùm tam mirabilem in tanto impetu æquabilitatem conservet, cùm tantas noctis, dieíque vicissitudine utilitates afferat, cùm summâ providentiâ cursus non rectos, sed obliquos conficiat; cùm tam accuratâ spirâ antrorsum, retrorsum, circumferatur, cùm ut, rerum nostrarum incolumitati utile sit, hinc inde excurrat, cúmque eo usque discesserit, ut si ulterius, detrimenta ferret, sensim contrariam in partem stupendâ ratione se convertat: Cùm denique illius motûs constantiâ, varietate, & vicissitudine optimè rerum saluti provisum sit, ita ut, si aliâ quâvis ratione cursus instituatur, utilitates omnes, quas nunc affert, funditus perimeret? Quibus omnibus, nihil magis à casu se alienum esse, aut optimo consilio factum fuisse monstrare potuit. Quî ergo, inquam, homines feremus, qui, his omnibus ultrò neglectis, nihil aliud in sole animadvertunt, quàm quòd fortè moveatur, atque moveri, quòd eo modo Mundi initio moveri contigerit. Scitote ergo, Epicurei stipites, solem non modo moveri, sed optimâ, quâ potest, ratione moveri. Scitote eo ambitu, quem tenet, consedisse; quòd si propiori, nimiâ vicinitate omnia in cineres percoxerat; si remotiori, nimio intervallo nihil procreare valuerat. Scitote certâ ratione moveri, ut, motus varietate, omnibus Mundi partibus sui beneficium largiatur; ne, si suo loco immobilis hæsisset, istas, quibus semper impenderet, regiones constanti ardore exhauriret; quibus nunquam accesserat, eæ perpetuâ nive algerent. Scitote in orbem moveri, & non modò nobis, sed & iis (si id credere possitis

possitis Epicurei ) qui nobis adversis stant vestigiis, prosit; ne, si continuò uni hemisphærio incubuerat, istuc penitus arderet, dum alterum omni calore destitutum prorsus obriguisset. Scitote tam æquabili celeritate circumferri, ut debita calidi, & frigidi, sicci, & humidi temperamenta conservet; ne, si nimis diu, aut adesset, aut abesset, alterum de altero nimium prædaretur. Scitote ad utrumque Solstitium gressu spirali excurrere, ut Anni spatio æqualem sui vim omnibus Terræ regionibus distribuat; ne, si eodem semper circulo volvatur, regiones rectà suppositæ flagrarent, aliæ autem, ab utroque latere sitæ, nullo illius beneficio uterentur. Scitote intra solstitia accessus, ac recessus suos definire, quod in ultimis Terræ angulis quosdam frigoris fontes esse expediat, qui utrinque solis ardorem, qui in medio dominatur, temperarent; ne, si ad usque Polos evagetur, ipse victis omnibus frigoris copiis nimio calore omnem Naturæ humiditatem absorberet. Scitote annuas conversiones summâ constantiâ servare, ut debitâ vicissitudine æstatis brumæque tempestates redirent; ne, si citius cursum inflectat, fruges, quas genuerat, maturitatem non assequantur; si tardius, tum ipse nimis diuturno impetu eas enecaret, tum altera Terræ pars, quam deseruerat, nimis diuturnâ illius absentiâ interiret. Quid ergo has omnes utilitates cùm videritis tam implexâ varietate, tam longâ consiliorum serie, ut, si in uno omnium aliter evenerat, periissent omnes, comparari; sic comparari, solummodo quòd Mundi initio sic fortè evenerit, quæso, vos per ipsum humani generis pudorem, ne dicatis.

Cùm verò hæc omnia tam opportunè fiant, en quibus casibus omnem illorum molitionem machinati sunt Epicurei. Primùm ergo, si quæramus de aptissimo Solis à Terrâ intervallo; Solem inquiunt & Lunam, cæteró sque Planetas loco medio inter terram & summum æthera, quòd sint medii inter utrumque ponderis, consedisse.

> *Quod neque tam fuerint gravia, ut depressa sederent,* Lucr. lib. 5.
> *Nec levia, ut possent per summas labier oras:*
> *Et tamen inter utrasque ita sunt, ut corpora viva*
> *Versent: Et partes ut Mundi totius extent.*

Primùm autem nihil de intervalli commoditate; deinde igneæ Naturæ cùm ſint, quæ omnium leviſſima eſt, cur non ipſi in æthera ſummum avolarent? Cur non eâdem altitudine, quâ ſita ſunt ſidera fixa, volvuntur, cur Cœli mœnia cùm tantâ ſoliditate fabricentur, ſunt ignibus iſtis leviora? Imò quanquam mediæ ſint ſortis, ita ut locum medium, Cœlum inter, & Terram nanciſci debuiſſent, cur tamen tanto intervallo ſint inter utrumque interjecti? Cur inter Planetas Sol neque propiorem, neque remotiorem ambitum obtineat? Cur neque Lunæ, neque Saturni orbe, niſi ne noceret, conſederit? Cur denique in Terrarum orbem non decidant omnes, cùm ſint æthere puro, ac tenui, quem incolunt longè craſſiores? Quid ergo eſt quod prohibeat quo minus in eundem locum, in quem ſua fert natura, delabantur? Præſertim cùm radii ſolares tam incredibili impetu in eam ſuo ſolo pondere trajiciant, quì ipſe Solis globus etiamſi bipedalis, majori ſuâ gravitate non deferatur? At cùm Sol, ſideráque in æthera avolaverint, quid eſt quod tantas moles tantâ conſtantiâ, tantâ æquabilitate, tantâ denique curſuum varietate circumferat? Nunc mentem advortite, aureſque arrigite; nunc enim maxima Epicurei ſtuporis portenta audietis. Primùm autem machinâ utuntur, Sphæris nempe cœleſtibus, quibus cùm infixa ſint ſidera, iis circumductis ipſa ſimul devehi. Atqui verò ad Artificem confugiunt, cùm omnis machinatio ſolius ſit Artificis opus. Iſtâ itaque ratione ſi ſidera moveantur, quo tamen caſu ipſi Orbes extrui potuerant, ut ſuo quiſque motu feratur, ut neque alium quemvis impediat, aut alio quovis impediatur? Quo caſu, etiamſi fortè moveri contigerit, tam incredibili æquabilitate curſus ſuos gubernare poſſint, ut uno momento, per omnia ſecula neque tardius, neque citius abſolvantur? Cùm itaque præter ipſam machinationem eadem omnia de machinarum, ac ipſo ſiderum motu, ſi ipſa ſe moverent, ſint quærenda, propterea quo caſu, quâve neceſſitate ipſa ſe movere voluit, Epicurus, dicemus. Primùm quod cùm mundi initio motus neceſſitatem à parte Orientali impreſſam habuerint, in occaſum pabuli aviditate ſemper procedant. Τάς τε κινήσεις αὐτῶν, οὐκ ἀδύνατον, μὲν γίνεσθαι κατὰ τὴν τοῦ ὅλου οὐρανοῦ δίνην, ἢ τούτου μὲν στάσιν, αὐτῶν δὲ δίνην, κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς

Ep. ad Pyth.

ἀρχῆς ἐν τῇ γενέσει τοῦ κόσμου ἀνάγκην ἀπογεννηθεῖσαν ἐπ' ἀνατολῇ εἶτα τῇ θερμασίᾳ κατά τινα ἐπινέμησιν τοῦ πυρὸς ἀεὶ ἐπὶ τοὺς ἑξῆς τόπους ἰόντος. *Motus astrorum fieri nihil vetat, aut toto Cœlo circumducto, aut ipsis Cœlo stante circumductis, nempe juxta necessitatem motûs ab usque initio, tum, cum generaretur Mundus factam, impressamque ex parte Orientis, ac Igne deinceps ob calorem in consequentia ad depastionem procedente.* Nihil autem ad ista rei Phænomena, quorum præcipuè rationes perquiruntur, non enim tam de ipso motu, quam de illius proprietatibus sciscitamur: Esto ergo, solem mundi initio fortè in quam partem moveri, cur tamen motu circulari, cur eâ celeritate, cur eâ æquabilitate, cur eo ambitu, cur lineâ spirali? Quid an alii ignes qui solùm, ut pabulum depascant, circumferuntur, istas movendi leges conservant? Alia ergo omnium causa, quàm pabuli reperienda est, nisi solem non aliâ constantiâ, aut æquabilitate, quàm Ignem fatuum moveri dicetis. Si deinde, quî solstitiales solis conversiones contigerint, interrogemus, viis quatuor explicandas esse inquit ipse veritatis pater. Aut quod ab initio ea circumgyratio huic sideri imprimi potuerat, ut spirali motu circumducatur, aut quòd Cœlum progressu temporis istam obliquitatem contraxerit, aut quòd aëre, & ventis repellatur, aut denique quòd pabulum sequatur. Cùm verò motu hoc spirali mirabilius sit nihil, quo scilicet Sol quovis die cursum novâ orbitâ perficiat, in certam latitudinem excurrat, quò cum pervenerit, revertat; hujus tam mirabilis effectus si causam quæramus, an non responsum philosopho dignum sit, quòd aut mundi initio, aut aliquando temporis progressu, sic fortè solem moveri contigerit? Hoc est cùm à magno Philosopho sciscitemur, qui hujusmodi motus Soli contigerit, satis responsum putat vir acutus, quòd eidem contigisse contigerit. Proximè verò cùm pabulandi causâ evagari velit, cur non semper in eandem viam depascat? Cur, relictâ pabuli copiâ, cursum inflectat? An non vobis Epicureis mirum videatur, cùm ad solstitium accesserit, à quo ad usque polum opimi pabulationis tractus porriguntur, ut ad tam pinguem depastionem invitari se non sit passus, sed per eundem tractum redeat, cujus omne pabulum hesterno die devoraverat? Nisi sanè moderatore

quodam,

quodam, versis habenis, refrænetur, vix potuisse puto sibi à tam fœcundis, atque uberibus pascuis temperare.

Denique cùm aëre, & ventis ferri voluit Epicurus, sive ut majori elegantiâ Lucretius:

Lib. 5.

*Fit quoque, ut è Mundi transversis partibus aër*
*Alternis certò fluere, alter tempore possit:*
*Qui queat æstivis solem detrudere signis,*
*Brumales usque ad flexus, gelidumque rigorem:*
*Et qui rejiciat gelidis à frigoris umbris*
*Æstiferas usque in partes & fervida signa.*
*Et ratione pari lunam, stellásque putandum est,*
*Quæ volvunt magnos in magnis orbibus annos,*
*Aëribus posse alternis in partibus ire.*

Quid non dicent, & credere se fingent Epicurei, qui tam ratos, tam veloces, tamque æquabiles tantarum molium cursus incertis, & fortuitis ventorum flatibus fieri posse, aut sibi persuadeant, aut aliis persuadendum esse putent? Quanquam tamen, id si fecisse poterant, eadem de ventorum ortu, tam perennium, atque tam certo ordine redeuntium difficultas supersit; præsertim cùm tam disparibus, variis, & contrariis cursibus moveantur sidera, quo constat eodem flatu moveri non posse; at si diversis, rursus ad provincias recurritur; & suum cuique ventum dare oportebit, qui proprio operi insistat, atque vim suam dirigat, & moderetur. Si profectò Lusores ad utrumque solstitium collocasset, qui Planetas omnes, tanquam pilas, hinc inde jactarent, majori longè verisimilitudine rem expediverat, quam cùm tam admirabilem motuum constantiam, & varietatem ventis fortuitis, incertisque aëris agitationibus expedire se putat. Isti enim, ut fieri solet, suas sibi leges ferre potuerant, ut neutri, uter vicerit, certas ultra lineas pilam insequi liceret; cujusmodi ratas ludendi leges, aut ventos sibi præscripsisse fingatis, aut, ne fingatis, tam ratos cursus gubernare.

Quid autem in cœlestium ratione hominem ulterius sequar, qui eâ ignorantiâ, eoque stupore fuit, ut crederet Ortus Occasúsque Solis, & Lunæ contingere posse, per accensionem

accensionem in Oriente, & extinctionem in Occidente? Atque etiam per sui Luminis extinctionem posse utriusque effectus contingere? Longitudines denique alternantes noctium, & dierum per hyemem, perque æstatem contigisse, quod circuitiones solis, nunc velociùs, nunc tardiùs absolvantur? An non dignæ sit fabellæ, ob quas divinam Providentiam funditus ex omni rerum Naturâ tollamus? Quis Numinis Providentiâ, tanquam machinâ, uteretur, qui, quæ factu sunt difficillima, omnia sine machinamentis, tantâ facilitate, expediret? An non dignus hic vir sit, qui hominum genus à sublimium superstitione liberaverit? Quis enim quicquam quod sublimè factum est, miretur, cùm intellexerit solem facem bipedalem esse; eodem modo, quo ignes fatuos, moveri, & quovis vespere extingui?

*Quis potis est dignum pollenti pectore carmen*
*Condere pro rerum majestate, hisque repertis?*

Quis quæ æthereis cernuntur in oris non nisi divino isto Numine fieri posse metueret, cum eâdem facilitate, quâ, quæ intra privatos parietes contingunt omnia, fieri didicerit? Quid, an non potest meteoron quodvis exiguum scrobe posticâ accendi, nisi eidem quis Deus ignem supposuerit? Quid, an non potest ventis huc illuc impelli, nisi quis Deus cursus vagos moderetur? Scito ergo ipsum solem, quem omnium sublimè apparentium maximè miraris, sic nasci, sicque moveri. O incredibilem humani ingenii, si stupere ineptiis sudaverit, stupiditatem! Quenquámne hominem tantum tantis nugis delectatum esse, ut earum inventione nihil minus, quàm nominis immortalitatem summâ insolentiâ sibi polliceatur! Nulla certè bellua hebetiorem pecudem, quam Epicuri mater, utero effudit. Etenim tam obtusa, & quidem belluina sunt, quæ in eo leguntur omnia, ut, cùm legerim, an legam, pene dubitem. Quanquam enim non multos præclaros sui sectatores habuit (atque unum habuisse mihi portenti simile videtur) tantum tamen stipitem, doctos omnes, majori contemptu non habuisse, stupeo. Qui enim ab eo dissenserunt, non tanquam pecus, sed hominem, imò tanquam è Philosophis unum

tractavêre, atque cum reprehenderint, horribili candore veniam præfati sunt. Ipse Seneca sæpius laudavit, Marcus Cicero, quanquam summam ei hebetudinem, quasi detractis de homine sensibus, sæpe exprobret, sæpe tamen quâdam honoris specie habere videtur, atque solus omnium Plutarchus eo, quo debuit, contemptu habuisse visus est. Neque tamen ipse,aut Cicero, cùm contempserit, eâ quâ oportet, indignatione contempserunt, atque in reprehensionibus, quæ in illius Physicam tulerunt, vix ulterius provecti sunt, quàm ut omnem Mundi ornatum fortuitâ atomorum concursione factum fuisse irriserint. Quod autem speciales, quas attulit, rerum rationes spectat, nihil illi, nisi quod bipedalem solis magnitudinem, atque atomorum sine causâ declinationem ludibrio habuerunt, Epistolis ad Herodotum, & Pythocli usi sunt, ut mirer sanè illos, præsertim Ciceronem, in Libris de Naturâ Deorum, quibus omnem cujusque Naturæ partis solertiam secutus est, omnem illius stultitiam in re quâque explicandâ non irrisisse, nisi quod amicorum qui eum secuti sunt, gratiâ, aut nimis affectato candori, pro Academico istius ætatis more, homini pepercerit. Ei igitur, cui tanta pepercerunt ingenia, ne candore, & æquitate defuisse videar, propria ipsius verba diligentius fortè quam par erat, ex indubitatis suis scriptis attuli, quibus pellectis si quis eum doctiorem pecudem, quam ipse existimavi existimare possit, aut sim ego, aut sit iste pecus. Cujus rei judicium libentissimè penes sapientes esto.

Sect. XII. Peractis autem sublimium rationibus, si quæ ante pedes videre dignemini, ad Terram, si placet, descendamus, atque primùm de aëre, cùm per eum transire necesse sit, quòd putatis, dicite. Quid autem interrogas, inquitis, cùm ex ipsis rei Phænomenis corpusculorum levium laxè volitantium aggeriem esse noverimus? Esto igitur etiam, ut placet, laxa aggeries, quî autem ista Lucem ad nos deferre possit, quæso, à vobis audiamus? Atqui de istâ re quoque vos nihil, (quasi in hortulis vestris talparum more vixeritis) nisi quòd Lucis radii solo gravitatis pondere, à sole ad nos usque temporis momento deferantur? Quod equidem inter præclarissima ista Epicuri inventa, quibus in ipso

ipso mortis articulo sibi immortalitatem pollicitus est, numerari vellem. Solem scilicet esse bipedalem, Atomos pondere suo rectâ lineâ delatas declinare, atque solem occidentem extingui. Nemo enim luci tantam gravitatis vim inesse, nisi qui idem ista omnia, dicere potuerat. Saltem motûs impetu quis dubitaret esse lucem corporum gravissimam cùm suis ponderibus à Cœlo usque ad Terram temporis momento, præcipitetur. Quanquam cùm tanto impetu deciderit miror non aërem omnem, & quicquid præterea, in quod fortè decidat, secum in terram summâ vi præcipitare. Et denique fœliciter contigit aëris tenuitas, ne, si concretus fuerat, omnem Lucis motum intercepisset. Posthæc autem omnia, esto aër, nil, nisi laxa aggeries, quî tamen tam accuratè temperari contigit, ut animantibus vitalem, & salutarem spiritum semper præbeat? Si enim crassus, & concretus fuisset, omnino respirare non possemus; si calidus, is, quem sanguini refrigerando spiritum ducimus, totius massæ incendia cieret, si nimis frigidus, calorem vitalem algore corripuerat. Cùm verò summâ puritate ubique fusus, & extenuatus sit, semper præstò est spiritus vitalis, quem ducamus: Atque etiam cùm neque calidus, neque frigidus, sed utriusque compos, frigorum, & calorum, sine quibus omnis interiret Natura, annuas efficit varietates. Si verò aër tenùi fortè naturâ consistat, quis tamen pulmones tam commodè eidem inspirando, & expirando, quo præcipuè vivimus, effecit? Quid an accuratam omnem istam machinationem fortuitò, & non respirationis causâ, factam fuisse putas? Quid autem hominem turpissimis hujusmodi portentis urgeam, quem oculos videndi, linguam loquendi, aures audiendi causâ non fuisse effecta, dicere non puduit? Quod cùm dixerit, satis dictum opinor, nullis enim unquam argumentis, ut quid turpius dicat, cogetur.

Aëre autem in sublime fuso, quomodo terram, & mare efficiemus, quî aquam, ne omnem Terrarum orbem operiret, in suum locum ire jubebitis, quî alveum ei recipiendæ effodietis? At ista cùm sint humilia, nihil ad Epicurum pertinent; è dignitate sua non esse putat, de rebus tam vilibus, quæque ante pedes sunt Philosophari. Ipse enim sublimium se Philosophum esse, gestit, atque igitur, devictis Diis,

& detractâ omni à sole, & sideribus, admiratione, vir in Cœlum victoriâ elatus terrena despicit. Paulò, autem humilior Lucretius, ipse enim Magistrum miratus est, Magister verò, præter se, neminem. Hic ergo cùm Cœlum, & Sidera corpusculis Terrâ expulsis extruxerat, sic demum Terram, & Mare extruxit.

Lib. 5.

*His igitur rebus retractis, Terra repente,*
*Maxima quâ nunc se ponti plaga cærula tendit,*
*Succidit, & salso suffudit gurgite fossas:*
*Inque dies quanta circum magis ætheris æstus*
*Et radii solis cogebant undique Terram*
*Verberibus crebris extrema ad limina apertam,*
*In medio ut propulsa suo condensa coiret:*
*Tam magis expressus salsus de corpore sudor*
*Augebat mare manando, camposque natantes:*
*Et tantò magis illa foras elapsa volabant*
*Corpora multa vaporis, & aëris, altaque Cœli*
*Densebant procul à Terris fulgentia Templa:*
*Sidebant campi, crescebant montibus altis*
*Ascensus: Neque enim poterant subsidere saxa,*
*Nec pariter tantundem omnes succumbere partes,*
*Sic igitur terræ concreto corpore pondus*
*Constitit, atque omnis mundi quasi limus in imum*
*Confluxit gravis, & subsedit funditus, ut fæx.*

Cùm verò Terram, & Aquam è particulis diversâ formâ figuratis factam, atque cujusque formæ particulas infinitas fuisse velit; An non cùm tanta sit utrarumque copia, mirabili casu contigit, in exiguo hoc orbe tot atomos terrestres, cum tot aqueis, coivisse? Cùm si aut plures unius, aut pauciores alterius generis coiverant, inutilis fuerat ex iis exorta moles; si enim plures aquæ, aut pauciores terræ coivissent, fieri non potuit, quin universam Terram aqua inundaret. Cùm verò ipsa aqua, ut nunc contigit, non sit, quantum apparet, pars terræ millesima, utpote quæ rarissimè ad mille passuum altitudinem profunda reperiatur, quæ ad totius molis magnitudinem si conferamus, quàm exigua pars sit, quisque novit. An non igitur mirabili casu contigit, cùm par sit utriusque

utriusque copia, nempe infinita; aqueas particulas tantâ paucitate, tantâ turbâ terrenas huc appulisse, ut, si aquea una accesserit, mille terrenæ accesserint, nimiâ sanè numeri disparitate, cùm sint utriusque generis innumerabiles. Si verò res soli casui permittatur, ut suppari numero coagmententur, expectare oporteret, ut, si mole aliquantum, non tamen multùm discreparent. Quid ergo si Terræ moles, aquæ moli fortè par fuerat, aut duplo, aut triplo imò aut decies major, quid aliud ex iis fieri potuerat præter liquidam molem, campósque liquentes? Atqui ut tam immensâ inæqualitate constipentur, ut sint ad aquæ unam terrenæ mille, profectò quid majus est, quam ut nisi à vobis soli casui imputari possit. Quoniam verò de figurarum in atomis varietate facta est mentio, ab Epicuro, si Physicus fuisset, porrò perquisiveram, quis Geometra eas tum diversimodè figuraverit? Cùm quòd incomprehensibiles formarum species, tum quòd cujusque formæ infinitas atomos esse statuerit. Sic enim ille; Τὰ ἄτομα τῶν σωμάτων καὶ μεστά, ἐξ ὧν καὶ αἱ συγκρίσεις γίνονται, καὶ εἰς ἃ διαλύονται, ἀπερίληπτά ἐστι ταῖς διαφοραῖς τῶν σχημάτων. οὐ γὰρ δυνατὸν γένεσθαι τὰς τοσαύτας διαφορὰς ἐκ τῶν αὐτῶν σχημάτων περιειλημμένων· καὶ καθ' ἑκάστην δὲ σχημάτωσιν ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν ἄτομοι· οὐ γὰρ τὸ πᾶν εἴη τῷ πλήθει τῶν ἀτόμων ἄπειρον, εἰ μὴ ἁπλῶς ἄπειροι ἂν εἶσιν αἱ καθ' ἑκάστην τε σχημάτωσιν ὅμοιαι· ταῖς δὲ διαφοραῖς οὐχ ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν, ἀλλὰ μόνον ἀπερίληπτοι, ὥσπερ εἴρεται, εἰ μὴ μέλλει τις, καὶ τοῖς μεγέθεσιν ἁπλῶς εἰς ἄπειρον αὐτὰς ἐκβάλλειν, ἅτε ἐν τῷ ὡρισμένῳ μεγέθει ἀπείρους ἐννοεῖν διαφορὰς ἀδύνατον. *Insectilia ista, sive solida, è quibus fiunt & in quæ resolvuntur concretiones, incomprehensibilia sunt figurarum differentiis, Neque enim hæc tot tantaque rerum discrimina essent, si hujusmodi figurarum diversitas animo comprehendi posset: Atqui tamen in unaquaque figuræ specie infinitæ numero simpliciter sunt atomi, quoniam alioquin Universum infinitum non foret atomorum multitudine, nisi atomi quæ sunt inter se figuratione similes, infinitæ numero simpliciter essent. Non sunt verò etiam atomi habendæ differentiarum numero infinitæ simpliciter, sed ut jam dictum, solummodo animo incomprehensibiles, nisi quis fortè ipsas ad usque infinitam simpliciter magnitudinem adauctas concipiat, quatenus in magnitudine, quæ finita sit, intelligi diversitates, quæ sint infinitæ, non possunt.*

Ep. ad Herod.

Antea unam posuerat atomorum infinitatem, nunc autem innumerabiles infinitatum infinitates; cùm innumerabiles figurarum species, atque cujusque speciei infinitas atomos esse voluerit. Quod an absurdè dictum sit, viderint alii, ipse non abnuam; solùm de incomprehensibili istâ figurarum varietate, quî sine causâ quâdam contingere potuerat, doceri vellem. Quippe non intelligo quî sua cuique hæc formæ species potiusquàm alia quæcunque contigit; multò autem minùs quî, nisi quis Opifex sibi materiam formaverat, tantâ formarum varietate se ipse Mundo condendo paratas, atque expolitas sistant. Epicuri saltem ratione, quòd ex iis facta sint tam variæ rerum species, effectuum causâ, eâ, quâ sunt, varietate, fieri videntur. Nempe cùm summus Opifex variam Naturam moliri statuerat, materiam, quæ suis operibus constituendis idonea sit, sibi paravit. Si verò ipsæ atomi per se tam immensâ varietate fortè extiterint, an non mirabili admodum casu evénit, unam ex omnibus non defuisse? Quod tamen si contigisset, inutilis quoque rerum natura contigerat. Ita si fortè ex innumerabilibus istis figurarum speciebus defuissent atomi rotundæ (è quibus aquam constitutam esse censent Epicurei) omnis, quæ ex iis nasceretur, moles, sempiternâ sterilitate inculta exaruerat; aut si tali figurâ imbutæ, qualis lucidam solis naturam constituat, non extitissent, ipsa rerum Universitas sempiternis tenebris squalida jacuerat. Neque modò tam incredibili casûs fœlicitate in rebus tam exiguis contigit figurarum, sed & magnitudinum varietas. Quod quoque nisi contigerat, rursum omnis Naturæ usus interierat. Sic enim cùm Lumen eâdem quâ aqua figurâ esse, neque nisi molis subtilitate differre voluerit Epicurus, atque igitur eo, quò non potest aqua, penetrare posse; adeò ut, si eam, quam habent, figuram solis primordia, quam habuisse contigit, nisi quoque aliis omnibus multo exiliorem, omni Luminis usu, & beneficio rerum Natura semper caruisset. Cùm ergo atomi tam opportunè, tam incomprehensibiles figurarum varietates sortitæ sint, hinc præclarum ducitur Numinis argumentum, si enim tam variæ, atque admirabiles rerum species ex iis fiant, & si fieri nequeant, nisi istæ tantâ diversitate præstò essent, adeò ut, si una omnium defuisset, omnis rerum

rerum Naturæ pulchritudo interiisset, an non magis, quàm verisimile videatur, non fortè fortunam tam fœlici varietate lusisse, sed ipsum Opificem, qui varios istos effectus procreavit, variam iis efficiendis materiam procreâsse, atque hinc exortam esse omnem istam, quam intuemur, rerum varietatem & pulchritudinem.

SECT. XIII. Atquì verò cùm tam opportunâ figurarum diversitate extiterint atomi; cùm è duabus earundem speciebus, terrestrium scilicet, & aquearum, exorta sit hæc nostra moles; cùm tantâ utriusque inæqualitate constituta sit, ut, mille partibus, à terrâ aqua vincatur, nihilominus hæc istam universam, cùm eâ levior sit, si sibi permittatur, inundaret. Alveis ergo suis, & receptaculis conclusa prohibetur: Cavitates ergo istas quî fieri contigit? Quòd cùm corpora cœlestia avolaverint, istis retractis Terra repente succidit. At cur non ubique succideret, cùm corpora cœlestia sensim, & vaporum more abierint, quid ergo est, quòd hanc plagam profundùm suffodiat, dum emineat ista, cùm deorsum omnes Terra partes æquali pondere nitantur? Si quidem ingentes Terræ moles avulsæ fuissent, si Proles Titania montes imis radicibus avulsos in Cœlum jaculata fuisset, istâ, inquam, ratione si gurgites, atque ingentes lacunæ hinc inde defodiantur, non mirarer; ut verò rerum minimarum sensim effluentium abscessione tam vasti, tamque profundi hiatus dehiscant, si vos, qui obstinato stupore nihil vultis mirari non miremini, vestram veniam homines mitissimi impetramus, si in hac quoque re, ut in aliis omnibus, stupiditatem miremur. Factâ autem Oceani cavitate, de cæteris illius facultatibus, quî fiant, nihil soliciti estis, neque quicquam dicitis, nisi quòd sic fortè fieri contigerit. Ut, si quemadmodum mare fiat salsum? Interrogemus; nihil vos nisi quod salsus humor fortè è Terrâ exudaret, dicitis, quamobrem verò, aut omnino, aut salsus, exudet, nihil vos, nisi quod sic contigerit. Si cur tam mirabili constantiâ exæstuet? Eâdem inquitis causâ quâ æthera labuntur; si quâ æthera? Eâdem quâ Oceanus; si igitur quâ tam æquabili tenore utrumque? Nihil rursum vos, nisi quòd sic in utroque contigerit. Ita (ut festinem, cùm tam prolixâ hebetudine pene

pene enectus obtundor) si quî fiant nubes, & pluviæ? Summâ utilitate fieri solito lepôre descripsit Lucretius,

Lib. 1.

*——Ubi eas Pater æther*
*In gremium Matris terrai præcipitavit.*
*Hinc nitidæ surgunt fruges, ramique virescunt*
*Arboribus: Crescunt ipsæ, fœtuque gravantur.*
*Hinc alitur porrò nostrum genus, atque ferarum:*
*Hinc lætas urbes pueris florere videmus:*
*Frondiferasque novis avibus canere undique silvas,*
*Hinc fessæ pecudes per pinguia pabula læta*
*Corpora deponunt, & candens lacteus humor*
*Uberibus manat distentis: Hinc nova proles*
*Artubus infirmis teneras lasciva per herbas*
*Ludit, lacte mero mentes perculsa novellas.*

Cùm ergo tanto cùm rerum omnium fructu gignantur imbres, si ab eodem scire aves quibus causis tam altùm tolluntur, quibus tam lentè decidant? En Dodonæum hominis Responsum,

Lib. 6.

*——Ex omnibus amnibus humor*
*Tollitur in Nubes: Quo cùm bene semina aquarum*
*Multa modis multis convenére undique adaucta:*
*Confertæ nubes vi venti mittere certant*
*Dupliciter: Nam vis venti contrudit; & ipsa*
*Copia nimborum turbâ majore coacta*
*Urget: & è supero premit; ac facit effluere imbres.*
*Præterea cùm rarescunt quoque nubila ventis:*
*Aut dissolvuntur solis super icta calore:*
*Mittunt humorem pluvium; stillante quasi igni*
*Cera super calido tabescens multa liquescat.*

Tolluntur ergo semina aquarum; quâ verò causâ? Nullâ profectò aliâ, nisi quòd tollantur, cùm autem graves sint aquæ particulæ, cur omnino? Cúmque aëre graviores, cur in tantam altitudinem supra eum evehantur? Nullâ rursus aliâ ratione, nisi quòd sic evectas esse contigerit. Quanquam egregiam pluviarum descensûs causam attulit, nempe quòd solis

Solis calore ictæ Ceræ ad instar liquescant; miror ergo quamobrem guttis frigidis, & non Ceræ liquefactæ ad instar effervescentes depluunt. Cùm autem Poetæ, modò argutas rerum imagines afferant, de Physicis rationibus soliciti esse non solent; en ergo quid ipse veritatis Pater, qui de Nubibus, cùm ad Cœlestium philosophiam proximè accesserint dicere dignatus est. Νέφη γίνεσθαι, καὶ συνίστασθαι δύνανται, καὶ παρὰ πλήσεις ἀέρος πνευμάτων συνώσει. καὶ παρὰ περιπλοκὰς ἀλληλέχων ἀτόμων, καὶ ἐπιτηδείων εἰς τὸ τοῦτο τελέσαι καὶ κατὰ ῥευμάτων συλλογὴν ἀπό τε γῆς, καὶ ὑδάτων. Ἤδη δ' ἐξ αὐτῶν, ἢ μὲν θλιβομένων, ἢ δὲ μεταβαλλόντων ὑετοὶ δύνανται συντελεῖσθαι. *Nubes generari, & constare possunt, aut cumulatione quâdam aëris, ventis ipsum compellentibus; aut implexione atomorum invicem cohærentium, & ad hujuscemodi concretiones conficiendas idonearum; aut collectione exhalationum è terra, & aquâ eductarum; atque jam ex ipsis creari pluviæ possunt, aut dum comprimuntur, aut transmutantur.* Primum verò (ne omnem nugarum, quas sevit, fœcunditatem demetem) si ex aëre concreto constipentur nubes, quidni omnis illius moles in eundem aquarum cumulum cùm Oceano coiret? Cùm enim iisdem primordiis constet, atque igitur eâdem gravitatis vi valeat, quî se ne in Terram ruat magis, quam ipse Oceanus sustinere possit? An quòd laxitate sua se sublimè tueatur? Ne dicat Epicurus, quî enim laxior esse potuit, cùm eodem gravitatis pondere, in eundem cumulum feratur? Neque si sit, quicquam corpusculorum laxitas ad levitatem confert, cùm suo quæque pondere deorsum ruat; si igitur tantâ facilitate aër in aquam mutetur, ut, ventis impellentibus in eam incrassescat, nunquam dicet Epicurus, quî quovis flante omnes aëris particulæ, perinde ac ipsius Oceani in Terram non subsidant. Deinde autem cùm atomorum, quæ ad hujusmodi concretiones conficiendas idoneæ sunt, implexione nubes fieri docuerit, quid aliud docuit vir sapiens, quàm Nubes ex eâ materiâ, quâ fiunt aut quâ fieri possunt, factas fuisse proculdubio? Quæ autem sit ista materia, unde suppeditetur, quâ vi sublimè aut tollatur, aut concrescat, Physicum, si quid omnino de iis dicere, dicere oportet. Postremò verò cùm ex halitibus è Terrâ, & Aquâ eductis fieri dixerit, si scire aveas, quâ vi emergunt, quâ sursum tolluntur, quâ in nubes concres-

Ep. ad Pyth.

cunt, nullam aliam novit Epicurus, nisi quòd primùm emerserint, quòd deinde avolaverint, quòd postremò coiverint. Atquî tamen quî omnino emersisse putas, summe pater, cùm, ut nosti, ingenito pondere demersæ jacuerint? Cur particulæ terrestres non aliter, atque aqueæ, in altum tollantur? Etiamsi enim pondere aliquanto superent, non tamen tantum, quin quæ vis, nisi admodum accurata sit, alteras sustulit, alteras sustulisse valeat. Ut profectò mirandum sit, ubi volitant, & vagantur nubes, validissima mœnia sine Æsopi Aquilis non extrui; præsertim cùm longè altius evehuntur corpuscula ista, è quibus immensa, atque ahenea totius Mundi mœnia fabricantur. Deinde quo instrumento, quâve machinâ tantam aquarum copiam in altum efferemus? An Calore cœlesti? Quî verò isto? Quod aquam attenuet, atque particulas, è quibus constat, hinc inde dissipet. Quid ergo an dissipatione suum quæque pondus amittet? Nequaquam. Non enim minori vi, cùm suâ gaudet libertate, deorsum nititur, quàm cùm unà cum aliis implicatur. Quî ergo contra vim suam ascendat, solummodo quòd ascendendi, si velit, libertas detur? Denique cùm Nubes in pluviam abire putet, aut quòd comprimantur, aut quòd transmutentur: Transmutatione quid velit nescire me fateor, nisi pluviam tum è nubibus fieri, cùm nubes factæ sunt pluvia. Cùm autem compressione fieri vult, voluisse videtur particulas cùm confertiùs accesserint, atque in moleculas quasdam coiverint, magis gravitare, seque mutuo deorsum premere. Quid verò opus? Cùm suo quæque pondere deprimatur; non ergo alia aliam detrudit, sed quæque seipsum, Atque si mutuò se impellant, nullâ aliâ ratione impellunt, nisi quòd dum deorsum nitantur singulæ, si alia fortè in aliam impingat, vehementius præcipitet. Verùm quomodocunque nubes in pluvias abeant, quî in guttulas abirent, quanquam maximus sit hujus Phænomeni eventus, nihil, ut solet, dixit Epicurus, atque adeo demum hanc nubium, & pluviarum rationem, ut cætera Naturæ omnia explicuit, sic, ut fit, fieri quòd aliquo modo sic fieri contigerit. Quo mehercule uno effato continetur omnis Gargettica Physiologia.

SECT. XIV.

SECT. XIV. Nunc igitur, ô viri Gargettici, rationes magiſtri veſtri, & noſtras conferatis. Hinc ergo cogitate quot ille in re quaque non modo caſus, ſed rerum naturæ adverſos attulit. Quot ut innumerabiles atomi incomprehenſibili figurarum varietate aliæ ab aliis ſolutæ extiterint. Quot ut ſine causâ in eandem viam moveantur omnes. Quot ut ſine loco. Quot ut cùm tam exiguæ molis fuerint tam incredibili pernicitate. Quot ut cùm gravitate impares ſint, celeritate pari. Quot ut cùm pari ſemper intervallo, uſquam coirent. Quot ut ſi fortè aliæ aliis inciderint, eo impetu reſiliant, ut poſtea in viam ingenito ponderi contrariam ſemper ire pergant. Quot ut regiones ſurſum, & deorſum in immenſitate definiantur. Quot ut omnes atomi alteram ament, alteram averſentur. Quot ut non modò ſine causâ, ſed etiam tam contra Naturæ vim, quàm ſenſuum fidem, declinarent. Quot ut cùm nullo conſilio gubernentur, ſuas quæque provincias adirent. Quot ut fortuitâ concurſione inter ſe tam pulchrâ, tamque accommodatâ fabricâ cohæreſcant. Quot ut Terra in Mundi medio ſit, quòd ſit locus infimus, etiamſi neque imum, neque medium uſquam eſſe poſſit. Quot ut cùm eo pervenerint, etiamſi nihilo ſuſtententur, conjuratione quâdam factâ, omnes, exuto pondere, quieſcant. Quot ut Terra eâ ſede ſita ſit, quæ ſola omnium in omni immenſitate ſibi ſit accommodata. Quot cùm uno impetu ferantur, ne in unum acervum convolvantur omnia. Quot ut immenſæ iſtæ Cœleſtium ſphæræ, tanto à Terrâ, tum intervallo, tum robore extruantur. Quot ut eo loci, quo evenit, eveniat ſolis contextura. Quot ut omnino moveatur. Quot ut in Orbem. Quot ut eâ pernicitate. Quot ut eâ conſtantiâ. Quot ut eâ æquabilitate. Quot ut curſu ſpirali. Quot ut intra Tropicorum latitudinem. Quot ut à ſolſtitialibus ſignis utrinque retrorſum, nullâ aliâ causâ, niſi pabuli deſiderio incitatus, aut ventis hinc inde fortè flantibus impulſus. Quot denique ut cùm quovis veſpere extinctus ſit, manè ſemper novo lumine incendatur. Quot ut lucis atomi ab eo exhalantes tantâ ſint gravitate, ut eâ ſolùm impulſæ temporis momento ab uſque Cœlo, ad uſque Terram deferantur. Quot ut aqua, & terra tam enormi inæqualitate coiverint. Quot ne ubique

 permiſceantur,

permiſceantur. Quot ne aqua cùm levior ſit terram undique inundaret. Quot ne aceſcat. Quot ut depoſito ſale in nubes tollatur. Quot denique ut leniter, & guttatim depluat. His autem hinc alterâ lance expenſis, inde contra cogitate nihil quod ſuam utilitatem non habet in rerum naturâ eſſe; admirabili conſpiratione quodque cuique inſervire. Cogitate quanto providentiæ conſilio terra optimo tum longitudinis, tum latitudinis, à ſole intervallo collocetur. Quanto eidem ubicunq; ſita ſit aut ipſi Sol aut ipſa Soli circumvolvatur. Quanto tam æquabili celeritate totam quotidie circumeat. Quanto novâ quotidie ſpirâ. Quanto intra Zodiaci latitudinem. Quanto ab utroq; latere annuatim. Quanto tam mirabili pernicitate lumen undique diffundat. Quanto aër ſaluberrimâ puritate fuſus ſit, & extenuatus. Quanto ne aquarum moles terras undique abſorberet. Quanto ubique agitetur Oceanus. Quanto ſale condiatur. Quanto fontes aquarum per omnes Terræ plagas ſcaturiant. Quanto nubes è mari in aëra tollantur. Et quanto in terras guttatim redeant. Atque hæc cùm ab utrâque parte cogitaveritis, poſtremò in utramque cogitate, ſi in uno omnium aliter quàm evenit evenerat, otioſam, & inutilem extitiſſe omnem rerum Naturam. Quamvis enim atomi ſolares fortè aliquando coaluerint, niſi tamen contigerat iſta coagmentatio, eo à Terrarum orbe intervallo, quo contigit, Sol inutilis extiterat. Si eò loci, & ſine motu adhuc inutilis. Si cum motu niſi circulari, minimè utilis. Si circulari, neque obliquo, minus quoque utilis. Si obliquo, niſi tamen Eclipticæ latitudine, adhuc inutilior. At cùm hæc omnia in ſole contigerint, niſi quoque tot caſus in Terrâ contingant, rurſum omnis tot, tantarumque commoditatum uſus interiret. Si enim aut pauciores atomi terreſtres, aut plures aqueæ, etiamſi magnâ inæqualitate ſint, fortè fuiſſent, ex earum congreſſu nihil fieri potuerat, præter lutum, campoſque liquentes. At ſi is, qui par eſt, utriuſque apparatus contigerat, niſi quoque contigerat ab invicem ſeparari, nil, niſi cœnoſa, & prorſus inutilis foret ex utriſque moles. At ſi ſeparentur, niſi tamen contra Naturæ vim Terra aquæ emineret, nullam ſuis incolis ſedem præbere poſſet. At cùm ſeceſſerint, niſi tamen & ſemper moveantur, & ſale condiantur

aquæ,

aquæ, omnino animantium, qui in terrâ gignuntur, vitæ insalubres fuiſſent. Si verò & motæ, & ſale miſtæ fuerant, niſi tamen rurſum ab eodem variis artibus divellantur, iiſque tam ſubtilibus, ut nulla hominum ars aſſequi valeat, omnis demum Terrarum uſus funditùs interierat. Hæc omnia, inquam, cùm expenderitis, hinc innumerabiles ejuſmodi caſuum, qui nullâ fortunâ accidere poterant, complexiones. Illinc perplexa, & ab invicem innumerabilibus modis conſpirantia rerum omnium emolumenta, quæ nullâ causâ, ſic ut ſunt, eſſe potuerant, niſi quòd conſilio ſic eſſe inſtituantur? Si poſtremò utrinque expenderitis, ut, quanquam incomprehenſibili ſerie ad invicem nectantur omnia, ſi tamen in uno omnium aliter acciderat, interierat omnis omnium uſus, & opportunitas. His, inquam, omnibus ab omni parte expenſis, ſi quis veſtrum eo ſtupore ſit, ut tam admirabilem eventuum conſpirationem, quorum plerique nullo caſu, neque quâvis causâ, niſi præſtantiſſimo conſilio evenire poterant, nullâ Numinis Providentiâ, ſed causâ brutâ, ſuique neſciâ, factam fuiſſe, aut credat, aut dicat, quid ipſe dicam? Tuâ, fatue, fatuitate fruere, & vale.

SECT. XV. Iſto autem homine profligato, qui, ut mihi videtur, inter pueros in Patris ludo (erat enim Ludimagiſter) potius vapulare, quam inter Philoſophos perſtringi meruit; ita quidem, ut refutare dignatus non fuiſſem, niſi ſummi Philoſophi refutandum eſſe putaverant, neque tamen ſatis refutavére. Proximus ſequitur Carteſius qui ſuâ ratione eandem Philoſophiæ viam longè majori ingenio, atque, ut puto, meliori inſtituto, quantum fieri potuit, inſtruxit, & adornavit. Non enim ab initio impietatem animo meditatum fuiſſe puto, ſed cùm à vitâ militari, nullis artibus, niſi mathematicis, eruditus ad literas acceſſerit, iiſdem mechanicis legibus, quibus caſtra, & ſtativa vir ſolertiſſimus extruxerat, mundos quoque extrui potuiſſe putavit. Quicquid verò animo habuerit, philoſophiam ita tractavit, ut ſuâ philoſophandi ratione omnem de Naturæ Opifice ſcientiam planè ſuſtulerit. Quanquam enim ipſam materiam, è quâ, factus ſit Mundus hic aſpectabilis, initio à Deo procreatam, in particulas certæ cujuſdam magnitudinis

divisam, certâque motûs quantitate incitatam esse voluit, cùm tamen datis istis ipsam se suis legibus neque à Deo definitis, in hanc Universi fabricam sponte extruxisse concluserit, nimis perspicuè Deum, quem rerum Opificio præesse præfatus fuerat, ab eodem penitus exclusit. Si enim ipsa materia, ipso nihil procurante, se suis viribus in hanc Mundi fabricam composuisse detur, an à se existat, atque moveri possit, cuivis, nedum Cartesio, negotii multum non facesset. Atque propterea nonnunquam subvereri me fateor, ne in periculum, aut invidiam veniret, pauca ista, quæ hypothesi suæ supposuit, supposuisse. Præsertim cùm eam ab eo principio exorsus sit, à quo Athei omnes exordiuntur, veram Physiologiam à rerum finibus accersendam non esse. *Quod* profectò *nimis superbè de nobis sentiremus, si fines, quos in Mundo extruendo sibi proposuit, ingenii nostri vi comprehendi posse putaremus.* Quâ quidem modestiâ, sive seriâ sive simulatâ, omnem, quam de Deo scientiam, à rerum Naturâ habere possumus, sobriè, & religiosè sustulit. Cùm inde Deum esse nullâ aliâ ratione, nisi quòd ad finem quendam præstitutum collimaverint quæ fecit, omnia, intelligamus. Rectè equidem & piè consuluisse fateor, ne nimis temerè, & angustè fines, quos sibi proposuit immensa Numinis sapientia, definiantur. Cùm amplissima illius opera, multos usus, eósque nobiles & eximios habere possint, qui nostrâ, sint, an non sint, non omnino intersunt. Ita quidem perspicuum satis est Terræ, quam incolimus, utilitati Solem, & Lunam inservire; non igitur ei soli inservire dicemus. Nobis ergo satis esse dicimus, quòd eorum usu fruamur, & quanquam alios, eósque præclaros, quibus inserviant, habere possent, tamen nostrâ cùm non intersint, nobis fortassè nunquam innotescent. Quoniam verò nostræ opis non sit, omnes rerum fines investigare, an igitur nullos, eos etiamsi quotidiè palpemus, & videamus, agnoscere licebit? Istuc quidem Cartesi, non modestiæ foret, sed brutæ potius, & fatuæ vecordiæ. Imò frustra omnino essemus, si semper ignotis, & neglectis rerum finibus, quicquam in illarum naturas, vires, & facultates inquiramus; cùm sui solius finis gratiâ, eo modo, quo constituta est, constituatur cujusque Natura; atque adeo ad eum solum respiciendo quid

Part 3. sect. 2.

quid in re quâque quærendum sit, monemur, & sine eo quid quæramus prorsus nescimus, sed semper vanas conjecturas, & somniantium visa sequimur. Cujus rei exemplo sit ipse Cartesius, qui cùm semel è Physicâ suâ omnem finis contemplationem ablegaverat, cùm omni suo mechanico acumine, omníque mathematico apparatu naturam rerum investigare aggressus sit, nil, nisi futiles, & inanes quasdam fabulas magno cum labore finxit, & somniavit. Et quid mirum? Nisi enim ob quosdam fines, leges suæ mechanicæ, quibus omnia absolvit, institutæ sint, nullam omnino illarum rationem reperiemus. Cùm eâ solùm ratione naturæ leges fiant, quòd ad præstitutos suos effectus designentur; & nisi designentur, unde aut sint, aut quî quid valeant, nunquam assequemur. Sic leges, quas sibi ipse finxit, scilicet quicquid semel moveatur, semper moveri; omnem motum suâ naturâ esse tum rectum, tum à centro; motum rectum à centro, cùm plura moventia se impediunt, semper fieri circularem, si ab Instituto divino proveniant, ut Phænomena, quæ effecerunt, efficiant, quamobrem istâ conditione naturæ leges fiant, facile intelligimus; alioqui nulla cuivis occurret ratio, quin quæ iis contrariæ sint, Naturæ leges esse potuissent. Usque adeo perspicuum est ut nisi primùm rerum fines agnoscant Philosophi, principia nulla habere posse, quibus philosophari incipiant; iis verò semel inventis, probabiles conjecturas de reliquis causis assequi licere. Cùm igitur postquam è Physicâ suâ omnem finium scientiam ablegaverit, proximo articulo subjiciat, esse tamen in *Ethicis pium, dicere omnia à Deo propter nos facta fuisse, quanquam sit in Physicis ridiculum*, id populo adblandiendi causâ planè subjecisse visus est. Nisi enim physicâ rerum contemplatione, quantum nostro sint usui, constet, nulla erit in Ethicis ratio, quamobrem nostrî causâ factas fuisse credamus. Atque igitur si illius consideratione omnia nostrî causâ facta fuisse non intelligatur, ultro nulloque fundamento nixa de eo opinio, sed inani anticipatione prærepta in mores referetur.

SECT. XVI. Quanquam dissimulare nequeo non modo *Cartesium*, sed & ante eum illustrissimum istum Philosophum,

*Verulamium*

*Verulamium* nostratem finalium causarum inquisitionem longè à Physicæ suæ provinciis amovisse. Qui propterea in eâ male collocatam queritur, quòd causarum physicarum investigationem impedierit, sive ( ut ille ) Remorarum instar scientiarum quasi velificationem retardarit, quòd cùm homines speciosis, & umbratilibus istis causis adhæréscant, non ulterius in physicæ scientiæ cursu velificari curarunt. Quâ de causâ Democriti, & aliorum, qui Deum, & mentem à fabricâ rerum amoverunt, Philosophiam, sibi videri aiit, *quatenus ad causas physicas*, multò solidiorem fuisse, & altius in Naturam penetrasse, quàm, illa *Aristotelis*, & *Platonis*. Quo quidem rei judicio, veniam cùm à bonis omnibus, tum ab ipsis viri maximi manibus impetrem, si solito suo acumine caruisse dixerim. Tametsi enim cùm quovis, nedum cùm tantæ, tamque merito acquisitæ Authoritatis viro, de scientiarum terminis, pugnare nollem; Quam latè pateat Physicæ campus; an omnino, & quibus Metaphysicæ limitibus circumscribatur. Aut si eam controversiam, meâ quid interesse censerem, ipse non de terminis, sed de totâ possessione contenderem, omnemque Metaphysicæ provinciam, Physicæ finibus apponi oportere litis actione perorarem. Quo enim casu distincta esse cepit disciplina novimus: Quod nempe cùm Aristoteles obscura, & confusa quædam fragmenta reliquerit, quæ in Physicorum libros infercire non potuit, ista sectatores sui Metaphysica appellarunt, quod cùm iis nullum idoneum locum invenire possent, post Physica collocari placuisset, ( ut Cardanus suos de varietate libros, è ruderibus congessit, quæ, post eos de subtilitate conscriptos superessent.) Quo libro quanquam omnis impietatis summa sit, cùm omnem *Philosophi* (ut appellant) Theologiam contineri scholastici existimarent, immanem, atque ociosam istam, quam coluére Theologiam, inde desumpserunt, & qui rem seorsim tractare vellent, Deus bone ! quam immensa quæstionum, quæ nullum habent aut usum, aut certitudinem, volumina condiderunt ! Nostras autem vir nobilis, abjectâ vulgari istâ Metaphysicâ, utriusque scientiæ terminos sic definiri voluit, ut Physicæ provinciæ sit, de causâ effectrice, & materiali; Metaphysicæ de formâ, & fine tractare. Quorsum verò? Quamobrem una eademque non

De augment. scient. lib. 3. cap. 4.

non sit de omnibus causis scientia? Quid enim aliud est rem quamque nôsse, quàm illius causas investigare? Nisi ergo omnes, imperfecta, & manca sit necesse est, quamcunque de re quavis scientiam habeamus. Ut quidem, si separentur, id non sit partiri, sed mutilare. Præsertim cùm causarum omnium mutua sit scientia, ita ut altera, ut oportet, sciri non possit, nisi & altera sciatur, neque una, nisi & omnes. Quâ solâ ratione multùm præstare arbitror causarum omnium naturalium investigationem unius scientiæ terminis finiri, quàm in plures, fossis quasi vi factis, discerptam esse. Saltem quicquid præterea extra Physicæ fines in exilium ire imperaverit vir magnus, causam tamen finalem imprimis retineri ab eo exorarem. Quòd cùm omnia illius causâ, & fiant, atque suo modo fiant, nisi quæ sit illa prius, quodammodo intelligamus, quid in re quâque quærendum sit, semper nesciemus; istâ autem cognitâ, facillimè & quasi manu ducet in cæterarum omnium scientiam. Exempli gratiâ, si de rei cujusque causâ effectrice fiat disquisitio, cùm sit causa effectrix, aut prima ista omniumque communis, aut secunda, atque rei cujusque propria, in utriusque cognitionem quo dirigit finis sequendo, ducimur. An enim quævis omnino sit causa effectrix prima, scire nequit Physicus, nisi quòd cùm rei usum perspexerit, causam intellectricem esse sciat, quæ & finem instituit, & media ei assequendo idonea elegit. Si verò non perspexerit, quidni, quæso, ipsa materia fortuitâ quâvis concursione in inutilem molem coire potuit? Atque igitur, sublatis rerum finibus, nulla, nisi Epicurea, quæ omnia solis materiæ motibus efficit, superfutura est Physiologia, & si quis, eos cùm sustulerit, causam effectricem à materiâ diversam accersire velit, aut ultro ut hic, aut ut Epicurei simulatè accerset. De alterâ causâ, quæ secunda dicitur, eadem ac de primâ erit disquisitio: Si enim nullâ certâ ratione procedat, rursùs in solius materiæ casum devolvimur; sin certâ, quæ sit, atque quemadmodum instituta, solâ mediorum ad fines aptitudine intelligitur; cùm sit vis quædam artificiosa, quæ ratâ, & stabili viâ, seu, ut ille loquitur, *Schematismo* vires suas in rebus gignendis exercet; ut ergò, quæ sit, & quid valeat, intelligamus, videndum est, quâ viâ, quibus gradibus, & ad

quem finem progrediatur. Quæ si quis noverit, id demum est omnem illius causæ naturam pernovisse. Quod idem de rei cujusque formâ dicendum est, cùm enim nihil sit aliud, quàm internum istud agendi principium, eâdem, non aliâ disquisitione seorsim institutâ, investigandum est. Ipsa autem materia, nescio an quâ inquisitione digna sit, cùm an ista, quæ prima dicitur, simplex sit an varia, atque sive simplex, sive varia, cujusmodi sit, neminem aut scire, aut sciturum esse arbitror. Et si quis sciverit, nullius pretii scientia videtur, nisi quoque intelligat, quibus mutationibus rei cujusque formam assequatur. Atquî sic rursus in formarum scientiam revertimur, quæ cùm rei cujusque finem explorando acquiratur, perspicuum est ab istâ disquisitione, omnem de naturâ philosophiam inchoari, atque in illius inventione perfici; ut demum si è Physicæ terminis ablegetur omnis causarum finalium contemplatio, non modo inutilis, sed nulla superfutura sit scientia. Cùm verò causas finales physicarum inquisitionem semper impedivisse urgeat vir magnus, quòd qui iis usi sunt, in iis semper acquieverint, istuc non ipsius scientiæ, sed hominum culpam esse novit, qui cùm à tam fœlici initio exorsi sint, ad exitum, in quem res ipsa duceret, pervenire solâ oscitantiâ neglexerunt. Ita ( ut ipsius exemplo utar ) *cùm ossa pro columnis, & trabibus intellexerint à naturâ induci, quibus fabrica corporis innitatur*; An non nisi planè oscitentur, & dormitaverint, in alias omnes inquisitiones ducat, & impellat? Nempe quæ sit ossium natura, quî in animalium generatione procreentur, quomodo ad stabilitatem extruantur, quâ structuræ ratione, atque commissurarum varietate, ad suum munus optimè comparentur? Quam sanè scientiæ viam nisi secuti sint, manifestam ignaviæ, & stuporis culpam fuisse constat. Saltem, si paulò seriùs vixisset vir summus, hâc solâ scientiæ ratione ipsam Anatomiam ad perfectionem pæne perductam esse viderat. Etenim docti complurimi, cùm quasi consensu quodam quisque suæ partis, quam sibi tractandam sumpsit, omnes usus expertus sit, omnem totius corporis naturam accuratè exploravere; ut quidem jejuna admodum, & puerilis plerunque sit omnis veterum Anatomia, si cum recentiorum inventis conferatur. Cùm verò Platonem, atque

Aristotelem in hæc vada impegisse insistat, ipse utriusque ruinæ rationem optimè insinuavit. In Physicâ nempe nihil profecisse Platonem, quod Ideis suis, sive formis materiâ abstractis, omnia perfici voluerit, quâ unâ re omni Physicæ de cæteris inquisitioni finis imponitur: Neque eo melius rem fecisse Aristotelem, quòd causas finales, *potius ut Logicæ amator, quàm Theologiæ amplexus sit.* Quæ profecto nescio, an acrior, an verior sit istius Philosophiæ censura, cùm plerasque, quas in Physicâ rationes attulit, è Logicâ suâ desumpserit; in eâ enim, quas voluit, rerum definitiones cùm sibi fabricavisset, ne fiat definitionum dispendium, res ut prius factas esse definierat, fieri oportere conclusit. Exempli causâ, motûs æternitatem à temporis æternitate demonstrat Poilosophus, quòd cùm tempus motûs mensuram esse definiisset, si semper istuc sit, motum quoque, quem metiatur, semper esse necesse est. Neque alii, quos affert, fines aut à cujusque instituto, aut ab ipsâ rerum naturâ oriuntur, sed à suis solùm decretis, quæ ad libidinem, & sine causâ statuisse placuerat; atque igitur Cœlum in ortum potius quàm occasum moveri, tum quòd Oriens mundi pars dextra sit, tum quòd præstet in dextram, quàm sinistram moveri; utrumque autem ipse pro arbitrio decreverat, esse in naturâ dextram & lævam, atque esse alteram alterâ nobiliorem; adeo ut ratio decori, ad quam in finibus suis constituendis respexit, ad rerum naturam nihil pertinuerit, sed quippiam aut esse, aut non esse statuit, ut maximè cum suis Effatis conveniret. Atque duobus hisce exemplis, pæne omnem Aristotelicæ physiologiæ rationem exhibui, è quibus tam jejunè philosophatum fuisse quis non videat, non quod causas finales, sed quod steriles, & infœcundas physicarum vice substituerit, atque præsertim quòd omnem rerum Naturam causis finalibus sine cujusvis consilio impprægnaverit. Quo quid fieri potuit absurdius? Præstaret enim in omni Naturæ solertiâ nullos esse fines dicere, quàm esse dicere, nullius autem consilio constitutos. Saltem eâ ratione non aliter, quàm Democritus & Epicurus, Deum & Mentem à fabricâ rerum amovisse visus est: Quod cùm fecerit, ipsi non alias causas finales, quàm quas illi afferunt, afferre licet, istam scilicet rerum seriem, & connexionem,

quæ ex ipſa materiæ & motûs neceſſitate conſequatur. Quo conſensêre utrique, neque re quâvis diſſenſere, niſi quòd, dum ille omnia qualitatibus ſuis, iſti atomorum motibus effecerint. Atque iſtuc rem unicam eſſe videret ſi experiri vellet vir acerrimus, quâ eorum philoſophia naturalis ſibi ſolidior eſſe, atque altius in naturam penetrâſſe videatur. Qui ergo fieri, quis fortè inquiet, tanti judicii virum, tam immanes fabulas ſoliditatis laude extuliſſe? Scias ergo idem non modò ipſi, ſed & iſtius ſeculi doctioribus omnibus contigiſſe. Cùm ſcilicet planè ineptam, & inutilem iſtam, quæ tamdiu invaluerat, qualitatum philoſophiam perſpexerant, atque indignarentur iſtos è ſcholâ fungos cucullatos eam tam ſuperbo imperio humano generi impoſuiſſe; ſi quam Philoſophiam fortè invenerant, ſive vera, ſive falſa ſit, modo intelligi potuerat, ipſum ſtatim veritatem inveniſſe ſummo gaudio elati vociferantur. Atque adeo cùm in iſtam Atomorum philoſophiam, quæ per multa ſecula incognita, & obſoleta jacuerat, incidiſſent, nihil non magnum de eâ ſibi, & aliis promiſerunt, atque igitur in ea excolendâ, non pauci, omnem ætatem trivére. At ubi cœptum, ibi deſitum eſt; ut enim ipſe Baconus initio omnia Naturæ opera variis corpuſculorum *tentamentis, & prælusionibus* facta fuiſſe intellexerat, ita qui ſecuti ſunt, nondum ad ulteriorem exitum provehuntur. Importunos de atomis clamores ſemper, & ubique, audimus, mundos moliri, & demoliri: At quibus tentamentis, & prælusionibus quicquam in naturâ ſingulare efficiant, nihil ulterius audivimus, neque, ut audiamus, ſperandum eſt, donec Philoſophi tandem à rerum finibus ſuas mechanicas leges diſcendas eſſe intellexerint. Quòd denique ſi quando intellexerint, intelligent quoque quo ordine, à quibus principiis, per quos cuniculos liceat Naturam venari, ut ſi humano ingenio omnino in illius receſſus penetrare liceat, aut iſtâ, aut nullâ viâ, penetrandum eſt.

Sect. XVII. Poſtremò non poſſum, quin maximè mirer, & fere ſtupeam egregium hunc Philoſophum, tam incautè cauſas finales è Phyſicâ ſuâ ablegaviſſe; cùm quòd non modò ſummo judicii acumine præſtiterit, tum etiam quòd

summâ cum diligentiâ veterum scriptis versatus sit: Quòd cùm fuerit, nescire non potuit omnem inter eos de numinis existentiâ controversiam hâc quæstione primùm versari. Qui enim nullum Numen esse dicerent, omnem quoque causam finalem è rerum naturâ ablegari oportere dixerunt. Primo enim intuitu intellexére omnes, si naturalia omnia finis causâ aut fiant, aut agant, quendam esse omnium Opificem, cujus consilio ad suum finem quodque dirigatur, atque adeo Deum esse, seu (quod eodem redit) Universi Dominum, & Rectorem. Atque igitur *Democritus*, *Epicurus*, aliique omnes, qui nullum Numen esse voluerunt, eâ solùm ratione fines in rerum naturâ videre nollent, ne, si vidissent, Numen quoque, cujus consilio constituti sint, fateri cogantur. Dum qui contrariam causam tueri in se susceperant, cujusmodi præcipuè fuere primi tum ex *Academiâ*, tum è *Stoâ* Philosophi, de rerum finibus præcipuam contentionem fecerunt. Atque igitur optimè, & summo cum judicio veteres quosdam *è Porticu* mechanicos, (qui etiamsi summum Numen esse censuerint, omnia tamen Naturæ Phænomena, non illius consilio, sed variâ rerum levitate, & gravitate facta fuisse censuerunt) hos optimè inquam vir optimus olim monuisse videatur, ne non modò ab omni Numinis cultu, sed primis suæ sectæ decretis desciscant. Ut enim sectæ Pater omnia ita Numinis Providentiâ constituta, & designata esse voluit, ut quidem omnibus fati necessitatem imposuerit, quidam qui secuti sunt, vice fati à Deo constituti novum quoddam mechanicum finxere, quo causa causæ sempiternâ serie connectatur. Hos, inquam, ne incauti omnium ruinas edant sic prudenter monuit. Aliquanto fateor prolixior locus est, cùm tamen tam aptè rei, quæ agitur, conveniat, atque cùm summo acumine disputetur, eo operæ pretium duxi cum viro ei omnium, ut mihi videtur, simillimo controversiam perorare. Sic igitur ille. Vide tu, homo belle, ne transferens, & abducens unumquodque eo, ubi natura illi locum assignâsse videtur, quandam Mundi dissolutionem commenteris, & litem Empedocleam rebus immittas: Aut potius priscos illos excites contra Naturam Titanes, & Gigantes, fabulosamque illam, & horrendam confusionem introducas, seorsim omne grave omne leve disponens.

Plut. de facie in orbe Lunæ.

Lib. de facie in Orbe Lunæ.

disponens. Non terra caloris foret particeps, non aqua spiritûs; nihil gravium sursum, levium deorsum moveretur, sed res, quæ principia rerum censentur, mixtionem fugientes, neque altera alterius nullam contemperationem admittentes, sed omnem communicationem aversantes, suisque propriis, & contumacibus motibus contentæ, eo modo quo Universum à quo Deus abest, ut dixit Plato, se haberent. Hoc est, sicut se habent corpora animis destituta & mente, donec amabilis Providentiæ facultas in naturam ascita est, iisque Amicitiam, Venerem, & Amorem indidit (ut Empedocles, Parmenides, Hesiodus cecinerunt) ut locum mutantes res, & una alterius facultate impertitâ, aliæ quietis, aliæque motûs necessitatibus illigatæ, & ad meliorem statum vi quâdam adactæ, pro eo, atque sua ferebat Natura, ut concederent, atque mutarentur, concentum quendam, societatemque conficerent. Etenim si nulla Mundi pars præter naturam affecta fuit, sed unumquodque ita, ut natum est jacet, nullâ translatione, nullâ mutatione indigens; quibus ne initio quidem opus habuerit: Miror, quodnam sit munus Providentiæ, aut quid fecerit Pater ille, & Artificiosissimus Opifex Jupiter. Non enim, in exercitu, scientiâ opus est ordines instruendi, si suâ sponte quivis militum locum suum, ordinem, & stationem noverit, quæ accipere debeat, & tueri. Neque hortulanis, aut architectis usus erit, si ibi aqua ultrò adfluat plantis rigatione indigentibus, hîc lateres, ligna, & lapides spontaneis motibus in locum, concinnitatemque designatam, coeunt. Sin est, ut hæc ratio palam tollat Providentiam, soli autem Deo conveniat, rerum dispositionem dispertiri; quid mirum, sic ordinatam, & concinnatam esse Naturam, ut hîc Ignis, ibi Astra, alibi Terra, superiùs Luna sit collocata, arctiore rationis, quàm naturæ vinculo constricta? Aliôqui si omnia naturalibus ferri debeant momentis, neque Sol jam in Orbem revolvatur, neque Lucifer, neque aliorum ullum Astrorum. Sursum enim, non secundùm circulum, ferri levia, & ignea Naturæ impetus jubet. Si verò hanc Natura admittit varietatem, in locorum mutatione, ut hîc ignis suo motu semper sursum tendat, quando autem cœlum attigit, cùm ejus rotatione circumagitetur: Quid mirum, si etiam

etiam gravia, & terrena ita superantur à continente corpore, ut aliud motûs genus suscipiant? Non enim profectò id fert Natura Cœli, ut levia sursum ferri prohibeat, gravia & deorsum inclinantia compescere nequeat, sed utrorumque naturâ ita utitur, ut eam in melius convertat. Verum enimvero si quod videtur, nobis impavidè dicendum est, omissis iis opinionibus, quorum habitus serva nostra fecit judicia, apparet nullam Universi partem ipsam à se, ordinem, situm, motúmve habere, quæ absque ullâ conditione naturalia dici possint; sed quando unumquodque, si cujus rei ortum factúmve est, ei se utiliter movendum accommodet, & vel ad agendum, vel ad patiendum, ita se præbeat ut ejus saluti, pulchritudini, & facultati convenit; tunc videbitur Naturæ convenienter collocari, moveri, affici. Ita sanè, quid ipse censuit impavidè dixit (& justâ quidem fiduciâ) rerum scilicet naturam, quoquoversum vertas, nisi causam finalem investigando, non omnino intelligendam esse: Cùm enim neque cœco efficientis impetu, neque solius materiæ necessitate, res eum, quem videmus, ordinem adipisci potuerint, Opificis cujusdam consilio, qui in quâque re ad finem præstitutum respexit, & suas cuique facultates ei assequendo dedit, se uti necesse esse vidit.

Hæc autem cùm vos omnes, ô doctores mechanici, de communi vestrâ causâ monuerimus, de cæteris nos vobiscum mordicus disputare nolle sciatis. Atque primùm nostrâ nihil referre, quam philosophorum sectam, quasve Mundi hypotheses sequamini, nempe ipsos naturæ fines, qui cuique satis aperti sunt, nos sequimur, non ut vos, abditos operandi modos. Nobis itaque perinde esse sciatis, Mundi œconomia eo ordine, qui Ptolemæo placuit, an eo, qui Tychoni, an eo, qui Copernico, an alio quocunque extruatur. Cùm enim ad quodcunque exemplar illius Idea conformetur, ad artificiosissimum quoddam conformatam fuisse à mutuâ, & manifestâ rerum omnium sibi invicem utilitate dubitare pudet. Ita sive Terra Soli sive Sol Terræ circumvolvatur, eadem prorsus in utroque sitûs utilitas reperitur; atque utrum mavis, neuter eâ ratione, quâ movetur, moveri potuit, nisi ut præclaros istos, quos diximus, usus assequatur. Nihil ergo ignavam quorundam vestram

proterviam

proterviam moramur, qui quicquam à Naturæ operibus certò concludi posse negant, quòd quî fiant, nondum satis exploratum habeamus. Quomodocunque enim aut operetur aut instituatur Natura, si fortè nescii simus, tamen cùm tantâ arte institui, atque in tam præclaros fines semper operari, quocunque demum modo videamus, an non eâdem certitudine sapientissimi cujusdam Artificis consilio gubernari novimus, ac si quâ ratione eam tam accuratè comparaverit, penitus perspectum habuerimus; nisi cuiquam an ulli uspiam sint Artifices importuni isti fuci, dubitandum esse dixerint, quòd quo artificio Automati cujuslibet rotas, filamenta, & commissuras disposuit, ipse artis ignarus cùm sit, non intellexerit.

Denique suam cuique non modò mundi hypothesin, sed & suam de eâ philosophandi rationem concedemus, imprimis verò nostrâ non omnino referre intelligatis mechanico vestro, an quovis alio artificio, rerum natura administretur. Cùm quocunque fiant omnia, consilio quodam quòd ad suos in singulis fines collimavit, gubernari noverimus. Quanquam sic adversariis omnibus impudentissimè prævaricari, atque ne eâ, quâ oportet, æquitate adversarii audiantur, præjudicia ciere soletis, ut, si quis ineptias vestras aut contempserit, aut reprehenderit, statim eum qualitatum philosophiam revocare clametis. Quâ calumniâ omnibus ingenuè philosophantibus, quos nihil tam trepidè vereri nostis, quàm ne in turpissimam scholasticorum tyrannida rursum redigantur, odii, & invidiæ satis conflatum esse putatis. Sciatis ergo multa, ac magna ista, quæ de mechanicis vestris viribus loquimini nos eâ conditione ultro daturos, si retrò detur, eas non è brutâ, & cæcâ materiæ temeritate, sed ab Artificis instituto inchoari. Quo dato, omnis inter nos sedatur controversia, cùm non minorem sapientiæ vim efflagitet istiusmodi Mechanismi apparatus quàm si quæque, solâ Artificis potentiâ, suo forent ordine perfecta. Quanquam igitur multa, quæ in rerum natura evenire intuemur, nobiliori quodam principio administrari ipse puto, tamen si omnia, solâ mechanicâ ratione perfici vos velitis, quantò magis causæ principis solertiam vos mirari debetis, quæ materiam vagam, & inertem eâ arte

gubernet;

gubernet; ut tam inviolabili conſtantiâ tot, tamque admirabilibus muniis ipſa ultro fungatur? Cùm longè præclarioris artificii ſit Automata conficere, quæ ipſa ſe ſuis viribus moderentur, quàm inſtrumenta, quæ nihil, niſi ipſius Artificis ſubſidio moliri poſſunt. Non ergo eâ quæſtione verſatur vobiſcum controverſia, an Naturæ phænomena mechaniſmo explicandæ ſint? Sed an mechaniſmus iſte, cujus tantam vim eſſe vociferamini, niſi causâ quâdam intellectrice inſtituatur, tam mirabilia efficere potuerat? Iſtuc ſi in vos diſputandum ſuſceperitis, quàm mirificè facetiis veſtris capti delectabimur, ut in uno Epicuro nihil eſſe, quòd uberiori riſu delectari poſſit, quam iſtiuſmodi conatûs inſania vidiſtis. Imò quidem tam craſſæ, & curtæ ſunt, quas hactenus finxiſtis, hypotheſes, ut, ſi cum ipsâ rerum ſubtilitate conferantur, vos quoque, niſi quòd vobis, veſtriſque commentis ridiculè aſſentari ſoleatis, tam graves ineptias non poſſetis non irridere; ſaltem uſque adeo ineptæ ſunt, ut ſatis ipſæ declarent naturam rerum, non ſuâ, ſed aliâ quâdam, quæcunque ſit iſta, ratione gubernari. Clamatis rerum omnium vires ſolis corpuſculorum motu, magnitudine, figurâ, ſitu, & ordine explicari; at ſi, ut intimam cujuſvis effectus naturam explicetis, deſideremus, nunquam ulterius pergitis, niſi quòd eo modo, quo fit, atomorum motu quodque fieri doceatis; quanquam, omiſsâ plerunque interiori rerum naturâ, ſatis vos feciſſe magnumque aliquid aſſecutos eſſe arbitramini, ſi de unâ aut alterâ cutaneâ qualitate conjecturas qualeſcunque attuleritis. Sibi itaque per me licet placere pergant Hypotheſibus ſuis extruendis mechanicarum legum Architecti, atque ſuâ quiſque, ſi quam fabricatus eſt, gaudeat, & ſi quos diſcipulos adeptus ſit, regno ipſe ſuo, modo ſuo Deum non exuat, ut placet dominetur. Sin ſuâ provinciâ contentus eſſe nolit, ſed in Numinis poſſeſſiones irrumpat, ſuæ det temeritati, ſi ſuis ipſe omnibus exuatur. Atque ſic Carteſius (ut ad eum à communi mechanicorum causâ redeamus) qui egregius philoſophus eſſe potuerat, ſi quas in mundo condendo partes ſibi ſumpſit, ſummo opifici tribuiſſet. Cùm verò omnes ſibi ſumpſerit, nil, niſi ruinas & ſibi & Mundo fecit; etenim quæ ſit vera rerum naturæ fabrica, & quibus artis mechanicæ legibus

extructa sit cum suo Acumine explorare potuit; quod si fecerat, germanam mechanicam Philosophiam confecisset. Cùm verò mechanismi fortuiti seriem, atque Mundi structuram, sine Deo ordiri ipse vellet, cum omni sui ingenii subtilitate, lutulentâ istâ Epicuri fatuitate demersus, volutavit, neque multò peritiori elegantiâ, quam homulus iste imperitissimus, luta, & limum aggessit. Atque sic non modo omnem rerum nostrarum universitatem, sed & Mundos alios innumerabiles sine Architecto, & Machinamentis Oblimator fabricare pergit.

SECT. XVIII. Primùm nullum spatium à corpore diversum esse voluit, & cujusque locum, nihil aliud esse, quàm suam cujusque magnitudinem; atque igitur nullam in Universo vacuitatem, sed præcisè quantum materiæ, spatii tantundem esse, ita ut sicubi nulla reperiatur materia, neque spacium esse, ubi autem reperitur, absoluta sit, nullâ interjectâ inanitate, corporis plenitudo. Atque ita constipato Universo proximè Deum omnibus materiæ particulis motum initio impressisse voluit, easque eundem primâ Naturæ lege semper conservare. Atque secundâ à centro abire. Tertiâ, si sibi permittantur, omnium rectum fore. Cùm verò aliæ alias impedierint, Quartâ denique omnes in circularem flecti. Quâ tandem motûs ratione cùm mutuâ compressione conterantur, temporis decursu tria elementa fiunt; Quorum primum subtilem quandam materiam esse voluit, quæ circulari isto motu, è particularum angulis abraditur; secundum globulos omnes, qui abrasis angulis, supersunt; tertium particulas quasdam striatas, quæ cùm per tres globulos transiverint, tribus striis, cochlearum more, intorquentur. E primo Solem, è secundo Cœlum, è tertio Terram cùm Planetis, & Cometis fieri statuit. Atque etiam alia quæcunque in Naturâ evenire cernuntur, quemadmodum trium istorum corporum motu, atque sine ullo Artificis auxilio, solâ mechanicarum legum necessitate eveniant, ipse mathematicè cùm explicare, tum demonstrare pollicetur. Quâ autem descriptione, & quo eventu, de singulis suo ordine Phænomenis, summâ autem brevitate dicemus. Cùm enim magnam Provinciæ partem præ-occupaverit

occupaverit vir doctissimus, quæ ipse tractavit, aut omnino mittam, aut quàm maximè potero, brevissimè expediam. Cætera fortè aliquantò fusius, & uberius expositurus.

Henric. Morus Enchir. Met.

Rei autem initio eodem quo Epicurus turpissimo luto tenetur, sic enim exorsus est ille, Εἰ ἔστι κίνησις, ἔστι κενὸν, ἀλλὰ μὴν ἔστι κίνησις, ἔστιν ἄρα κενόν, *si motus sit, inane est, atqui motus est, est ergo & inane*; ita tamen rem tractavit, quasi, ut contra se ipse dicat, maximè curaverat, ut ne quidem spatii punctum per omnem spatii immensitatem inane reliquerit. Eâdem Cartesius solertiâ, cum hoc uno postulato, nempe materiam moveri, omnia naturæ phænomena se effecturum pollicetur, id proximè curæ habuit, ne quis plenâ corporis possessione vacaret locus, in quem abire posset; non modo quòd minimam spatii vacuitatem teterrimum naturæ portentum existimaverit, (quibus autem rationibus, quantum materiâ interest, cui soli omnia deferri voluit, postea dicemus.) Sed quòd primas materiæ particulas sese invicem non minori vi, & duritie, quàm lapides molares compressisse sumpserit; Quòd tamen, nisi sumpserat, tria sua Elementa, quæ è ramentis, & limaturis hoc motu violento abrasis fiunt, efficere non potuit. Atque verò si Mundus ab initio solidissimis corporibus ubique impleatur, quicquid sibi persuadere possint subtiliora ingenia, certè Neminem esse mihi ipse persuadeo, nisi subtilitatis affectu communes omnes omnium hominum notitias decoxerit, qui non intelligat, nihilo facilius quicquam per aëra moveri, quàm si totum à Cœlo ad Terram usque spatium solido marmore impleatur. Neque quicquam se adjuvat, cùm *ex hoc quod loca omnia corporibus plena sint, semper eædem materiæ partes æqualibus locis coæquentur*; *sequi fateatur nullum corpus moveri posse, nisi per circulum, ita scilicet ut aliud aliquod corpus ex loco, quem ingreditur, expellat, hocque rursus aliud, & aliud usque ad ultimum, quod in locum à primo derelictum, eodem temporis momento, quo derelictus est, ingrediatur.* Sequitur quidem, & quid, quæso, absurdius sequi potuerat, quàm muscam movere non posse, quin simul uno, eodemque momento, totus undique concutiatur Mundus? Quid verò si fortè à parte boreali una, ab australi altera moveatur, an non penitus, utpote tam contrariis motibus con-

Empyr. 1. adversus Phys.

Pars 2. Art. 33.

cuſſus diſſiliret? Ne tamen tam facilem totius Naturæ ruinam metuamus, neutra quidem, ne Proboſcidem unquam movere potuit. Quo enim movere incipiat, cùm totum totius Circuli ſpatium abuſque fronte ad tergum ſolido corpore referciatur? Quid autem in re tam perſpicuâ multa? Si enim Univerſum tam plenâ naturâ ubique conſtipetur, ſingulare nihil, aut rectà, aut per orbem, moveri potuit, cùm quocunque tendat, ipſum corpus, quod proximè ſitum eſt, ab omni parte, ne locum cedat, prohibeatur; adeo ut, quantumcunque nitetur, motum nullum per ſempiterna ſecula inchoaverit, aut ſi inchoaverit, primùm ipſum Univerſum loco ſuo commovere neceſſe eſt. Quod denique ſi moveatur, nullâ aliâ ratione moveri poſſet, niſi ingentis cujuſdam rotæ inſtar, unà cum omnibus ſui partibus circumvolvatur. Niſi verò tantum ſenſuum præjudicia exuere laboraveris, ut cum præjudiciis ipſi ſenſus ſimul exuantur, an non Aërem, præſertim Patriæ tuæ, quo ſatis tenui uti contigit, minus craſſum, & concretum eſſe ſentis? Quòd ni ſit, quî, quæſo, te aut ſpirare, aut movere poſſe putas? Aut quî volucres, quoties ab Ortu in Occaſum volare nituntur, denſis globulorum turbinibus, quos incredibili vi, & celeritate in contrarium exploſos eſſe ais, mille, milléque vulneribus transfixos, atque confoſſos non eſſe intelligis? Si locum cedere dicas, præterquam quòd nullus pateat in quem cedant, id quoque de globulis Bombardâ exploſis dicas, cùm iſti his multò vehementiori celeritate, eâdem verò ſoliditate (cùm eâdem ſint omnia) moveantur. Craſſa ſunt iſtæc, Carteſi, craſſa ſunt omnia, atque ſomniantium portentis, quàm philoſophorum lucubrationibus ſimiliora. Neque ad tam perſpicua Reſponſi ſatis eſſe putes nobis exprobrare mentem, ut Philoſophos decet, à ſenſuum præjudiciis non ſatis abduxiſſe, quo quidem præſidio tuas tandem omnes mathematicas demonſtrationes tueris. Non enim è præoccupatis puerorum opinionibus, ut tu eorum experimentis, diſputamus; crede mihi omnes quantum ipſe velis multis abhinc annis abjecimus, puris, & integris facultatibus tecum agimus, neque quas rationes afferre volumus, niſi quæ optimâ ſenſuum fide confirmantur. Te verò non miramur tam importunè à ſenſibus ut caveamus, monere, cùm

quandiu iis utamur, à craſſis tuis ſubtilitatibus non poſſumus non abhorrere. Quanquam profectò adeo tam omni rationi, quàm ſenſui, adverſantur, ut, priuſquam iis aſſentiri, aut quidem intelligere conemur, mentem oporteat non modò à ſenſibus, ſed à ſeipſa, abhorrere.

SECT. XIX. Atque igitur ne quis in rerum naturam vacuo patefiat aditus, tolluntur omnia, non ſine vi maximâ omnibus illius facultatibus illatâ, per quæ ſe quoquo modo inſinuare poſſit. Atque adeo ne ſit, neque motum, neque ſpatium, neque locum, neque rarum, neque denſum, neque durum, neque molle in rerum Univerſitate reliquit, aut ſaltem enormes, & diſtortas quaſdam iis omnibus notiones aptavit, quæ cum omnium Naturis manifeſtò pugnant, ſolùm, ut peſtiferum iſtuc monſtrum à quovis in Mundi mœnia introitu prohiberet. Primùm ergo nihil in Naturâ reipſa durum eſſe voluit, ſed tunc ſolùm duritiem fieri, cùm quid alteri non cedat; *Si enim quotieſcunque manus veſtræ verſus aliquam partem moventur, corpora omnia ibi exiſtentia recederent* (ſi verò plena ſint omnia quo recedant) *eâdem celeritate, quâ illæ accedunt, nullam unquam duritiem ſentiremus.* Quaſi idem corpus quòd dum quieſceret, ſolidum, & compactum fuerat, ſi moveri inceperit, continuò in molliciem ſolvatur: Veluti ſi Carteſius digitum globulo marmoreo infigeret, durum eſſe ſentiret; ſi tamen eâdem celeritate digito ſubducatur globulus, quâ ipſe ſequi aut voluit, aut potuit, mollem, & fluidum eſſe diceret. Nimis certè violenta hæc ſunt, quam ut homines ſenſuum præjudicia (cùm Carteſio ſic appellare placuit quidquid ſuis ſubtilitatibus non favere vidit) exuere perſuadeant. Verumtamen duritiei notionem aliter definire non potuit, cùm enim Univerſum ſolidâ materiâ ubique plenum, nullâque vacuitate interſperſum ſtatuerit, dura à mollibus partium ſoliditate differre non poſſent, quatenus iſtâ hypotheſi ſint omnia æquè ſolida; nihil itaque reipſa aut durum, aut molle eſſe, ſed ita fortè dici reſpectu ſenſuum noſtrorum, quatenus iis aut cedere, aut reſiſtere contingant, ne ipſe ſecum diſſideret, coactus definivit. Mihi verò liceat omnes ſenſuum errores, quos à primâ ætate, & cum ipſo Nutricis lacte

Pars 2. Art. 4.

suxisse contigit, ad extremam usque canitiem retinere, quàm ut vir factus hujusmodi nugis oblecter, quibus Infans se decipi, & deliniri dedignaretur.

Atque huic similis, & consentanea est Rarefactionis & Condensationis definitio. *Quantum*, inquit, *ad rarefactionem, & condensationem, quicunque ad cogitationes suas attendet, ac nihil volet admittere, nisi quòd clarè percipiat, non putabit in ipsis aliud quidquam contingere, quàm figuræ mutationem; ita scilicet, ut rara corpora illa sint, inter quorum partes multa intervalla existunt, corporibus aliis repleta; & per hoc tantum densiora reddantur, quòd ipsorum partes ad invicem accedentes, intervalla ista imminuant, vel planè tollant.* Præstaret sanè, ut mihi videtur, mediocri ingenio quoquo modo sapere, quàm tantâ subtilitate, quod è vulgo quisque intelligit, non intellexisse. Quis enim ad densitatem nihil interesse non clarè percipiat, an corporum intervalla corporibus ejusdem Naturæ, an alienæ, impleantur, si penitus impleantur? Atque etiam, si undique ita arctè stipentur, figuram nihil mutare posse, cùm omne spatium, quocunque flectas, prius solido corpore occupetur. Et denique si universa Naturæ moles ita arctè compingatur, eam unâ parte moveri non posse, nisi quatenus unà cum totius motu feratur. Perspicuæ sunt conclusiones, & quicunque ad cogitationes attenderit, & quicquid clarè percipiat admiserit, certè contra tantam perspicuitatem pugnare nequit. Hanc tamen notionem, ut suæ de absolutâ plenitudine hypothesi sit consentanea, sibi necessariam esse vidit. Cùm enim corpora eadem nunc rariora, nunc compactiora viderat, si nulla in illorum interstitiis vacuitas esse possit, quid dicere potuit, nisi aliis alîus naturæ repleri? Quod quanquam nihil adjuvat, quoniam si plenè constipentur omnia, eadem nihilominus semper superesset densitas, tamen cùm aliquid dicendum sit, nihil melius (quanquam profectò neque quicquam pejus) dicere potuerat.

Pars 2. Art. 6.

Neque prioribus omnino diffidet, quæ proximè sequitur loci, sive spatii definitio, quòd quocunque vertas, atque quâcunque significatione accipias, à corpore nunquam differre possit. Quod ut efficiat, in internum, & externum dividit, atque de interno statuit *eandem planè esse illius*

Art. 10.

*in*

*in longum, latum, & profundum extensionem cùm illâ, quæ corpus constituit.* E quâ perspicuâ definitione nascitur perspicua hæc conclusio; Quicquid movetur, non in alium transferri locum, sed suum secum tanquam sarcinam semper portare. At verò an unquam cogitavit Cartesius quid sit, in quod movere possit? An punctum omnis extensionis expers? Si istuc, quî omnes corporis extensiones complecti potuit? An spatium, quod ipsum sit corpus? Si istuc, foret non modo locus in loco, sed & corpus in corpore: An denique spatium, quod omni corpore sit vacuum? Si istuc, novus tandem reperitur locus, qui à corpore differt, neque unà cum eo defertur. Cùm verò alterum abierit, quid an locum ponè reliquit, in quem nos vulgus alterum, quòd sequitur substitui putamus? Si non reliquerit, ergo istuc alterum, quòd succedit, nullum ingreditur locum; & si nullum, nusquam est. An potius suum utrumque locum secum portare inquies? Ergo in quæcunque diversa, atque longinqua loca moventur, nunquam loca magis, quàm magnitudinem permutare possent. Quod autem sententiæ falsæ præclarius argumentum esse possit, quàm si ab eâ tam perspicuè sequatur nihil quòd movetur loco moveri? Cui denique notioni consentanea est altera ista, locum & spatium nihil aliud quàm corporis cujusque magnitudinem, figuram, & situm inter alia corpora designare, ut, si quoquo modo situm respectu cujuscunque corporis mutare contingat, id demum sit movere. Unde sequitur ut, si me quiescente, aliud corpus situm suum fortè mutaverit, eodem modo moveri me, ac si reipsâ propriis pedibus iter inirem. At sanè quis, qui omnino ad suas cogitationes attendat, (cùm ad eas à *Philosopho* semper mittamur) nihil interesse diceret, ut moveri me aut credam, aut sentiam, an movear ipse, an quicquid aliud moveatur.

Art. 13.

Locum autem externum nihil aliud esse statuit quàm corporis superficiem, quæ proximè ambit locatum. Quam eandem atque ipsius Aristotelis notionem esse cuique notum est, quanquam ab ipso non arbitror mutuatum fuisse, sed cùm ipsum Aristotelem nunquam viderit, aut à Philosophis cucullatis accepisse, aut in eandem fortè incidisse. Id enim plerunque magnis istis ingeniis quæ omnia novare volunt,

Pars 2. Art. 15.

contigit,

contigit, ut ipſa eadem viſa quæ veteres in ſomnis ſuis videre viſi ſunt, ipſi ſomniarent: Quemadmodum narrat Cardanus quendam Fabrum ferrarium nomine *Galeazenm de Rubeis* præ lætitiâ inſanivisse, quòd jam olim inventam *Archimedis Cochleam* ſe primum inveniſſe exiſtimaret. Ne verò inanes eſſe ſomniorum ſpecies ipſi intelligant, nihil non dicent, aut credent, ne è ſomno excitentur. Atque igitur Ariſtoteles cùm ſuo, i. e. quod de eo Illuſtriſſ. Verulamius obſervavit, *Ottomanorum* more, qui regnare ſe haud tutò poſſe putaret, niſi fratres ſuos omnes contrucidaſſet, ſublatis aliorum omnium ſententiis, locum tandem eſſe definiverat, τὸ πέρας τοῦ περιέχοντος σώματος, *Corporis continentis terminum*, continuò ipſum Univerſum, quòd nullius corporis complexu teneatur, nuſquam eſſe definire non puduit. Τὸ δὲ πᾶν, οὐ ποῦ, τὸ γὰρ ποῦ αὐτό τε ἐστί τι, καὶ ἔτι ἄλλό τι δεῖ εἶναι παρὰ τοῦτο, ἐν ᾧ ὃ περιέχει. παρὰ δὲ τὸ πᾶν καὶ ὅλον, οὐδέν ἐστιν ἔξωθεν τοῦ παντός. *Univerſum verò non eſt alicubi, quòd enim alicubi id ipſum eſt aliquid, & inſuper oportet præter hoc eſſe aliud quidpiam in quo ſit, ſed præter univerſum, & totum, nihil eſt quod ſit extra Univerſum.* Cùm verò ex ſententiâ ſuâ tam perſpicuè ſequatur nuſquam eſſe Univerſum, tam immani concluſione ab eâ deterritum eſſe putarem; ne tamen definitionis ſuæ labefactetur Authoritas, nuſquam eſſe fidenter dicendum eſt. Eruditam hominis Græci impudentiam! Quod idem etiam *Carteſius* cùm, ſive Mundus finitus, ſive infinitus ſtatuatur, ſequi vidiſſet, ſubtiliſſimè (ut ſibi viſum eſt) neutrum eſſe dixit, atque concluſionis vim verbulo inſolenti *indefinitum* eſſe dicendo eluſit. Planè ſequi vidit, ſi interminabilis ſit mundus, cùm nullis contineatur terminis, nuſquam forè; ſi terminetur, nullius tamen corporis ſuperficie circumſcriptus, extra omnem loci complexum jacere. Quid ergo agendum eſt, cùm perſpicua ſit utrinque concluſio? Periclitanda ſunt omnia, ne leviſſimum definitioni confletur periculum, atque igitur neque finitum, neque infinitum eſſe dicemus. Audacter profectò dictum, atque apertè ipſi Dialecticæ fundamento contrarium, ut quicquid enuncietur, verum ſit aut eſſe, aut non eſſe. Quod enim neque finitum, neque infinitum eſt, neque terminari, neque non terminari dicendum eſt. Quod cùm dixerit, unam minam

in

Lib. 1. de ſubtil.

De aug. ſcient. l. 3. c. 4.

Phyſ. l. 4. c. 6.

Cap. 7.

in mendicantem quendam, Dialecticum erogare monerem. Quid autem si neutrum sit, esse possit? Indefinitum? O acutam hominis mechanici hebetudinem, qui inter duo ista medium se reperisse putaret! Istuc enim indefinitum aut terminatur, atque adeo finitum est; aut non, atque adeo infinitum. Nemo certè in Dialecticâ usque adeo cæcus esse possit, quin videat ad illorum alterum accessisse oportere. Cùm verò tam otioso verbulo præclaram controversiam tantâ inter philosophos contentione agitatam, solidè se sustulisse putet, quis, qui ipse non insanierit, non modo cæcum, sed & amentem esse dubitaret; Atquî tamen non modo omnibus Dialecticæ rationibus, sed & sibi, ipsisque hominum sensibus parum est, si contradixerit, modo sancta, integraque servetur definitio. Cùm enim locus externus sit sola corporis ambientis superficies, sequitur planè, mutatâ superficie, locum quoque mutari, atque igitur Turrem flante vento, cùm continuò novâ superficie ambiatur, loco moveri. Nequaquam, inquit *Cartesius*, nisi situm quoque immutaret. Tollenda ergo est definitio, si enim superficies ambiens sit locus, ipsâ mutatâ, quis tam impudens, qui locum mutari negaverit? Aut si negaverit, quid certius concludi possit, quàm eandem locum non esse? Quantâcunque autem certitudine concludatur, cùm semel esse dictum sit, semper esse dicendum est. Esto igitur. Quid autem ipsa sit superficies dicas. Primùm *per superficiem non hic intelligi*, inquit, *ullam corporis ambientis partem, sed solum terminum qui medius est inter ipsum corpus ambiens, & id quod ambitur, quique nihil aliud est, quàm modus.* Quisquamne verò ita desipiens, ut credat terminum, qui neutrius pars sit, inter utrumque situm esse, cùm sit sui pars extrema corporis cujusque terminus? Aut si inter utrumque medius sit, quî corpus, quod proximum jacet proximum esse possit, cùm alterum ab altero medii interpositu separetur? Cùm verò medium istuc modum esse statuerit, Quisquamne præter *Cartesium* dixisse poterat, modum, qui ad neutrum pertinet, medium inter duo corpora jacere? Quæ enim tam ridicula res est, quàm sine substantiâ modus? Deinde *intelligi superficiem in communi, quæ non sit pars unius corporis magis quàm alterius, sed eadem semper esse censeatur, cùm retinet eandem*

Lib. I. Art. 15.

Ibid.

*magnitudinem & figuram.* Ergo quocunque deferatur mobile, locum nunquam mutabit, cùm superficie istâ *in communi* ubicunque sit, semper ambietur. Istuc autem maximum suæ in Dialecticâ peritiæ argumentum videtur, quòd superficiem communem à particulari re separabilem existimaverit; ita ut, cùm abierit particularis, maneat communis. Si verò una, eademque res sint, ut sunt, mutatâ superficie particulari, simul mutabitur communis, atque igitur moto aëre movebitur & turris, cùm novâ superficie tam speciali, quàm genericâ, ambiatur.

Sect. XX. Alias autem omnes subtilitate maximè vincit motûs definitio, quippe rejectâ vulgari istâ, quòd sit *actio, quâ corpus aliquod ex uno loco in alium migrat*; quanquam cur non placeat, nisi quòd sit vulgaris non intelligo, alioqui certè satis perspicua (si definitione quâvis opus sit) videtur, rem quamque tum moveri, cùm è loco in locum migraverit. Tamen cùm nullum locum esse diximus, nisi quem corpus quodque sibi suâ præsentiâ, & magnitudine effecerit, non feremus. Quam ergo illius vice substituendam esse placet? *Esse translationem unius partis materiæ, sive unius ex viciniâ eorum corporum, quæ illud immediatè contingunt, & tanquam quiescentia spectantur, in viciniam aliorum.* Bellè admodum, *Cartesi*, atque, ut soles, acuté! Quâ verò Authoritate audire avemus. Atque primùm quamobrem, si quid omnino moveatur, ex unius vicinitate in alterius moveri necesse sit? Quid enim si unica omnium eâdem coagmentatione compacta moles fuisset, an non movere potuit, quod deesset alia à cujus vicinitate migraret? Quid si *Cartesio* solitarium vixisse contigerat (si quibus exemplis familiaribus ipse usus est, nobis quoque uti licuerit) an non propriis prædiis spatiari potuit, nisi fortè tribules, & vicinos habuisset, quorum alteri hodiè, cras alteri pro suâ urbanitate eum invisere placeret? Quid verò quòd motûs magnitudinem *translatione* ab aliorum corporum viciniâ metiamur, an idcirco ipsa *translatio* nihil sit aliud, quàm ipsa viciniæ mutatio? Cùm sive alia corpora fuerint, sive nulla, quisque movere se, & à loco in locum *transferri*, idque nullis præjudiciis occupati sentiamus. Atque nisi ipse

Pars 2. Art. 24.

*Cartesius*

*Cartesius* Logicam, ne dicam, linguam Latinam, planè nesciverat, aliam esse *sitûs*, aliam *loci* mutationem intellexerat; *Situm* enim eam, quam quidque cuique positionem habet, Latini definirent; *Locum* verò spatium quod, alterum quidvis sit, necne, quidque occupat. Situs ergo cùm sit rerum alterius ad alteram ordo, in neutrâ mutari potest, quin in utrâque mutetur; Locus verò cùm sit (ut loquuntur Logici) *res absoluta*, mutari, nisi cujusque motu, nequit. Atque igitur etiamsi omni motu fiat viciniæ mutatio, tamen ista ipsius motûs naturæ prorsus est aliena; cùm corpus quodvis, etiamsi nulla sit alterius vicinitas, è loco in locum *transferri* possit.

Quid quod deinde hinc planè sequatur corpus quodlibet, dum quiescit, moveri, cùm isto immoto alterius cujusque motu fieri possit viciniæ mutatio? Conclusionem autem vidit Cartesius, atque quanquam satis enormis sit, quæ quenquam à quâvis opinione deterreat, pro suâ aut liberalitate, aut oscitantiâ, eam amplexus est, neque adeo definire dubitat, *In omni motu translationem esse reciprocam, nec posse intelligi Corpus AB transferri ex viciniâ corporis C D, quinetiam simul intelligatur Corpus C D ex viciniâ corporis AB; ac planè eadem vis, & actio requiritur ex unâ parte, atque ex alterâ.* Quis autem corpus alterum cùm quiescit moveri credet, solummodo quòd alterum vicinum amoveatur? aut si unà cum eo moveri contigerit, quiescere tamen diceret, quòd corporis contigui viciniam non mutaverit; atque adeò si omnia eodem motu abripi contigerat, semper tamen, quòd idem inter se intervallum conservent, quiescere dicerentur. Atque hinc quanquam ipse Terram circa proprium Centrum motu diurno, & circa solem motu annuo, moveri definiverat, nullum tamen in eâ motum propriè sic dictum reperiri feret; quia non transfertur *ex viciniâ partium Cœli, quatenus immotæ considerantur*, quanquam enim vulgus, quod ex uno loco in alium migret, eam moveri diceret, tamen *si quis Philosophus advertens eam esse Globum in Cœlo fluido, & mobili contentum, solem autem, & stellas fixas eundem semper inter se situm servare, his utatur, ut immotis ad illius locum determinandum, & ideo affirmet ipsam moveri, absque ratione loquetur.* Si verò tam fatuè sit cùm Philosophis

Art. 29.

Lib. 3. Art. 29.

ſapiendum, ut quanquam quicquam mille millenos paſſus quotidie transferri videam, tamen immotum ſemper eſſe Jovem lapidem jurare tenear, liceat mihi cum vulgo tantundem fidei ſenſuum præjudiciis habere, ut quod è loco in locum migrare videam, moveri credam, atque palam dicere auſim. Imò verò hinc non modo Terram, dum quieſcit, moveri, ſed & contrariis motibus ſimul moveri ſequetur. Si enim omnis Tranſlatio ſit reciproca, cùm ſuper ipſam Corpus A B transfertur ab occaſu in ortum, & corpus C D ab ortu in occaſum, Terra in viam utrique contrariam, cùm utriuſque viciniam mutaverit, ſimul transferetur. Atque id quoque vidit ipſe Carteſius, Quî igitur eluſit? Sequi fatetur, ſed tamen dicendum eſſe negat, quod contrarii iſti motus inter ſe pugnant, atque igitur iſto caſu ſola corpora, non autem ipſam Terram moveri, ut credamus, monuit. Atqui quid, quæſo, abſurdius quis à quovis adverſario extorquere deſideraret, quàm quod ipſe ultrò fatetur? Aut ſi ipſe ſibi adverſari optâſſet, quî apertiùs feciſſe poterat, quàm ut cùm Articulo uno tranſlationem omnem reciprocam eſſe & dixerat, & demonſtraverat, proximo reciprocam non eſſe non modo apertè fateatur, ſed & eâdem demonſtratione id ſe fateri cogat. Satis equidem contra ſententiam concluſum eſſe putarem, cùm duo iſta ex eâ ſequi planè demonſtretur, tum eandem rem eodem tempore moveri, & non moveri, tum motibus contrariis ſimul transferri. Utramque concluſionem Carteſius ipſe vidit, eo tamen acumine eſſe voluit, ut nihilominus in ſententiâ permanendum eſſe putaret.

Pars 2. Art. 30.

Poſtremò verò quâ Naturæ neceſſitate ſit, ut corpora, quorum viciniam mutando fiat motus, ſint quieſcentia? Quiſquamne putare poteſt, cùm ipſe ambulaverit, ſive alia omnia moveant, ſive quieſcant, ſe plus, minuſve moveri? Quid corpus quod transferri videmus attinet alterius aut motus, aut quies, ita ut moveatur alterum ſolum, quod alterum quieſcat, quod ſi moveri incipiat, iſtuc iſtâ duntaxat causâ moveri deſinat? Quid quòd deinde cùm ad cujuſque motum alicujus quietem poſtulaverit, ſecum ipſe eâ re, ut aliis omnibus, conſenſerit? Cùm in ſuâ Philoſophiâ nullum ſit ſanctius, aut antiquius decretum, quàm in motu eſſe omnia. Quanquam enim particulas in moleculis ſuis immo-

tas

tas retineri, atque quamdiu retinentur, non in motu, sed ad motum conatu esse voluerit, visibiles tamen omnes Universi partes, atque ad quas tanquam quiescentes in motûs mensurâ spectare possumus, summâ pernicitate moveri voluit. Atque igitur ipse, siquis Terram moveri affirmet, quòd stellis fixis utatur, ut immotis ad illius locum determinandum, eum absque ratione loqui edixit, quòd nulla sit ratio, cur fixas consideret, ut immotas, cùm scire non possit, quin moveantur, non modo ipsæ, sed & multa corpora ultra ipsas, quæ non videmus. Quanquam verò omnium præclarissimè dictum videatur ad cujusque motum alicujus quietem postulari, cùm ipse eodem tempore omnem motum *reciprocum* esse definiverat, adeo ut ex eo solùm, quòd res mota in novam viciniam* transferatur, istam alteram, quæ alioqui immota permanserat, transferri dicendum sit. Quî ergo, si eâ ratione quòd se moveat altera moveatur, *ut quiescens* spectari possit? Quàm pulchrè conveniunt ista, nisi altera quiescat, non potest altera moveri; & tamen si moveatùr altera, non potest altera quiescere? Claræ mehercule, distinctæ, & perspicuæ rerum notiones, atque quales, ab hujusmodi *inventionum viris*, semper referre solemus.

Pars 3. Art. 29.

Cuivis, qui paulò fuerit nasutior, hæc tam enormia præfatum fuisse Cartesium, suboleret, ut iis hominum animos ad omnia devoranda pararet, atque equidem, si quis istæc omnia exorpserit, nescio an quicquam tam enorme sit, quòd postmodum gutture tam distento, hærere possit. Ipse verò non astutiâ, sed mente integrâ, & simplici factum fuisse arbitror; cùm enim miles transfuga ab armis ad literas devolaverit, aut prorsus Dialecticæ, à quâ inchoare debuerat, oblitus est, aut cùm non statim de summo imperio cogitaret, vulgarem istam Scholasticorum seriò perdidicit, sempérque tanquam indubitatâ arte usus est. Atque igitur toties tam turpiter in rebus clarissimis lapsum fuisse contigit aut quòd malâ Logicâ utebatur, aut quòd nullâ. Atque eâ admiratione, quâ qui nihil in eâ arte intelligunt habuisse per notiones suas *objectivas*, & *formales* in Metaphysicis liquet; quanquam (ut novatorum omnium mos est, qui cùm per quos profecerint, fateri nollent, rebus tritis verba nova, & inusitata dare, ut cùm notionem priscam nomine quovis inso-

 lenti.

lenti appellaverint, ipsi ipsius notionis Authores videantur) quas scholastici *præcisiones* appellant, ipse *Ideas* appellavit, atque eodem fere acumine quo otiosi isti de iis disseruit. At præter insignes suas in Metaphysicis subtilitates egregias multas Physicæ suæ, quasi magni momenti ipse putaverat, diligenter infercire conatus est. Atque primùm à gravi istâ controversiâ fere exorsus est, an substantiæ nomen Deo, & Creaturis conveniat *univocè*, an *æquivocè?* Atque summâ Philosophi gravitate, ut nequaquam univocè convenire putemus cavere monuit; an verò scholastici, à quibus sumpsit, barbaris istis vocibus quicquam significare vellent, aut si vellent, an quid omnino possint, animum nunquam induxit, sed temerè eos tum in voce, tum in sententiâ secutus eodem modo, quo illi controversiam definivit. Atque eâdem etiam ratione, quòd scilicet Deus, ut existat nullâ aliâ re indigeat, aliæ autem omnes non nisi illius ope existant, atque igitur nullam substantiæ significationem esse utrique communem. Existentiæ suæ conditione fateor ut plurimum differre, atqui tamen non intelligo, cur eâdem substantiæ appellatione non convenirent, ut universali suâ notione, quam habent, ab aliis omnibus, quæ substantiæ non sunt, diversam concipiuntur. Dijudicatâ autem hâc nobili inter Deum, & Creaturas controversiâ, in summum Dei honorem, ita ut cùm ipse eodem cum iis Substantiæ nomine appelletur, non eadem sit istius nominis significatio; mox quinarium prædicabilium ut vulgo vocantur seu ut ille universalium numerum Trianguli naturâ mathematicè demonstrare pergit. Ad summam verò Logicæ peritiam pervénit, cùm definire professus est, definitiones enim Aristotelicas, quas à scholasticis desumpsit, plerunque sequitur; Aristoteles verò cùm, qui præcesserunt, res bene descripserant, eas, ne ab iis non dissentiret, malè descripsit. In quantas autem calamitates, aut propriâ inscitiâ, aut eum temerè sequendo, incidat Cartesius, fusius, quam res meretur, jam ante dictum est. Quanquam omnium summa sit, cùm in re eâdem naturam genericam à particulari separabilem esse, atque quoties quicquid movetur reverâ separari seriò animoque simplici putaverit. Quâ unâ re virum acutum in Logicâ novare non meditatum fuisse liquet, sed cùm illius fidem indubitatam, ut Mathematicæ

Pars I. Art. 50.

Art. 59.

maticæ ſuæ arbitratus ſit, quas Dialecticæ leges, & notiones à *Keckermanno.* aut alio quovis vulgari ſyſtemate didicerat, maximus alioqui omnium dubitator, nihil dubitans, abſorpſit.

SECT. XXI. Excisis hiſce Dialecticæ dumetis, quorum obſcuritate, quoties ſe difficultate quâvis conflictari ſentit, tenuitatem ſuam abſcondit, & tuetur; cùm eo ordine plerunque profectus ſit, ut diſputatio à mathematicis demonſtrationibus inchoata hujuſmodi tandem obſcuris, & ſalebroſis notionibus concludatur, his ergo, inquam, vepribus, & ſpinis omnibus avulſis, aperitur via, quâ ad mechanicas ſuas naturæ leges, quas ponè poſuit, proficiſcamur.

Quarum prima eſt, ut, quicquid movetur, ſuâ naturâ ſemper moveri pergat. Si quidem ſuâ naturâ moveatur, concedam; ſin aliunde motus imprimatur, tandiu perſeveraturum aio, quamdiu vis impreſſa permaneret; cùm motûs magnitudo vis impreſſæ magnitudini æquaretur. Propterea cùm omnem motum à Deo impreſſum eſſe voluit, an tandem deſineret, an ſemper pergeret, non à Naturâ motûs ſed à Dei, qui impreſſit, arbitrio demonſtrare oportuit. Cùm verò liberum ſit Dei arbitrium (ſi quis ſit Deus) motum, quem ſemel excivit, ſemper, an aliquandiu conſervare velit, niſi quid velit, ipſe declaraverit, ſcire nequeamus. *Intelligimus autem* (inquit) *perfectionem eſſe in Deo, non ſolùm quòd in ſeipſo ſit immutabilis, ſed etiam quòd modo quàm maximè conſtanti, atque immutabili operetur: Unde ſequitur Deum quantum motus creavit tantundem ſemper conſervare.* Art. 36. Primùm autem iſtâ ratione, relictis mechanicis Naturæ legibus, rem totam divinis Attributis expedire aggreditur. Deinde eâdem concludat Deum per omnia æternitatis ſæcula idem feciſſe, & facturum eſſe, quòd cùm ſit immutabilis, modo quàm maximè conſtanti, & immutabili operetur. Fruſtra autem demonſtrationibus ſuis indubitatam omnium experientiam refellere conatur, cùm proximè mutationes quaſdam eſſe ipſe fateatur, *quas evidens experientia, vel divina revelatio certas reddit, quaſque ſine ullâ in Creatore mutatione fieri percipimus, aut credimus.* At verò ſi aliquas mutationes, ſalvâ ſuâ conſtantiâ, efficere liceat, cur non plures?

plures? Quàm incallidè disputatur, tametsi tum experientiâ, tum revelatione divinâ, quasdam in Deo operandi mutationes esse sciamus, in aliis tamen omnibus modo quàm maximè constanti, & immutabili operari, ne ipse mutetur, concludendum est. At verò, mi Philosophe, si experientiæ, & revelationi fides danda sit, argumento fallimur, si argumentum concluserit, mentiuntur & experientia, & revelatio. Quid igitur, inquam, incallidius dici potuit, quàm, ut quam plurima Dei opera sine illius mutatione mutari fateatur, & tamen, nisi ipse mutetur mutari ista non posse concludat? Atquî *quotidiana* inquit *experientia regulam confirmat, quòd projecta semper in motu perseverarent, nisi ab aëre retardari contingeret.* Quod quis, quæso, expertus est aut ubi? ut etiamsi axioma verum esse darem, experientiâ tamen satis exploratum esse semper inficiarer. Neque enim intelligo quî demonstrari posset, quoties pueri lapides è fundâ projecerint, eos semper in motu perseveraturos, nisi Deus puerorum lusus in omnia secula conservare suâ immutabilitate interesse reputaret. Verum si quis hanc legem rogaverit, minimè tamen omnium *Cartesius*, cùm tantum ipse abesse velit, ut quicquid movetur, suâ naturâ moveri pergat, ut creatum nihil, nisi vi quâdam sustentetur, quæ eâ non minor sit quàm quæ primùm creavit, non posse momento permanere statuat; si verò ista sit omnium, præter unum Deum, conditio, ut eodem, quo sunt statu, suâ naturâ perseverare nequeant, non suâ naturâ permanere apta sunt, cùm, nisi causis externis conserventur, omnia planè interirent. Atque igitur ipse *Cartesius* ad motûs perseverantiam semper præsentem Numinis concursum postulavit, ita ut, altero sublato, alterum tolli necesse sit. Non ergo quicquid quod movetur, suâ naturâ semper movetur, cùm ab omni motu suâ naturâ cessaret, nisi, novâ vi extrinsecus adveniente, continuò impellatur. Atqui, inquit, Deum, immutabilis cum sit, quantum motus initio impressit, tantundem semper conservaturum. Esto. An non ergo apertè fatetur motum, non suâ naturâ, sed vi externâ, permanere? At verò si ea sit Dei immutabilitas, ut nihil agere possit, nisi quod semper egerit, & quod semel egit, semper acturus sit, quî initio, aut materiam creare, aut eidem motum dare

potuit?

potuit? Si verò actionem, ut placuit, inchoaverit, cur non etiam, ut placuerit, ab eâdem cessare possit? En verò quàm apertè cùm ad *Epicuri* fortunam, tum ad *Aristotelis* fatum accesserit, sic enim illi omne Providentiæ regimen sustulerunt, quod nullum summo Numini in suas actiones imperium esse voluerint; sed sempiternâ quâdam necessitate vinctum (quam ab illius immutabilitate etiam duxit *Aristoteles*) eidem operi per omnia sæcula instare. Ita hic noster cùm ei nullum agendi & non agendi arbitrium concesserit, adeo ut quicquid agat, non consilio, aut electione, sed naturæ necessitate egisse velit, idem quod illi Numen, inanem, nempe sine Providentiâ, larvam, in summi Rectoris locum substituit. Quod si quis fecerit ut quoque Numen omne apertè tollat, sæpe monuimus. Istâ autem ratione, non modo Numini Providentiam eripere cum primis conatus est, sed quod primum à Mechanicis ducitur, omne omnium in suas facultates dominium; si enim quicquid movetur, semper nisi impeditur moveatur, & si quicquid quiescit, semper, nisi aliunde motum, quiescat, peracta res est, *Cartesi*, quo tendis, atque, quid velis, intelligimus; mechanicâ vi, & necessitate facta esse omnia; nullum aut consilium, aut voluntatem hominibus inesse, sed quicquid ipsos secum statuere aut velle contingit, ad id solâ causarum materialium extrinsecùs moventium, impelli. Machinas ergo esse nos omnes, atque solâ machinatione moveri, nullam consilia nostra mutandi potestatem habere; si quid agere incipiamus, non nos in nobis agendi voluntatem ciere, sed, ad agendum, impetu arceri; si ab actione desinamus, non cessare, sed impediri. Atque hoc imprimis vultis, atque cordi habetis omnes, nequis usquam sit pietati, aut virtuti locus, ut vos mechanicâ vestrâ insaniâ simul, & impietate correpti Bacchanalia exerceatis. Quanto autem furore alii, suis locis dictum est, quantâ inscitiâ tu, qui primâ tuâ lege, quæ ipsa tam malè, imo, ut à te, tam ridiculè sancitur, sancitum esse velis, satis jam, utinam ne nimium, dixerimus. Nisi quòd una adhuc ejusdem supersit ratio, quæ, cùm cæterarum omnium sit multò jucundissima, omnino præterire pœnitet. *Motum nempe suâ naturâ non cessare, quòd isto pacto ad quietem tenderet; Quies vero motui est*

*contraria, at legibus naturæ quàm maximè adversatur, ut quid ad suum contrarium, sive sui destructionem, ferri possit.* Quantas autem tibi gratias ageret & haberet humanum genus, si istam legem sancire possis? Duriorem enim quisque sentimus, atque omnes naturæ pulsu ad mortem exactâ ætate brevi ducimur. Et quid si istuc Naturæ decretum aversemur omnes, tamen obtemperandum est, & cuique, velit nolit, quo ire jubet eundum. Nostrâ verò ut in vitâ maneamus, interest; quid autem motûs ut maneat, aut pereat, interesse possit? Nullâ philautiâ aut movendi, ut nos, vivendi oblectatione tenetur. Cur ergo in suum contrarium non tendat; cur à quiete abhorreat, cùm eam neque metuat, neque oderit? Scias ergo, *Cartesi*, scias, inter Motum, & Quietem nullas gliscere inimicitias, nullas intercedere æmulationis ægritudines, sed pacatè, & amicè utrinque vivi, atque uter superior sit, utrique perinde esse, & si alter fortè vicerit, cedere sponte alterum; neque qui victus est, ut restituatur, arma movere, neque qui vicit, ne restituatur, vigilare. Vidésne quantâ cùm authoritate, tum sapientiâ primam tuam mechanismi legem sanciveris? At sic sanciuntur omnes.

Pars 2. Art. 36.

SECT. XXII. Secunda itaque Naturæ lex est *unamquamque partem materiæ seorsim spectatam non tendere unquam, ut secundùm ullas lineas obliquas pergat moveri, sed tantummodo secundùm rectas.* Verùm prorsus nego, quî enim à se, aut obliquè, aut rectè moveri possint, cùm suos ipsæ cursus definire nequeant, neque quo ferantur curent; sed eo solummodo progrediantur, quo vis impressa impellit, atque adeo in Dei arbitrium rursus devolvimur. Verùm

Ibid.

*causa hujus regulæ eadem est, quæ præcedentis, nempe immutabilitas, & simplicitas operationis, per quam Deus in materiâ motum conservat, neque enim illum conservat, nisi præcisè qualis est, eo ipso temporis momento, quo conservat.* Quàm malè cum Deo agitur, ut nequidem unam atomum per omnia sæcula obliquè moveri efficiat, quin immutabilem Naturæ suæ perfectionem decoxerit. Usque adeo perridicula, & puerilis est ipsa ratio, ut quidem se ipsa tollat, quis enim tam vecors esse possit, qui credat, si quando unam atomum

Deus vel minimùm à Geometricâ rectitudine unquam impulerit, tum amissis primis suis immutabilitatis, & simplicitatis perfectionibus Deum esse desivisse? aut qui non videat, si cujusvis fuerit momenti, non modo omnem motum initio rectum fuisse, sed semper fore? Cùm enim Dei concursu conservetur, an minus immutabilitatem suam labefactabit, si motum quemvis, postquam in obliquitatem deflectitur, nunc suo concursu conservaverit, quam si obliquum initio effecerat? Tam proclive est magnis ingeniis pueriliter ineptire, si animum ab infantiæ præjudiciis liberum ineptiis seriò applicuerint. Atqui tamen hoc quoque experientiâ confirmatur; *Quia lapis fundâ circumrotatus, quandocunque egrediatur, perget lineâ rectâ, non obliquâ moveri.* Bella profectò demonstratio, & digna quidem, quæ primis naturæ legibus, atque mathematicis demonstrationibus, tanquam omnium principium substernatur! Lapis è fundâ fortè elapsus, non tantâ obliquitate movetur, quantâ cùm fundâ circumrotatur; ergo omnis omnium motus lineam rectam affectat; quasi innumerabiles non sint movendi rationes, præter fundarum jactus. Quanquam equidem dubito ne pueri Philosophum monere possint lapidem è fundâ elapsum, etiamsi minus curvâ lineâ, curvâ tamen semper moveri. Cujus egregii Phænomeni, quod tanto Geometriæ apparatu obruit, & obscuravit Cartesius, puer cum fueram alienam causam suspicari me memini; contrarios scilicet motuum conatus, alterum à vi impressâ sursum, alterum à gravitate undecunque ortâ deorsum, inter quos contrarios nisus obliquè ferri necesse est, & cùm initio robustior fuerat vis impressa, obliquè sursum, cùm autem ista paulatim extabesceret gravitate victa obliquè deorsum. Motus autem ipse suâ naturâ nullam determinationem habere potest, cùm non se ipse cieat, sed causâ quâdam effectrice imprimatur, quod igitur vim imprimit, simul viæ rationem definit, quâ ire perget, dum aut emoriatur vis impressa, aut majori impedita vel quiescat, vel in aliam inflectat. Cùm ergo omnem motum materiæ particulis primùm à Deo impressum esse censeat, ipse solus, qui impressit, definire potuit an secundùm lineas rectas, an obliquas ire perrexerint; nulla igitur ab ipsâ motûs naturâ aut obliquitatis, aut rectitudinis ratio petenda est. Quod

Ibid.

tamen cum primis vellent Mechanici, ut suas quascunque habet leges, eas Geometricâ necessitate habere ipsi demonstrent; ita ut præcisâ istâ consideratione, an à causâ quâdam, an à nullâ, inchoetur, postulet ipsa motus natura, ut secundùm mechanicas ipsorum leges definiatur.

Altera Naturæ lex est, à centro omnes materiæ particulas movere conari. At quâ mechanicâ necessitate à Centro potiusquàm ad Centrum? Unde nascatur ista necessitas à materiæ, aut motûs naturâ, nunquam demonstrare voluit Cartesius, neque, si vellet, potuit; sin istiusmodi motûs determinationem impresserit, qui & ipsum motum, iterum à mechanicis legibus ad solum Dei consilium devolvimur. Quid autem voluit, penes suum arbitrium habuit, cum suâ *immutabilitate* nihil intersit, an à Centro, an ad Centrum, modo motu simplici & recto ferantur. At verò sic magni Imperatores pro summo suo Imperio contraria imperare solent; Aristoteles ille magnus omnia subter Lunæ ambitum in centrum abire diu jusserat; nostrâ autem ætate exortus est Princeps, qui, everso Macedonico imperio, omnia & subter, & super in contrarium abire jubet. Magnâ utrique Authoritate, & proculdubio, ratione pari, cum ipsâ materiâ, multum intersit, an domi inclusa delitescat, an foràs evagetur. Quid autem aget ipsa rerum natura, quæ tam contrariis imperiis tenetur? Certè, ne magnæ commoveantur seditiones, timendum est, cùm pars altera Pompeium, Cæsarem altera sequatur? At si qui per insaniam magnos se principes esse putant, decreta, & edicta sua omnibus, ut placet, imperant, suas nihilominus quisque vitæ rationes sequitur, neque aliter nisi quòd fortè irriserit, dementium minis commovetur. Pari vesaniâ mechanici isti Reguli omni rerum Naturæ ferrum, & incendia minitantur, nisi suis obtemperaverint decretis. Rectà in centrum abite omnia, inquit Aristoteles, aut, ut in malam rem abeatis efficiam: Ne abite, inquit Cartesius, ut rectà à centro abeatis, legem me tulisse scitote, & nisi obsequamini, nunquam, quod maximè verendum est, fiet ipse Mundus. At res ipsæ spretis utriusque mandatis, suâ quæque ratione, ut aut evenerit, aut expedierit, quædam sursum, quædam deorsum, quædam in orbem movent, & movebunt.

Postrema

Poſtrema Naturæ Lex eſt, quòd cùm aliæ alias impediverint, in orbem flectantur omnes. Hanc quoque utinam demonſtraſſet! ipſe enim me non intelligere fateor, quî omninò fieri potuit, ut ex eo ſolum quòd quæque motum cujuſque rectum impediat, neceſſariò naſcatur motus omnium circularis; ſed ut mihi videtur, omnes ſecundum Naturæ indolem rectâ lineâ abire pertinaciter niterentur, donec tandem ad alterius vorticis circumferentiam particulæ hujus primæ pervenirent, ubi, ſi progredi non poſſent, quieſcerent, atque aliorum omnium, quæ à tergo ſequuntur, motum impedirent; quâ tandem ratione, omnem omnium motum ſiſti neceſſe eſt. Si vero poſſent, quidni extra ſuum vorticem recto curſu avolarent omnes? Quæ certè, ſi omnis motus ſuâ naturâ ſit rectus, mechanicis legibus multo veriſimilius eventura puto, quàm ſe omnes in circulum deflexuras. Præſertim cùm quæque atomus aliis undique conſtipetur, iſtæ aliis, atque adeo aliæ aliis per totius circuli ambitum,donec ab alterâ parte ad primam redeamus. Quod ſi ita fuerit, qui, quæſo, quævis fieri potuit inflectio? ſi enim à parte ſiniſtrâ impellatur, cùm impulſui iſti omnis materiæ moles à parte ſiniſtrâ reſiſtat, iſtum ſecundum regulas, per quas cujuſque corporis vim ad agendum, vel reſiſtendum metiri docuit Carteſius, facillimè ſuperabit. Cùm verò quæque particula aliâ, tam à dextrâ, quàm a ſiniſtrâ conſtipetur,. atque cùm lineâ rectâ ire pergant omnes, cùm deinde quamdiu eâ pergant, non poſſunt aliæ aliarum vias occupare, cùm denique nulla uſpiam ſit vacuitas, in quam corpus è lineâ ſuâ eliminatum abire poſſit,nemo certè eâ hebetudine eſſe poteſt qui non intelligat omnes ſemper rectâ ſuâ viâ moveri, cùm neque alias aliæ impellant, neque ab aliis impellantur, aut potius cùm tam arctè ſe invicem premant, ut quæque Atomus non ipſa ſecum arctius uniatur, quam omnes invicem, quatenus non major ſit inter ipſas vacuitas, quam inter Atomi latera, unicam compactam, & conſtipatam omnium molem exoriri.

Mechanicæ leges hæ ſunt, quibus egregius ille Philoſophus hunc, quem aſpicimus, Mundum ſine Numine, aut Numinis Providentiâ, machinari pollicetur. Atque ſi à Naturæ Conditore ad mundum fabricandum inſtitutas fa-

teri vellet, omne Numen à rerum naturâ exclusisse non accusaveram. At nihil tale voluit Cartesius, sed solum si detur motus, istas esse istius conditiones quas ipse dixit, neque si Deus voluit, alias esse potuisse, atque igitur nullo Numinis consilio facta fuisse omnia, sed Numen sit, an non sit, secundum motûs leges mechanicâ necessitate quicquid evénit, evenisse. Et quanquam earum rationes quasdam ab Attributis divinis exposuit, ejusmodi tamen sunt, quæ omnem vim Providentiæ antecedunt, atque eâdem necessitate, quâ ipse in rerum Naturâ existit, eidem dominantur; Adeo ut, si motus sine Numine inchoari posset, necesse sit, secundum leges istas definiri, & cùm inchoaverit Deus non illius consilio, sed solâ naturæ necessitate in certam rationem determinari. Atque igitur admodum suspicari me fateor, Cartesium, ut leges suas stabiliret, attributa divina ludicrè interposuisse; existimare enim non potuit vir, qui non planè truncus fuit, maximas Numinis perfectiones periclitari, si unam atomum in orbem circumferri efficiat; atque igitur populariter tantum egisse dubito, cùm Mechanismum suum ab ipsius Dei rationibus inchoaverit; populum enim novit quicquam facilius accepturum, quod Dei interesse putat. Alioqui ipse iis non multum tribuisse visus est, sed cùm ad res efficiendas proficiscitur, solâ mechanicâ motûs, & materiæ necessitate omnia expedivit. Quicquid autem in animo habuerit, cùm id imprimis voluit mechanicâ necessitate à Deo nequaquam constitutâ, omnem rerum naturam effici, & administrari, quorsum Deum esse dicat, cùm etiamsi non sit, ipse Mathematicis demonstrationibus omnia eo modo, quo jam fiunt, necessariò fieri demonstraverit. Quod cùm se fecisse putet, & quicquam postea de Deo loquatur, aut nobis planè illusit aut se ipse non intellexit, aut potius utrumque fecit, ut solent isti omnes, qui cùm aliis illusum esse putant, se sibi illusisse non intelligunt.

Sect. XXIII. Jamque satis liquere arbitror primùm nullas esse, quæ à solâ materiâ oriuntur, mechanicas Naturæ leges, deinde nullas esse posse, nisi à Naturæ Conditore in suos fines institutas; atque igitur cùm suas *Cartesius* non con-

consilio factas esse, sed ipsas se suâ vi, & necessitate in rerum naturam intulisse voluit, an non porro liqueat, si quæ fortè sint leges ab initio institutæ, quas tamen ipse fecit, non fuisse institutas? Quanquam verò rata sit ista omnis, quam legibus suis tribuit vis, & authoritas, nihil tamen ad mundum fabricandum sine Numine valebunt. Quid enim si omnem materiæ fluxum in orbem contorquere valeant, quid inde nisi una omnium in eodem ingenti vortice vertigo exoriri potuerat? Cùm igitur Universitas in tantam vorticum multitudinem dividatur, ut quæque stella suum sibi circumvolutum habeat, atque Sol speciatim, unà cum Planetis suis suo turbine versetur, quo mechanismo quemque sibi seorsim à reliquis circumvolvi efficiemus? An ipsæ atomi in varias turmas, & cohortes se sponte diviserunt? At si vellent, istuc non patitur communis omnium circumgyratio, quæ si quis fortè vortex coagmentationis primordia fecerat, eum suo impetu diremptum in commune materiæ pelagus secum absportaret. Vidit autem Cartesius omnes suas vires mechanicas sibi hac in re nihil esse profuturas, atque hîc igitur Deo ἀπὸ μηχανῆς apertè uti coactus est, eúmque operis dimidio planè perfunctum esse voluit; cùm quòd immensam materiæ congeriem, in tam bene dispositos ordines distribuerit; tum quòd tantundem motûs, quantus effectus suos procreare posset, cuique impresserit. Atque hactenus rustico isto homine (quis enim Epicuro agrestior) plus sapuisse visus est, iste enim ipsi materiæ reliquit cùm ut se sine causâ moveat, tum ut se in innumerabiles vortices distribuat, quod tamen quî fieri potuit, vir oscitans explicare non cogitavit. *Cartesius* vero, qui non, ut ille, communi sensu caruit, cùm planè perspexerit nihil nisi istis duobus prius sumptis provehendum esse, idcirco materiam in ordinem disponi, eique motum imprimi postulavit, antequàm quid valeant vires mechanicæ, ausus est experiri. Quanquam cùm ad eas pervenerit, haud minus quàm ille fatuus (quo enim alio nomine hominem appellem, qui tanto fastidio nihil intellexit) desipuisse visus est; quòd cum motum adeptæ, inque vortices collectæ fuerint Atomi, suos omnes, quos produxerunt, effectus, solâ mechanicarum legum necessitate producturas esse statuat; idque etiamsi

Pars 3. Art. 46.

amsi Deus, cùm motum & ordinem dedisset, nihil ejusdem modi efficiendum sibi proposuerat: Atque adeo leges, quas attulit, mechanicas non Numinis procuratione institutas fuisse, sed ipsas propriâ vi, dato vorticum motu, & ordine, rerum Universitatem confecisse. Quam primum ergo eas se satis ratas fecisse censuit, continuò omni Numini valedixit, neque postea quicquam, nisi solis legibus mechanicis, non secus, ac si nullum fuisset Numen, effici, & procreari voluit. Atque ita in omnibus, quæ sequuntur, eâdem, quâ ipse *Porcus*, licentiâ in omni fortunæ obscœnitate volutatus est. Quod, ut mihi videtur magno Numinis argumento, atque mechanismi elencho esse debet; cùm mechanici omnes qui ab eo omnino exordiri nolunt, ne quidem unum digitum movere, aut verbum non planè fatuum proferre possunt; qui verò ab eo exorsi sunt, ii quandiu eum, aut ducem sequi, aut comitem secum ferre volunt, cursu secundo progrediuntur; quam primum autem eum deseruerint, statim eodem, quo illi, torpore stupent, & quasi Circes pocula degustaverant, in porcos commutantur. Atque igitur ipse vir acutissimus, ne unius Phænomeni rationem melius quàm *Epicurus* expedire valuit. Quid autem de istâ causâ concludemus, quam si sibi defendendam susceperit *Cartesius*, defensione suâ non sapientius, quàm ipse porcorum princeps, perfunctum esse? An non mehercule satis conclusum est dignam esse, quæ solis fatuis defendatur, cùm si eam quis sapiens tueri velit, mox fiat *canis immundus vel amica luto sus*.

Sect. XXIV. Fixis ergo omnibus mechanismi legibus, factoque omni vorticum apparatu, de Phænomenis singulis quàm *Epicuri* more philosophatus est, videamus; Atque primùm quâ necessitate gignantur Elementa, tum deinde ex elementis, quid secundum leges mechanicas exoriri potuerat. Atque imprimis cùm, ut primum Elementum efficiat, partes quasdam è corpusculis solidissimis abrasas esse velit, idem, quod in omni loco, fecisse visus est, ut, quæ intellectu difficillima sunt, sibi fidenter, tanquam indubitata sumat. Quo fine nescio, nisi ut arduis assueti facilius quicquid postea in eo minus verosimile videatur, ferre discamus.

discamus. Licèt enim in minimo quoque corpore quandam partis à parte distinctionem sibi comminisci possint Geometræ, Physici tamen non est, ut reipsa plures esse censeat; cùm enim res sit simplicissima, & tota eadem, minimum quodque, partem amittere nequit, nisi tota destruatur: At verò si anguli abradi possint, quid est quod ipsos in alias quoque partes dissipari prohibeat (potissimùm si angulosæ, & inæquales fuerint) easque in innumerabiles alias, & earum quamque in totidem alias, cùm quocunque in dividendo processeris quæque suæ divisionis capax reperietur; è quibus planè sequitur, non mente solum, sed reipsa quamque atomum in innumerabiles dividi potuisse. Neque se callidè satis subduxit vir argutus, cùm partes neque finitas, neque infinitas, sed *indefinitas* esse definiverit, cùm omnis numerus aut finitus, aut non finitus esse necesse sit, atque adeo ut inter utrumque reperiatur, qui neuter sit, primis, & communibus omnium hominum notitiis adversatur. Mathematicum itaque philosophum demonstrare oportuisse puto, corpus solidissimum, omnisque vacui exors reipsà discerpi posse, priusquam rem (ut opinor) simplicissimam, à se tam facilè divelli posse tantâ fiduciâ sumpsisset. Atque quidem, nisi quis Deus fuerit, qui alicujus, quantulæcunque molis, corpuscula effecit, quæ & magnitudinis sint exordia & nulli dissipationi obnoxia, quicquid finxerint, nunquam quî ipsa Materia, aut existat aut coalescat, solvent Mechanici. De priori superius contra *Epicurum* diximus, de posteriore autem quî ejusdem partes coalescant non intelligimus, cùm sint singulæ solutæ, neque in alias penetrare possint, & propterea non arctius adhærere, quàm quòd sint aliæ aliis contiguæ; atque adeo durissima quæque corpora non magis inter se quàm granorum acervus, devinciri possent, cùm in omnibus non alia (ut inquit) fiat *unio*, quàm quod pars parti accumbat. Atque, quod ait *Cartesius*, corpora solâ quiete inter se *uniri*, reliquis suis commentis omnino consentaneum esse videtur; etiamsi enim juxta se quiescere contingat, nisi tamen aliquo vinculo quod utramque subeat, ad invicem constringantur, omnino soluta, & diversa esse necesse est. Quiescunt acervi grana, quietè tamen nullam inter se coagmentationem

adipiſcuntur. Quid autem multa? cùm quiſque intelligat materiæ partes, ſive quieſcant, ſive ſe moveant, non arctiùs agglutinari poſſe quàm quod ſingulæ ſingulis, ſolutæ tamen accumbant. Uſque adeò perſpicuum eſt, dempto Numine, quæcunque in Naturâ prima & certiſſima ſunt, intelligenda non eſſe. Et quanquam qui corpuſcula prima produxit, ipſe ſolus, quemadmodum produxerit, intelligat; tamen quì, productæ cùm ſint, extenſæ ſimul, & diviſionis expertes eſſe poſſint, nos quoque, eò quòd ſint omnino plena & ſolida, facillimè intelligimus. Quo quidem pacto planè tollitur, ut mihi videtur, id quod in Phyſicis maximè arduum habetur; atque quæ contra diſputari ſolent, ſi Mathematica ſunt (ut ſunt pleraque) ſunt prorſus aliena; ſi Phyſica, facillimè, & ſine negotio, ſi hujus eſſe loci putarem dilui potuiſſent. At cum ſubtiliora ſint de materiæ diviſibilitate, iſta ulterius urgere nolo, impræſentiarum ſatis eſt, quòd à re, quâ nihil ſit in omni Philoſophiâ difficilius, exordiatur. Quo monito corpora, ſi placet, ſolidiſſima, atque idcirco nullius diviſionis capacia, ſummâ tamen motus vehementiâ diſcerpi potuiſſe dabimus. Qui verò tam minuta corpuſcula ſe tantâ vi affricare poſſent, ut in minutiſſimas minutias ſe mutuò comminuant, neque dare, neque intelligere nos profitemur. Quippe tantam vim niſi maximo pondere factam nunquam experti fuimus, atque quo celerior eſt motus, niſi mole, & gravitate adjuvetur, eo ad ejuſmodi effectum imbecilliorem ſentimus; cùm itaque maximè exiles, eâque ratione leviſſimæ ſint primæ particulæ, quantâcunque celeritate hinc inde ſaltitare poſſint, non tamen eâ vi ſe ſuis ictibus quaſſabunt, ut in tot, tamque exigua fragminula diſſilire cogantur. Atqui tamen qui abraduntur anguli, quam quæſo figuram obtinerent? Non aliam inquit, quàm anguloſam, & plerunque triangularem, cùm globuli, qui materiam ſubtilem comprimunt, non propius coire poſſint, quin in medio ſpatium triangulare relinquant. Figura vero anguloſa, atque potiſſimùm triangularis, cùm ſit aliarum omnium ad motum ineptiſſima, quî fiet (ut ſtatuit Carteſius) corporum omnium mobiliſſima? Celeritatem, inquit, è locis latioribus in anguſtiora tranſeundo adipiſcitur; quod ſi fieri potuit, nullis

nullis tamen legibus mechanicis tantam, quantam ipſe voluit. Imo tantum abeſſet locorum anguſtiis novam celeritatem acquirat, ut, ſi ad quem locum, locis per quos prius tranſiverat arctiorem accedat, angulis invicem implicatis, cùm non pateat ſpatium per quod tranſire potuit, potius immobilis hæreret. Quicquid autem Elementi primi particulis contigiſſe finxerit, cùm ſint figuræ inæqualis ratione ad motum ineptiſſimæ, vix unquam mediocri celeritate, etiamſi vi, aliunde impreſsâ, impellantur, cieri poſſint, nedum tantâ rapiditate exagitari, ut fiant omnium longè mobiliſſimæ.

Cùm autem materia ſubtilis per globulos ubique tranſeat, quâ, quæſo, lege mechanicâ figuram ſuam mutet, ut ſe viarum anguſtiis accommodare poſſit? Quoniam repugnat (inquit Carteſius) in Naturâ vacuum reperiri, ſic enim nihili aliqua foret extenſio, atque idcirco materiam ſubtilem intervalla omnia, quæ globulis interjacent, occupare. Quàm autem abſurda res fuerit vacuitas, & quantum ſuâ interſit, ipſe videat, ut autem devitetur, neque noſtrâ, ſcio, neque *materiâ ſubtili* omnino intereſſe puto. Saltem novi materiam ſubtilem *nihili ſit, an non ſit extenſio*, cordi non multum habere, aut non tantum ut, ne ſit, ſe patriâ ſuâ longinqui temporis exilio mulctaverit. Si itaque, ne fiat vacuum, ſuâ intereſſe putet *Carteſius*, demonſtrare oportuit, quo mechaniſmo materia ſubtilis id devitare poſſit. Aut enim vacui abſurditatem deprehendit, atque adeo curæ habet, ne, ſi interſtitia deſerat, in tantum ſolœciſmum tandem incidat, ut nihili extenſionem efficiat. Si non deprehenderit, cùm ipſo naturæ ordine in vorticis Centro detineatur, quid eſt, quod tantam ejuſdem copiam inter globulos manere coerceat? Non ipſi globuli, cùm ſemper deorſum detrudant, cumque inter eos pateant interſtitia, per quæ in proprium locum eluctari poſſit, non ipſa ſe, cùm ſemper niſi ſuâ naturâ ſaltem globulorum expulſione, in centrum feratur. Nullâ itaque mechanicâ causâ, ſed neſcio quo faſcino, inter globulos tam longè à propriis laribus detinetur.

Deinde verò cum primi Elementi particulæ partium inæqualium abraſione fiant, cur non & ipſæ omnes fierent

rotundæ, vehementiori enim sui motûs impetu, quàm quævis aliæ invicem atteruntur, adeo ut solâ vi sui motûs in ramenta innumerabilia dissipentur. Cur itaque, abrasis omnium angulis, rotunditatem non acquirant? si enim tot aliæ particulæ temporis successu sphæricæ fiunt, quot, etiamsi minori rapiditate moveantur, cœlis omnibus extruendis sufficiant, cur non, inquam, eodem, aut multo breviori temporis successu omnium rapidissimæ se mutuo in eandem figuræ lubricitatem perfricarent? Quod si fiat, & quin fiat, nihil est juxta leges mechanicas quod impediat, neque sol, neque lumen esse posset; sol ergo non nisi vi quâdam legibus mechanicis factâ, per tot sæculorum series conservatur; si enim particulæ, è quibus factus est, eodem modo, quo cæteræ omnes angulos suos amitterent, fierent rotundæ, rotundæ verò cum factæ sint, eandem cum secundo elemento, figuram, quo non solem, sed cœlum fieri voluit, adipiscerentur. Quid ergo est, quod impedire possit? nihil, quantum novi, nisi præpotens ille, qui omnia potest, vacui metus: quatenus si omnes materiæ particulæ sphæricæ fiant, cùm plures globuli simul juncti spatium continuum replere nequeunt, vacuum interstitium esse necesse sit, quâ causâ posse Deum particulas omnes sphæricas, cùm primum creaverit, effecisse ipse negat. Quibus profectò nescio an quid magis argumento ut sit vacuum, esse possit, ne alioqui ipse Deus tres globulos juxta se positos creare non valeat. Quis enim isto casu spatium inter eos triangulare inane esse non putaret, potiusquàm summam Numinis potentiam, ne eos efficiat insuperabili necessitate impeditam diceret? Ego sanè demonstrationem Mathematicis *Cartesii* omnibus clariorem, nisi suâ ipse fiduciâ anteverterat, sic conclusisse putaveram. Deus tres globulos juxta se sitos creare potest; inter tres globulos simul junctos spatium triangulare esse necesse est, ergo cùm nullo corpore repleri potest, etiam & vacuum esse necesse est. Atque igitur cùm Cartesius rem à Deo effici inficietur, non argumentum solvit, sed argumenti conclusionem impudenter negat, & quidvis se dicturum indicat, ne vacuum esse (cùm semel non esse dixerit) fateatur. Atque ita cùm omnes Elementi primi particulæ, quæ sunt figuræ cujusvis

Pars 3. Art. 49.

Pars 3. Art. 48.

jusvis inæqualis mutuo attritu angulos suos amissuræ sint, quid impediet, ne tandem fiant quæque rotundæ? In Cartesii hypothesi nihil, nisi quod isto casu non superesset, quod globulorum interstitia implere posset. Ergo, ne quando Vacuitas contingat, corpora, quæ alioqui secundum leges mechanicas se invicem in absolutam rotunditatem affricarent, quâcunque vi atteruntur, nullam vim altera alteris afferre, sed integra, & quasi intacta conservari omnia. Atqui nimis optata hæc sunt, Cartesi, ne dicam, impudenter dicta, nihílque demonstrant, nisi hominem, qui talia dicere coactus sit, in sententiâ esse, quæ sine maximis opinionum portentis teneri nequit. Utcunque verò fuerit, cùm particulæ primi Elementi omnes se mutuò atterunt, ipsæ minori temporis spatio vehementius attritæ, quàm quævis aliæ, omnibus abrasis inæqualitatibus fierent rotundæ, atqui cùm istius figuræ omnes secundi elementi censu numerantur, diu est (tandiu nempe quandiu facti sunt Cœli) ex quo quævis superessent, quæ in primo censeri possent.

Neque etiam majori, aut mechanicâ, aut constantiâ sempiternas suas Naturæ leges tuetur Cartesius, cùm primi Elementi materiam adeo flexilem esse velit, ut ne vacuum fiat, suam figuram pro ratione cujusque loci occupandi accommodare valeat. Quatenus jam ante primas materiæ particulas tam duras, & rigidas esse censuerit, ut si fortè unæ in alias inciderint, tantâ vi se impingant, ut si quid omnino inæquale habeant, eo impetu decutiatur, ipsæque tandem omnes attritûs vehementiâ in æquabiles globulos detornentur. Quid ergo dicemus, cùm ipsa ejusdem materiæ ramenta, quæ antequam abradi contigerat, fuerant quovis marmore rigidiora, quàm primum abrasa sunt, continuò cerâ quâvis molliora fiant; adeo ut cum antea nulli corpori, facillimè nunc omni cedant. Neque enim quicquam figuræ exilitas, modò sit æquè solida, ad flexilitatem valere potest; si itaque ante abrasionem tam facilè figuram immutare non possent, neque post eam factam facilius se flectere valebunt, sic autem pro suâ libidine, & ut suum in Philosophiâ regnum tueatur Cartesius, inconstantes, & contrarias naturæ leges ubique tulit. Si suæ Hypothesi

uno Articulo expediat, ut se mutuò atterant corpora, sunt omnia quovis saxo duriora; si verò altero mox expediat, ut se alia aliorum figuris accommodent, necesse est, ut ipsa eadem eâdem naturæ necessitate quovis luto molliora reperiantur.

Atqui denique si eâ facilitate postea ne fiat vacuum, cur non ab initio eâdem ne fiat sui dissolutio, flectantur? Naturali enim Motûs affectu novit Cartesius, quantum quidque à sui dissolutione abhorreat; cur ergo se in omnes formas non immutarent, *Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem*, ne tam violentam sui dissolutionem patiantur? Aut cur vehementius à vacuo, quàm sui dissipatione metuant, ut, cùm nihil se conservandi causâ moliantur, ne verò quoquo modo fiat vacui *solœcismus*, omnia tentarent. Ipse profectò horreola vacua, quam brachium, aut pedem avulsa esse mallem, neque dubito quin quæque Atomus, ne quid sui amittat, non minus suâ interesse putet, quàm ne alicubi vacuitas contingat, atque igitur non video, cur plus in illius introitu impediendo, quàm propriâ soliditate tuendâ, laboraret.

Neque profectò minùs, quàm in prioribus istis, in tertio Elemento perficiendo secum cúmque rebus ipsis dissentire videtur, quippe quod è primi elementi minutiis fieri voluit, quæ cùm ob crassitiem minus fortè celeriter exagitentur, quæque cum valdè angulosæ fuerint, sibi mutuò magis, magisque cohærere aptæ sunt, dum tandem in ingentes quosdam acervos colligantur, quales sunt maculæ in Solis superficie, ipsa Terra, cæterique Planetæ. At profectò si ob implexas figuras secum hærere aptæ sint, quamobrem ab initio, antequam in minores angulos diffringi contigerat, cùm sint magis angulosæ, minusque mobiles, non cohæserint? Hujus tam contrarii eventûs nullas alias mechanicas rationes afferre potest, nisi quas ubique attulit, tum quod sic fortè evenerit, cùm quòd Hypothesi sic evenire expediverit. Alioqui certè nemo non videt ante angulorum abrasionem ut invicem implicentur, multo aptiores esse, quàm cùm minus angulosæ factæ, majorémque celeritatem fuerint adeptæ. Præsertim cùm nullo alio visco, quam quiete *Cartesius*, quævis corpora coalescere arbitratur; quo itaque celeriùs

leriùs moveantur, eo difficilius ad invicem agglutinari dicere necesse est. Ut verò in corpora solidissima, aut in superficie Solis, aut circa Terræ, reliquorumque Planetarum, quæ ingenti vehementissimi ignis mole occupari censuit, tam arctè coagmententur, quis satis mirari possit? Quanquam id quod maximè miremur videatur, eadem corpora tam dura esse, ut ardentissimæ flammæ impetu non dissipentur; tam mollia tamen, ut globulorum, utcunque exigui sint, circumvolutione, Cochlearum more, quàm facillimè intorqueantur.

SECT. XXV. Nunc autem deletis elementis, mechanicis legibus, & dialecticis definitionibus, totum negotium planè confecimus, neque opus erit seorsim (si iis steterat) in suas de singulis Naturæ phænomenis rationes inquirere. Cùm Phænomena Elementis, Elementa Legibus, Leges Definitionibus confecerit Philosophus; istis ergo sublatis, si quæ secuta sunt, simul tolluntur omnia, Cùm verò ad istuc negotium accesserit, abjectis statim omnibus à tergo legibus mechanicis, quas antea sempiternâ, & inviolabili necessitate ratas esse voluerat, omnem omnium rerum fabricam casuum innumerabilium, & plerunque secum pugnantium, ictibus ædificavit. Neque quidem, si invicem conferamus, in cujusque effectûs ortu minus, quàm ipse Epicurus fortunæ licentiâ usus est. Quo tandem effecit ipse leges mechanicas, nisi quoque magnam vim fortuna eisdem addiderit, ad rem quamque efficiendam non suffecisse; adeò ut tandem pene omnia aut solo vacui horrore, aut cæcâ casûs temeritate, mechanicorum princeps absolvisse videatur. Age igitur, paratis Elementis, jactis legum fundamentis, datâ denique definitionum authoritate (ut mechanicæ credulitati nullus concedendi finis est) nunc ad mundos, si placet, extruendos nosmet accingamus; & quantum vis mechanica, quantum cæca, & volubilis illa Dea valeat, & denique an quid omnino utraque, brevissimè, quantum fieri potest, videamus. Et ne omnia sequar, paucas istas, quas in hoc nostro Mundo deprehendimus, rerum utilitates sequemur. Atque primùm solem, cùm totius principatum teneat, faciamus. En itaque clarissimi sideris Natales! *Crevit initio paulatim materia*

Pars 3. Art. 54.

*ria primi Elementi, ex eo quod particulæ secundi assiduo motu se invicem magis, ac magis attererent, cumque major ejus quantitas fuit in vortice quàm necesse erat, ad implenda exigua illa spatia, quæ inter particulas sphæricas secundi Elementi, sibi mutuo incumbentes reperiuntur, quicquid ex eâ residui fuit, postquam spatia ista repleta sunt, ad centrum confluxit, ibique corpus solis sphæricum, & fluidissimum composuit.*

Atquî verò præter id, quod jam ante monuimus Elementi primi particulas, cùm, ut aliæ mutuo attritu rotundæ fiant, in secundi partes tandem migrare omnes. Imprimis virum tam acutum non vidisse miror Terrarum orbem istâ hypothesi quàm plurimis sui Diametris solis mole immersam fuisse. Quippe cùm omnes materiæ particulas magnitudine æquales fuisse supposuerit, atque adeo ex istis bina sua prima Elementa fieri, Globulos, è quibus Cœlum, & materiam subtilem, è quâ Solem factum voluit. Si primas istas cubos fuisse sumamus, quod idcirco sumimus, quoniam cum proximè ad figuram sphæricam accedant, minima ramentorum copia ab iis abradi possit; quanta autem abraditur, eam ad globulos rationem habet, quam partes Cubi extantes ad inscriptum Globum (*i. e.*) eandem quam habet 10. ad 11. atque eisdem ferè æqualis ferè æquale spatium occuparet; cujus alterum dimidium, si globulorum interstitiis interspersum, & alterum dimidium, in centro collectum supponamus, sol ipse quartam Vorticis partem teneret, quâ proportione semidiametrum solis dimidio semidiametri Vorticis aliquantò majorem esse sequeretur; atque adeo Terram hanc, quam incolimus, cùm, si totius latitudini comparemus, non longè à sole sita sit, aliquammultis sui diametris ipso corpore solis, sive ingenti Ignis ebullientis mole obrutam esse. Totius rei rationem doctissimus Amicus perspicuè subduxit, & demonstravit. Atque quidem tam clara, & solida est demonstratio, ut se solâ totam hypothesin in æternum conficere & labefactare sufficiat. Ipsum igitur, cùm tam præclarè totius rei demonstrationem perfecit, Lectorem adire mallem, quàm quæ scripserunt alii, eadem excribendo eum onerare. Præsertim cùm res tota, schematibus coram oculis positis, demonstretur; quæ si sæpius narrentur, nil nisi nauseam crearent: quas

Pars 3. Art. 47.

Henric. Morus Enchir. Met. C. 16.

quas igitur rationes in computando inivit si quis scire desideret, ipsum adeat; Ego autem nil nisi illius non modo lectione, sed summo studio dignas esse spondere possum. Quanquam cujusque qui mundi systema intuetur, oculis res ipsa satis manifesta sit, cùm spatium, quod percurrunt Planetæ, si cum amplitudine totius Vorticis comparetur, perexiguum & sit, & esse ipse velit; quod non modo totius Hypotheseos sed & ipsa Universi ratio exigit, adeo ut non modo Terræ Orbis, sed & omnium Planetarum systema longè intra Solis diametrum absorberi necesse sit, cùm istâ proportione Sol spatium omne ultra Saturni orbitam impleret. Neque sanè quoquo modo, si lapsum suum deprehenderat Cartesius, resarcire potuit, nisi Deum justam omnium Elementorum copiam, quæ ad cujusque usum & officium sufficiat, effecisse supposuerat. Si verò accuratiùs ad leges Mechanicas rem totam expendamus, materia subtilis non modo quartam partem, sed pene vorticis dimidium occuparet, cùm ad centrum omnis feratur, neque, ne abeat quicquam impedire possit, nisi inanis iste inter globulos vacui timor: Id verò quid suâ intersit, modo propriam provinciam tueatur, diximus. Si enim rerum Naturam vacuum exhorrescere novit, atque adeo suæ naturæ vim inferre maluit, ne communem illius ægritudinem patiatur; isto pacto rem admodum mechanicè expeditam habemus; si non novit, dicat, inquam, quo mechanismo suâ à vacuo abhorrere intersit. Cùm itaque secundum leges mechanicas omnem materiam subtilem in Centrum detrudi necesse sit, nihílque sit, quod ne eo abiret, impedire possit; cumque par sit illius atque secundi Elementi copia, dimidium totius Vorticis spatium occuparet, atque adeo nescio quot mille diametros, ultra Terram, extumesceret. Quod quoque cùm in omnium fixarum vorticibus contingat, ut materiâ subtili pæne dimidium vorticis occupetur, dimidium Cœli reipsa flammeum foret, totum autem, quasi una flamma, appareret, non aliter quàm in facibus accensis, quarum non longè dissitarum cujusque radiationes ad proximam pervenire videmus.

Pars 3. Art. 85.

Deinde cùm Solis figuram rotundam esse velit, quòd globuli omnes æqualiter à Centro vorticis recedere co-

Enchir. Met. Cap. 17.

nentur, demonstravit idem vir doctissimus isto motu, si sit purè mechanicus, solis corpus rotundum non fore, sed fistulæ instar, aut conicæ, aut cylindraceæ per Axem, ab unius Poli ad alterius extremitatem protendi; cùm juxta hanc hypothesin globuli cœlestes per totum Vorticis axem, ab iis ipsius partibus, quibus accumbunt, mechanico hoc conatu conentur circulariter incedere, atque eo pacto locum materiæ subtilissimæ aliquo modo quidem rotundum relinquere, non sphæricum tamen, sed cylindraceum potius, aut saltem versus utramque Axis extremitatem in Coni mucronem paulatim fastigiatum. Quam demonstrationem, quanquam primo intuitu suâ luceat perspicuitate, tamen facillimo schemate illustravit, quod etiam, si placet, Lectorem oblectationis suæ causâ intueri efflagitarem.

Proximè vero cùm tam solem, quàm sidera omnia circa suos axes volvi voluerit. Quid si requiram, quo mechanismo suas conversiones, tam æquabili constantiâ perficiant? Eâ, inquit, lege quâ quicquid movetur à Centro moveatur in Circulum. Esto igitur, ut optare potes, moveantur; cur verò in incitatissimâ istâ conversione, tam incredibili æquabilitate, ut sempiternis pene seculorum ætatibus, ne uno quidem celeritatis momento mutentur. Istuc autem est, quod nunc à vobis quærimus; de legis istius, motûsque ortu superius dictum est, hujus autem loci est, de illius tam æquabili ratione respondere. An vero satis responsi putatis, cùm de motûs constantiâ interrogetur, si quemadmodum omnino fortè fieri potuit dicatis? At talia sunt semper vestra Oracula, cùm de rerum solertiâ sciscitamur, nulla alia à vobis responsa, nisi de rebus ipsis, eas sic fortè contigisse obtinemus. Imò verò quanquam in solidis corporibus æquabilis motûs ratio fortè evenire posset, tamen adeo quidem mobilis videtur ignis natura, ut certè nullum ratum, constantemque motum diu conservare possit. Adeo ut si Cartesius unà cum Anaxagorâ Solem *laminam ardentem* esse censuerat, quî, rotæ instar, circa se volvatur, quodammodo fortasse assequi possemus; At cùm metalli liquefacti instar, & ardentissimâ ebullitione æstuantis esse arbitretur, ut eosdem gyros eâdem constantiâ, quâ rota summâ virium æqualitate circumacta conficiat,

ciat,

ciat, si intelligere se putet Cartesius, Mechanicorum princeps haberi profectò jure meretur.

At portenta omnia superat (nisi quod maxima videantur omnia) enormis ista motûs in solis vortice inæqualitas; quam sine quâvis mechanicâ ratione finxit, cùm secundi Elementi globulos Centro propiores celerius, quàm remotiores ad certam distantiam moveri statuat, ultra quam eo iterum celerius, quo remotiores: adeo ut cùm infimi, & supremi circuitus suos intra paucas hebdomadas absolvant, medii triginta annos eodem circuitu absolvendo impendant. At quamobrem ad certam intervalli distantiam perveniat iste impetus, ibique extabescat, & statim rursus tanto impetu reviviscere incipiat, ut innumerabiles propemodum plures celeritatis gradus, quàm antea, adipiscatur? Quid enim magis enorme excogitari potuit, quàm cùm omnes initio æqualiter moveantur, alii mox brevissimo temporis successu, ut supputavit idem vir doctissimus, vicibus 105120 aliis celerius moveantur? Etenim cùm Terra motu annuo conficiat mille passuum 23652000 globuli ejusdem vorticis superiores tantâ rapiditate moventur, ut horæ unciâ spatii tantundem percurrant. Quod quanquam si omnino fieri sibi persuadere potuit, causas tamen mechanicas excogitare debuit, quibus tam enormis motuum inæqualitas effici potuisset. Si enim demonstraverit, cùm è viâ latiori in angustiorem transeant bini globuli, transire non posse nisi alter alterum præcesserit, eum tamen qui fortè præcedit novam celeritatem adipisci non demonstravit, cùm, qui sequitur, præeunti semper hæreat semperque protrudat; & si novam quandam celeritatem isto casu acquisiverit, non vero opinor tantam, ut 105120 vicibus celerius moveatur. Hæc tamen suâ Hypothesi coactus statuit Cartesius, ita ut, nisi statuerit, neque ipse secum consentire, neque Phænomena explicare potuerit. Nisi enim incredibilem istam superiorum celeritatem sumpsisset, Cometarum, qui tam celeriter totum vorticem percurrunt, motum explicare non poterat, neque etiam Saturni motum, quem in ambitu suo non nisi triginta annis absolvit, nisi istam inferiorum tarditatem supposuisset.

Pars 3. Art. 82, 83.

Sect. XXVI. Atqui in cœlestium ratione quorsum ulterius sequar, cùm in iis, quæ sequuntur, omnibus, omnem laborem non tam in mundorum fabricationem, quam eorundem demolitionem insumpserit? Facto enim sole, stellisque fixis, quas quoque totidem soles esse voluit, mox totus in eo est, ut quas fabricas extruxerat, funditus evertat. Sic pueri, cùm ædiculas è luto, & limo fecerunt, easdem alioqui propriâ imbecillitate casuras mox demoliri solent. Atque eâdem quidem facilitate, quâ ipsi ædificatiunculas suas nunc extruunt, nunc diripiunt, Cartesius innumerabiles mundos nasci, & interire efficit, neque profecto mirum est, si quales ille condidit, extremo digito facillimè evertantur. Ego quidem, si eam esse Terræ fabricam putarem, quam ipse descripsit, universam sesquiobolo non emerem, quis enim in diem perduraturum expectaret, quæ nihil stabilius sit, quàm spuma quædam, igne ebulliente forte emissa, mox quòd aut dissipetur, aut absorbeatur interitura. Atqui præter id quod in stragibus edendis pene totus sit; cùm ædificat, idem, quod Epicurum fecisse diximus, & ipse fecit, quippe præteritâ omni naturæ solertiâ atque cujusque illius partis utilitate, nil nisi crassam, & quasi *materiatam* illius molem descripsit. Atque si utriusque mundos conferamus, difficile dictu erit, uter majori inscitiâ extruxisse videatur. Si ab Epicuro requiras, quamobrem Terra sede, quam tenet, sita est? Quòd, inquit, cùm sit omnium gravissima, in imum feratur. Idem à Cartesio si requiras, Quòd, inquit, labefactato suo, quem prius habuit, vortice, in solis vorticem (cùm in innumerabiles alios abire posset) delapsa sit, in quo, pro suæ soliditatis ratione, certâ à sole distantiâ, versatur. At neuter quicquam, quanquam maxima res sit, quam ab iis requirimus, de summâ intervalli commoditate, respondet. Quanquam enim, quî tanta terrarum moles uspiam tenui aere, nullis à se fulcris innixa sustineatur, physicè explicari non posse, & novimus, & demonstravimus. De isto tamen nunc non agitur, nihilque quærimus nisi quòd si res solo casu, nullâque Providentiâ fiat, quî tam secundo eventu contigit, ut ubicunque sita sit, eâ à Sole distantiæ ratione poneret, quæ unica sibi omnium

sit

sit maximè accommodata. Atque igitur opportunitates istæ omnes, quas superius enumeravimus, per se quâ Providentiâ institutæ sint, satis indicare ubique dicimus. Vos verò, an quæ omnino in phænomeno sit commoditas, necne, pro vestrâ an oscitantiâ, dicam, an impudentiâ animadvertere nolitis, sed istâ diligenter præteritâ satis fecisse vos remini si, quî quodvis fortè contingat intervallum, crassè, & squallidè disseratis. Atque istæc unica vestræ philosophiæ ratio est, ut naturam omni suâ solertiâ spoliatam contempletur, neque quid aliud agitis, nisi ut, cùm omnes à mundo utilitates detraxeritis, molem istam, quæ superest, inertem vestris legibus mechanicis extruatis. Opus mehercle præclarum, atque sanè puerorum, dementium, & vestrûm industriâ longè dignissimum. Ita deinde si ab *Epicuro* requiramus, quamobrem sol moveatur? quod, inquit aut ventorum flatu, aut, quo invitat pabulum, feratur. Si à *Cartesio* quamobrem Terra? quod, inquit, ferventissimâ solis ebullitione huc illuc agitetur. Si vero ab utroque, quamobrem eâ constantiâ, eâ æquabilitate, flent venti, & ebulliat ignis, neque etiam hic quicquam ipsi attendunt, sed bellè admodum se fecisse rentur, si ventos flare, & ignem æstuare dixerint. Quorum sanè utroque nihil unquam constantiæ, & æquabilitati, quarum nunc causa inquiritur, magis contrarium reperire potuerant. Si quamobrem aut Solem ab Ortu in Occasum, ut Epicuro placuit, aut Terram ab Occasu in Ortum, ut Cartesio, ferri contigerit; quòd inquit Epicurus sic rerum initio contigit: Cartesius autem nihil respondit, neque, si vellet, quicquam melius respondere potuit; cùm, si detur materiam cœlestem mechanicâ quâvis necessitate in orbem volvi, nullâ tamen in hanc viam potiusquam retro contrariam volvitur, nisi quod in eam declinatione fortè facta abire contigerat. Si denique (ne omnia sequar) quamobrem per Æquatorem, quamobrem obliquè, quamobrem cursu spirali, quamobrem ad Tropicos, quamobrem utrinque retro. Quas omnium causas attulit Epicurus, superius diximus, si verò quas Cartesius requiras, ipse nullas, ratus, cùm res maximæ in rerum naturâ sint, prudenter tacitas esse prætereundas, nihilque ulterius, post ingentia ista

de demonstrationibus Mathematicis, quæ cum ipsis rerum omnium Phænomenis convenirent, promissa, in cœlestium rationes velificare ausus est, nisi quòd Planetæ, ut in lebete spuma, & in vortice paleæ, circumferantur. Digna profectò omni istâ solertiâ quam in Sole descripsimus explicatio! Cùm ergo in crassioribus iis solis Phænomenis, nempe quæ attigit de illius ortu, magnitudine, & figurâ tam enormè lapsus sit, cumque solertiora omnia, mirabilem nempe motuum varietatem, constantiam & æquabilitatem, omnino tractare non ausus sit, nolo ulteriùs hominem devictum, & profligatum lacessere: Neque enim meliores soles ipse fecit, quàm quos ignes fatuos effecit Epicurus: cùm ergo istum porcorum gregis virum majori, quàm meruit, argumenti copiâ oneraverim, quæ in istum disputavi in hunc exaggerare nolo, eadem enim, si huic accumulentur, eundem quoque obruerent: Cùm perinde sit, an rabidus ignis impetus summam in motibus suis constantiam, an fortuita ventorum temeritas conservare dicatur. Si quis itaque operæ pretium existimaverit, ut disputatione fusiori seorsim institutâ, quæ de cœlestibus deliravit Cartesius, refutentur, non alio labore opus est, quam ut, quæ de iis adversus Epicurum disputavimus, repetitâ lectione in memoriam revocaret. Me quidem tantæ mechanicorum levitatis nunc tandem planè pertæsum est, atque tam puerilia tantâ industriâ insectatum fuisse jam pene pœnitet, ne igitur nimium suscepti laboris pigeat, properandum est.

Sect. XXVII. Facto itaque Sole, nunc demum Terram quoque, & Planetas faciamus. At verò quid factu facilius, cum eâdem facilitate, quâ maculæ in Solis superficiem nascantur? Quî itaque nascuntur maculæ? Quid inquit interrogas? cum eodem nascantur modo, quo in aquâ ebulliente spuma exoritur. *Eâdem enim ratione quâ videmus aquam, liquoresque alios quoscunque cùm igni admoti effervescunt, atque aliquas particulas diversæ à reliquis naturæ, ac minùs ad motum aptas in se continent, densam spumam ex particulis istis conflatam emittere, quæ supra ipsorum superficiem natare, figurasque admodum irregulares, & mutabiles habere solet; ita perspicuum est materiam solis, utrinque ex ejus Polis versùs*

Pars 3. Art. 94.

*Eclip-*

*Eclipticam ebullientem, debere particulas striatas, aliasque omnes quæ facilè sibi mutuo adhærent, ac difficulter communi ipsius motui obsequuntur, ex se tanquam spumam expellere.* Sic verò putidissimis similitudinibus semper depellis, cùm ubique leges mechanicas, & demonstrationes mathematicas polliceris? Spumam liquorum ebullitione, nescio quo casu effervere novimus, at quibus Naturæ legibus id fiat, ut demonstres, efflagitamus. Et si quoquo modo quî in aquâ ebulliente spuma effervescat, invenire possis, quî tamen in fervidissimo ignis liquore quicquam tale ad aliquam diuturnitatem subsideat, superest adhuc legibus mechanicis demonstrandum. Ista subitò emergit, & subitò evanescit; & quid mirum, cùm nullâ certâ naturæ ratione fiat nullique ejusdem usui inserviat, atque adeo ut fortè exoriri, fortè quoque interire contingat. At quid istuc ad Terram, cæteròsque Planetas, quos cum ingentes ardentissimósque ignis fornaces supposueris, quî tam facilè, tamque diu spumâ quæ omni marmore, & metallo crassior sit obruatur, explicare debuisti. Regionem enim Terræ inferiorem, quæ in Centro suo ingentem ignis molem complectitur, corpus solidissimum, & penè indissolubile dicis, & quidem ni dixeras, superior, quam incolimus, cùm laxa, & soluta sit, facillimo incendio interituram vidisti. Desine itaque ridiculis istiusmodi similitudinibus, & tandem leges mechanicas audiamus. En itaque: *Quando materia primi Elementi, ad corpus solis alteriusve sideris pervenit, ibi omnes ejus minutiæ maximè agitatæ, cùm nullis globulorum secundi Elementi obicibus impediantur, in similes motus consentire laborant. Unde fit, ut illæ striatæ, nec non etiam aliæ multæ paulò minores, quæ ob figuras nimis angulosas, molemve nimis magnam, tantam agitationem refugiunt, ab aliis minutissimis separentur, ac sibi mutuò facilè adhærentes, propter inæqualitatem suarum figurarum, moles aliquando permagnas componant, quæ intimæ Cœli superficiei contiguæ, sideri, ex quo emerserunt, adjunguntur, & ibi resistentes illi actioni, in quâ vim luminis consistere supra diximus, similes sunt illis maculis, quæ in solis superficie conspici solent.* Atque adeo eò tandem uti diximus, res semper dimittitur, ut ad cujusque Phænomeni solutionem non mechanicas Naturæ leges sed varios casus tibi arripueris, quorum nullas mechanicas

Pars 3, Art. 94.

nicas causas invenire, & explicare conatus es. Ita ut mundorum Ortus, & Interitus à fortuitâ particularum striatarum collectione, quam à causis minutis, & valdè incertis tum produci, tum dissolvi putas, evenire fatearis. Et quidem cùm simplicissimæ sint Naturæ leges, nisi vi quâdam majore non modo citra, sed & contra naturæ vim superari contingat, eodem tenore operari semper perseverarent. Sic tria Elementa pro variâ sui motûs celeritate, & molis magnitudine, ab invicem statim abirent, adeo ut nunquam postea ad quosvis effectus procreandos permisceri possint, scilicet omnis materia subtilis in Centro delitesceret, tum deinde omnes globuli ad extremum convolarent, & denique materia striata, si in cumulum aliquem fortè coiverat, semper cùm segnis, & crassa sit, in eodem loco cohæreret, atque adeo secundum leges mechanicas quemcumque statum materiam adipisci semel contigerat, eundem, in omnia secula conservaret. Cum itaque rerum omnium quas videmus, ordinem à fortuitâ striatarum coagmentatione exorsus es, nullo mechanismo, sed solo casu, omnia inchoari dicis, eóque tam facili, ut, si omnino evenire possit, tot mundos, quot vere muscas & papiliones nasci videremus. Si enim particulæ striatæ fortè in paulò majores cumulos cohæreant, fiunt maculæ, & factis maculis, pereunte antiquâ, continuò nova rerum facies exoritur. Ita quidem ut ipse mundi, quem aspicimus, ortum è fortuitis aliorum innumerabilium ruinis tandem effeceris. *Nihil enim vetat* ( inquis ) *quo minus arbitremur, vastissimum illud spatium, in quo jam unicus vortex primi Cœli continetur, initio in quatuordecim, pluresve vortices fuisse divisum, eósque ita fuisse dispositos, ut sydera, quæ in Centris suis habebant, multis paulatim maculis tegerentur, & deinde isti vortices uni ab aliis destruerentur, modo jam à nobis descripto, unus citiùs, alius tardiùs, pro diverso eorum situ. Adeo ut cum illi tres, in quorum Centris erant Sol, Jupiter, & Saturnus, cæteris essent majores; sydera quæ in Centris quatuor minorum Jovem circumstantium versabantur, versus Jovem delapsa sint, & quæ in Centris duorum aliorum Saturno vicinorum versus Saturnum; & Mercurius, Venus, Terra, Luna, & Mars versus Solem; Ac tandem etiam Jupiter, & Saturnus, unà cum minoribus sideribus iis adjunctis,* con-

Pars 3. Art. 146.

*confluxerint versus eundem Solem, ipsis multò majorem, postquam eorum vortices fuerunt absumpti.* Quantas strages! si quâ facilitate mundos demoliris, condere potuisses, profectò tu quoque Deus, Deus fores, inclute Memmi. Si quandoque fortè plures maculæ circa quodvis sidus colligantur, non magno negotio totum vorticem diripiunt; ut mirum sit, si quispiam vortex vel paucos annos permanserit, at ut tot seculis quot ab hujus systematis exordio numerantur, nisi mechanicâ dementiâ correpto prorsus incredibile; cùm neque majori facilitate neque constantiâ quàm spuma in aquâ ebulliente aut fiant, aut pereant.

Atquì cùm huc appulerint, (appulerunt enim nullâ certâ mechanicâ necessitate impulsi) unde, quæso, tam apta intervalla inter se servent, tamque ratos accessus, ac recessus perficiant? Audite quî non modo sine Architecto, sed & sine machinamentis, facillimè efficere gestiat. *Ut enim in iis fluminum locis, in quibus aqua in seipsam contorta vorticem facit, si variæ festucæ illi aquæ incumbant, videbimus ipsas simul cum eâ deferri, & nonnullas etiam circa propria centra converti, & eo celerius integrum gyrum absolvere, quò centro vorticis erunt viciniores; & denique quamvis semper motus circulares affectent, vix tamen unquam circulos omnino perfectos describere, sed nonnihil in longitudinem, & latitudinem aberrare. Ita eadem omnia de Planetis absque ullâ difficultate possumus imaginari, & per hoc unum cuncta eorum Phænomena explicantur.* En Philosophum! qui nullis principiis, nisi evidenter perspectis utitur, qui nihil nisi per mathematicas consequentias, ex iis deducit? qui denique quicquid deducit, cum omnibus naturæ Phænomenis accuratè consentire docet: Cum tamen tot, tantásque moles motus tam ratos, tam æquabiles, tam varios, tam denique implexos tantâ cum rerum omnium utilitate conservare viderit, tam stupendi Phænomeni rationem mathematicè demonstratam, & explicatam putat, si cum festucis sine ordine, sine usu, & sine pulchritudine, fortuito & inconstanti motu delatis, perfunctoriè contulerit: Hæccine principia per se evidenter perspecta? Hæccine consequentiæ mathematicæ? Hæccine cum naturæ Phænomenis accuratè consentiunt? Deum immortalem! quenquam mortalium adeo vesanè desipere,

Pars 3. Art. 30.

Pars 3. Art. 43.

ſipere, ut ineffabilem iſtam ſapientiam, quam in tam pulchro, & commodo univerſi ordine ubique elucere videmus, tam craſſis tamque inſulſis fabulis penitus eliminare profiteatur. At nihil non delirant homines ambitionis inſaniâ correpti. Quis vero tam leves, tamque abjectos eſſe hominum animos putaret, ut dogmata tam inſulſa, ſolummodo propter novitatem, tanquam oracula arripiant! Quantâ enim admiratione ad hujus philoſophiam, tanquam ad Sibyllæ antrum accurritur! Ut fælices ſe reputent, ante Carteſii ætatem non vixiſſe, quòd, eo nondum nato, nihil intellexerit hominum genus, cùm ille omnem omnium rerum ſcientiam mathematicis demonſtrationibus, & ornavit, & explicuit. En verò quales demonſtrationes! cùm omnia arbitratu ſuo ſibi ipſe ſumat, & ſi cuipiam contulerit quòd fortuitò vel nullâ certâ naturæ viâ evenit, quanta ſit mechanicæ neceſſitatis demonſtratio! quanquam ſanè tam longè abeſt quo minus demonſtrationes bene conficiat, ut peſſimè quidem comparaverit. Si enim aquarum vorticibus ſimiles forent Carteſiani, contraria omnia in omnibus evenirent. Iſto enim pacto materia ſubtilis alia omnia corpora à ſe propellendo, in circulum ferri non effecerat, ſed quicquid intra ſui vorticis marginem reperiret, ſibi arreptum funditus abſorpſerat. Fornacum itaque potius ſimilitudine, quàm vorticum, uti oportebat, cùm principium omnis omnium Planetarum motûs ſit ingens ignis moles in Centro delitescens, cujus vehementiſſimo impetu omnia exagitari arbitratur. At quis non rideat tam varios, tamque ratos motus tam temerario principio gubernari? Igne enim quid levius, quid inconſtantius? ut ſi alia corpora moveri efficiat, nullo tamen ordine, nullâque conſtantiâ, ſed contra ſummâ cum temeritate huc illuc, neſcio quibus, mille millenis caſibus exagitaret. Cùm itaque tam admirabiles cœleſtium viciſſitudines ſummâ cum varietate, ſummâ cum conſtantiâ, ſummâ denique cum rerum omnium utilitate videamus, dicemus iſta omnia, niſi inſanire cordi ſit, à rabido ignis furore provenire? Cùm denique moneat, ne *putemus omnia centra planetarum accuratè in eodem plano ſemper conſiſtere, nec circulos, quos deſcribunt, eſſe omninò perfectos; ſed ut in omnibus aliis rebus naturalibus contingere videmus, iſta tantùm* 

Pars 3. Art. 34.

*præter-*

*præterpropter talia esse, ac etiam labentibus seculis continuò mutari arbitremur.* An verò non viderit, si omnia mechanicâ necessitate fiant, aliter fieri non posse? vel si aliter, non solùm casu, sed & contra legum mechanicarum necessitatem evenire? si enim globuli materia subtili in circulum moveantur, & si Planetæ globulorum motibus obtemperent, quî quoquo modo fieri possit, ut motus circulares non tueantur, cùm ipsi neque se gubernare, neque suos cursus immutare valeant; si itaque immutaverint, casu, & sine causâ immutarunt. Quo tandem sit, ut omnes leges mechanicæ, quanquam ipsa rerum necessitate stabiliri voluit, facillimè fortunæ temeritati obsequantur. Quocirca quascunque in naturâ mutationes cernimus, non à solo mechanico fragminulorum motu, sed ab aliquâ aliâ causâ, quæ eorum motus gubernat, confici necesse est.

SECT. XXVIII. Extructis autem cœlis, si tandem Terram nostram efficere suísque radicibus sustinere moliamur, non opus est multum aut ingenii, aut laboris in opere impendamus, cùm eo mechanismo, quo maculæ in sole, nascatur; & eo maculæ, quo in aquâ ebulliente spuma. En verò totius Operis Impensa! *Fingamus* (inquit) *Terram hanc quam incolimus fuisse olim ex solâ materiâ primi Elementi conflatam, instar Solis, quamvis ipso esset multò minor; & vastum vorticem circa se habuisse, in cujus centro consistebat; sed cum particulæ striatæ, aliæque non omnium minutissimæ minutiæ, istius materiæ primi Elementi, sibi mutuò adhærerent, sicque in materiam tertii Elementi verterentur, ex iis primò maculas opacas, in Terræ superficie genitas esse, similes iis, quas videmus circa Solem assiduè generari, ac dissolvi, deinde particulas tertii Elementi, quæ ex continuâ istarum macularum dissolutione remanebant, per cœlum vicinum diffusus, magnam ibi molem aeris, sive ætheris, successu temporis composuisse, ac denique postquam iste æther valdè magnus fuit, densiores maculas circa Terram genitas, eam totam contexisse, atque obtenebrâsse; cumque ipsæ non possent ampliùs dissolvi, ac fortè permultæ sibi mutuò incumberent, simulque vis Vorticis terram continentis minueretur, tandem ipsam unà cum maculis,*

Pars 4. Art. 2.

*culis, & toto aëre, quo involvebatur, in alium majorem vorticem, in cujus centro est Sol, delapsam esse.* De iis, quæ Terræ, cùm cæteris Planetis communia sunt, superius diximus; scilicet quî circa se quotidiè volvi; quî fornace, quovis ferro duriore, cingi; quî, cùm in hunc Solis vorticem delapsa sit, tam aptum à Sole intervallum obtinere potuit: jam verò superest quæ eidem singulari quâdam ratione conveniunt quàm brevissimè dicamus. Primùm itaque Terram in tres Regiones divisit, intimam, quam materiâ subtili repleri, mediam, quam corpore valdè denso, & constipato occupari; extimam, quam laxam, & solutam particularum tertii Elementi congeriem esse voluit; cùm igitur Terra è suo in Solis Vorticem, eâque celeritate, quâ se Cometæ trajiciunt delapsa sit, an non rapidissimo isto motu exteriorem superficiem amissura sit? Quippe cùm omni ferro compactior sit media regio, motum quem semel accepit, facillimè conservaret; atque adeo cum summo celeritatis impetu in Solis viciniam devolveretur, regionem exteriorem, cujus partes sint minus inter se alligatæ, ut plumbum plumas, à tergo longè relinqueret.

Atqui si huc incolumis accesserit, duo adhuc supersunt (ne nimis importunus videar, si rursum de summis sui sitûs commoditatibus lacessam) quæ ab eo perquirerem, tum quî sui compagem, tum quî peculiarem sibi Lunæque vorticem conservaverit. Primum autem vi gravitatis expedivit. Si enim omnia spatia circa Terram, quæ ab ipsius Terræ materiâ non occupantur, vacua essent, *hoc est, si nihil continerent nisi corpus, quod motus aliorum corporum nullâ ratione impediret, nec juvaret*, & interim hæc Terra circa suum Axem, spatio viginti quatuor horarum proprio motu volveretur, foret ut illæ omnes ejus partes, quæ sibi mutuo non essent valdè firmiter alligatæ, hinc inde versus cœlum dissilirent. Eodem modo, quo videre licet, dum turbo gyrat, si arena super ipsum conjiciatur, eam statim ab illo recedere, atque in omnes partes dispergi; & ita Terra non gravis, sed contra potius levis esset dicenda: Atque igitur gravem globulorum cœlestium impetu factam esse; quippe qui totius molis Terræ occursu à motibus suis secundùm

Pars 4. Art. 31.

cundùm lineas rectas persequendis impediti, ab eâ undique recedunt. Verùm cùm recedere non possint, nisi terrestria in quorum loca ipsi succedunt, deorsum in sua propellant, hinc cujusque corporis gravitatem, solùm quod materiâ cœlesti deprimatur, nasci. Rem ille fusius multisque axiomatis secutus est, sed tamen cùm mechanica omnium ratio vim suam à maximo isto Naturæ affectu accipiunt, nempe à vigilantissimâ istâ rerum omnium curâ, ne fortè fiat vacuum nihilive extensio, per singula sequi nolo, quanquam suâ quodque axioma difficultate conflictetur; sed missis omnibus mechanicis rationibus, rem crassius, & familiarius cum homine acuto conficiam. Quid enim satis miremur, cùm terrena omnia telluris rapidissimâ conversione, ab eâ in aerem tanto impetu disjecta sint, ut tenue illud corpus, quod facillimè cuique, & in quamque partem, cedit, non modo vehementissimum eorum motum compescat, verùm etiam novum in viam contrariam, atque priore robustiorem imprimat. Quicquid certè valeant globuli cœlestes, quamdiu tamen in aëre versentur, atque eâdem, quâ tenue istuc Elementum facilitate dissipentur, nunquam animum inducam, ut cùm lapis molaris summâ vi à Terrâ abire nitatur, materia cœlestis, quæ ei mole tantùm æqualis sit, non modo illius impetum sustineat, sed retrò longè majori impetu repellat. Citius persuaderi me patiar (ut militari exemplo cum milite utar) globulum è tormento bellico explosum, si in viam huic materiæ cœlestis fluxui contrariam fiat explosio, non hostem, sed ipsum explosorem confossurum. Si enim Terrarum Orbis cujusque diei spatio circa se volvatur, incredibili istâ motûs rapiditate longè majori impetu solida quæque à se disjiciat necesse est, quàm aut pulvis pyrius, aut quidvis aliud valere posset. Utrius virium rationes tu, Cartesi, omnium optimè expertus es, Turbinis cùm puer, pulveris Pyrii miles cùm fueras, jam verò si utriusque vires, Philosophus cùm factus sis, experiri, atque rationes conferre placeat, invenies ingentem hunc Telluris turbinem longè majori incitatione circumvolvi, quàm plumbeos vestros globulos, ex ipsis Tormentis ære factis, explodi. Atque igitur cùm pro rapiditatis suæ ratione corporibus quæ ei

incumbunt vim abeundi imprimat, maximâ vi (atque quâ quidem fingi non potest major) foret ut in aërem, nisi ipse impediret, disjecta sint omnia. Ut verò tanta sit corporis istius tenuissimi virtus, quæ immobilia, atque magno pondere ad terram depressa, & fixa teneat, id, inquam, est, quod nos qui mechanici non sumus, satis mirari non possumus. Aut si quis tantam esse putaverit, mirabilius est, si quâvis vi moveri quicquam posse putet. Nulla enim vis in terris reperitur, quæ vi ab ipsâ Terrâ impressæ par sit, ut si istam aëris pondus superet, planè superaret & omnem. Adeo ut tandem facilius pueri per æris, aut marmoris corpora, quàm per ipsum Aërem turbines suos contorqueant, lapidesque conjiciant. An non bellè admodum primo hoc Phænomeno perfunctus est Philosophus! Proximo tamen longè nobiliori subtilitate sibi illusit vir acutus, si enim quî Terra proprium sibi, Lunæque vorticem obtineat, perquisiveris; facillimè, inquit, *Ut enim sæpe in Aquarum vorticibus contingit, ita in majori illo cælestis materiæ vortice sunt alii minores vortices, unus in cujus centro sit Terra, circa quam dum in easdem partes major vortex feratur, Luna Mensis spatio circumeat.* Mechanicè quidem! Cùm enim Globuli majoris Vorticis per minorem Terræ pertransirent, an non ipsam à suo Centro, & extra suum Vorticem propellerent? Etenim si Sol sit in Centro magni vorticis, & Terra in Centro parvi, quæ sui Vorticis globulis circa proprium Axem rotetur, hos cum globuli circa Solem magnâ celeritate volventes intersecant, secum in Terræ globum deferrent, qui cùm nihil ab alterâ parte sustentetur, quatenus omnes sui Vorticis globuli in circulum moveantur, nihil impedire potest, quin tum à suo Centro, tum extra suum Vorticem in Solis magnum longè, latéque excutiatur. Ad eum modum quo res quasque venti impetu, è suis locis in alias mundi partes transferri videmus; cùm enim Terra in fluido aëre, tanquam in æquilibrio sustentetur, eam minimâ vi, si ab alterâ parte accedat, in alteram deferri necesse est. At cùm Globulorum magnum vorticem circumvolventium turbine impetatur, nullâ vi contra vim tantam sustineri potuit, adeo necesse est, si quando vortex in vortice contingat, continuò minorem majore

Pars 3. Art. 33.

majore labefactari. Quid aiis, Cartesi, nonne planè vides, quàm inartificiosè, imò fatuè Mundum extruxisti? Quis putaret acerrimum Artis Mechanicæ magistrum, rem tam manifestam non vidisse? Ipse tuam Mundi figuram sumas, quam Partis tertiæ articulo tricesimo primo descripsisti. An non primo Schematis intuitu tuo Acumini occurrit ingentem istum, circa magnum Solis Vorticem, materiæ cœlestis fluxum, cùm ad Terræ exiguum pervenerit, primo eum prorsus direpturum, cùm globulos omnes, tam supra Terræ globum, quàm infra eodem secum torrente auferret? Deinde Terram ipsam cùm Materia à tergo sita eam sustinere nequeat, quòd in circulo moveatur, direptâ vorticis parte anteriore, extra suum Vorticem, in magnum istum omniumque communem asportandam esse? Postremò Lunam circa Terram moveri non posse, si enim ad eam perveniret magni Vorticis fluxus cùm in parte superiore versetur, secum suo circulo circa Solem deferret, neque circa Terram redire posset per inferiorem cum magni Vorticis impetu, in contrariam viam feratur? Quæ eadem cum de Planetis omnibus, suisque cujusque Asseclis dicenda sint, an non perspicuum sit, philosophum certissimas, & inevitabiles omnium edidisse ruinas?

SECT. XXIX. Hæc de ortu & situ nostri Orbis, nunc de singulis ejusdem partibus, cùm verò de igne in Centro, & Metalli fornace, circa eum suspenso, antea, cùm de Planetis, dixerimus, de solis extimæ regionis Phænomenis, jam superest, dicamus. Atque primum ut aqua Terrâ secerni, eique supernatare eveniat, magno apparatu duo, deinde tria, & si opus sit, postmodum quatuor, & pluraalia corpora efficimus, eorumque productionem mechanicis motûs, gravitatis, luminis, & coloris legibus mathematicè explicamus. Imprimis verò omnia in duo corpora dividamus, alterum, Aëris instar, rarum, & fluidum; alterum, metalli instar, crassum, & opacum, è quo mox tertium nascitur, cùm scilicet posterioris particulæ paulatim arctius se premant, oblongas quasdam ipsis interjectas exprimunt, & supra se in altum eniti cogunt, *quæ ibi transversim jacentes non facilè meatibus occurrunt, per quos regredi possint.* Atque hinc

Pars 4. Art. 35.

nincnt, aquam interiori crustæ expulsam, eidem semper supernatare. Ita sanè, si quo mechanismo se omnes statim à recto in transversum immutare demonstraverat; cùm verò isto casu aquarum molem, ne omni terrarum moli undique immisceatur, suo more secreverit, nisi aliquam tantæ, tamque obstinatæ mutationis causam attulerat, post ingentes omnium suarum legum mechanicarum labores, tandem rem omnem ridiculo & quidem incredibili quodam casu absolvit. Si igitur per eosdem meatus, per quos egressæ sunt aquæ particulæ, regredi non possint, quòd transversim jaceant, dicat, quibus mechanicis legibus situm à recto in transversum mutare, tamque diu, & semper conservare possent, alioquî, post ingentem legum mechanicarum ostentationem, rem totam, nescio quo casu, & sine omni causâ sic accidisse dixit, quod tantundem est, ac si nihil omnino dixisset. Quis verò credat aquam, cùm tam volubilis sit, constare particulis, quæ nullo modo situm mutare possunt? Quis rem tam mobilem, nil nisi *bacillorum* transversim in terram jacentium fasciculum esse putet, cujusmodi si fuerit, non faciliùs situm suum immutare posset, quàm posset baculus transversim in Terram jacens se ultrò in rectum erigere, aut in orbem contorquere? Denique quis non rideat, tam rigidas, & contumaces esse aquæ particulas, ut, cùm è Terrâ semel emerserint, nunquam postmodum in eam vi quâvis flecti potuissent?

Pars 4. Art. 38. Factis autem Aquis, quî tandem terram supra eas eminere faciamus? Quî, inquit? *ubi particulæ minùs solidæ iis, quæ aquam componunt, ex aëre lapsæ sint, hæserunt in superficie aquæ, & quia pleræque ex ipsis fuerunt ramosæ, paulatim sibi mutuò annexæ, corpus durum à duobus aëris, & aquæ, quæ sunt fluida, valdè diversum composuerunt.* Quid desperetis Mechanici, qui omnia Terrarum Orbis fundamenta in ipsâ aquâ ponere, atque ex iis, tam lubricè jactis, tantæ molis & ponderis mundum extruere potuistis! Si particulæ terrestres in aquas fortè depluant, quanquam graviores sint, in eâ tamen quòd sic exigant leges mechanicæ, solum stabilient, & tam arctè inter se coibunt, ut tandem ex iis corpus densissimum, quod ob duritiem suam, fornicis instar, suspensum sit, exurgat. Si verò aqueis graviores sint

par-

particulæ terrenæ (quod & ipse fatetur, & ipsi experimur) unde, quæso, aquæ summitati incubuére, cùm majori gravitatis pondere in fundum protrudantur; adeo ut, quæcunque pars Terræ in aquam inciderit, cùm quâque aquæ parte ejusdem molis gravior sit, infra eam subsidere debeat, quo pacto tandem tota aquæ moles toti terræ undique innataret? Cartesium cùm primùm legissem, mirari me memini, postquam omnem Terræ globum aquis operuerat, quî natale Solum plantis, & animantibus sedem fundare potuit; multa somniavi, eáque mechanicis fabulis satis similia, animum verò nunquam subire potuit tanta Terrarum spatia pulvisculis in aquam depluentibus, fundamenta & radices egisse. Plusquam mathematicæ sint istæ demonstrationes, oportet, quæ tam malè fundatis in Physicâ commentis, nitantur.

At res nondum confecta est; isto enim pacto, ut metallum Ignem, aqua Metallum, ita terra Aquam complecteretur; cùm igitur aliis locis eminere, aliis submergi videamus, novum Mechanicorum Acumen efflagitat. Postquam itaque tantum Terræ fornicem extruxerat, rursum ut ex illius ruinis eam orbis terrarum, quam videmus, faciem conficiat, penitus demolitur. Et lapsûs initium sic sibi finxit. Cùm *scilicet aqua vi caloris versus Terram semper ascendendo mole imminueretur, non amplius ejus particulæ omnes Terræ meatus occuparunt, aliæ minores particulæ ex aëre venientes in earum loca successerunt; cumque hæ istos Terræ meatus non satis implerent, & vacuum in Naturâ non detur, materiâ cœlestis, quâ solâ omnia exigua intervalla, quæ circa particulas corporum terrestrium reperiuntur, repleri possunt, in illos ruens, eorum figuras immutabat, impetumque faciebat ad quosdam ita diducendos, ut hoc ipso alii vicini angustiores redderentur. Unde facilè contingebat ut quibusdam ejus partibus à se mutuò disjunctis, in eo fierent fissuræ, quæ postea, successu temporis, majores, & majores evaserunt. Cùm autem multæ tales rimæ forent, atque ipsæ semper augerentur, tandem ejus partes tam parum sibi mutuò adhæserunt, ut non amplius in modum fornicis possit sustineri, & ideo totum confractum, in superficiem corporis ferrei gravitate suâ delapsum est. Cumque hæc superficies satis lata non esset, ad omnia* Pars 4. Art. 41.

*illius fragmenta sibi mutuò adjacentia, & situm, quem priùs habuerunt, servantia, recipienda, quædam ex ipsis in latus inclinari, atque una in alia recumbere debuerunt, eo modo, quo jam dispoſita sunt.* O vacui timorem, quantum Numen es, imò quantùm omni Numine superius! tu solus Naturæ non modo leges, sed & legibus vires dedisti. Tuo jussu mundi oriuntur, & occidunt. Quæque atomus, tuo Numine afflata, suæ imbecillitatis statim oblita, quid moliri pavebit? Ita ut, quanquam omnis rerum natura sine te iners, & otiosa in omnia secula jacuisset, mundos tamen si jusseris innumerabiles, aut gignat, aut diripiat. Cùm fornicem adeo omni caute robustiorem extruxeramus, ut nullâ quantâcunque vi dirui posse putemus, si tamen minimum minimo tui periculum inciderit, eo impetu eidem antevertendo ab omni parte præcipitarunt atomorum acies; ut totum, præ immensâ ictûs vehementiâ, funditus confregerint. Et quidem si subito ingentem in fornice hiatum effecerant, eum tanto impetu fortè subrui potuisse darem; at cùm exigua sint intervalla, quæ vacuitatem sentiunt, neque tamen perfectam, cùm & ipsa minoribus particulis occupentur, nullâ mechanicâ ratione intelligi potest, qui tantâ copiâ in spatia tam exigua ruat materia cœlestis, ut corpus tam compactum percussionis vehementiâ funditus excutiatur. En verò, quàm aptè se disposuerint ruinæ! adeo ut, cùm delapsæ sint, *non dubium sit, quin debeant eo ipso modo, quo disponuntur, disponi.* Si verò dubium non fuerit, quorsum quæso ab Epicuro discessimus? Cur enim Mundum lapidum potiusquàm atomorum fortuitâ concursione effectum esse dicamus? Nisi quòd facilius his fieri potuerit, quod quæque cuique, propter suæ molis exilitatem, se quodammodo accommodare possit, dum ingentia saxa, qualia è tanti fornicis ruinâ diffringuntur, quo fortè semel decumbant, semper jacerent. Ut terra quidem nil, nisi ingens & horrida foret saxorum unius in alia recumbentium aggeries. Quid enim aliud, è saxis magnâ vi in corpus durissimum delabentibus, oriri potuisset? Cùm igitur tali casu Orbem Terrarum fieri existimet *Cartesius*, illius aut usum, aut ornatum nunquam conspexisse videtur: si enim immensam camporum planitiem herbis, & floribus vestitam, si

Pars 4. Art 42.

aqua-

aquarum in montium altitudines aſcenſum, ſi fontium & fluminum in omnes terræ partes commodiſſimè diffuſorum curſus, ſi Oceani limites, ſi litorum amœnitates, ſi denique commodiſſimam, & pulcherrimam ſedem omnis generis animantibus cernere voluerit, & poſtea fortuitis ruinis, nullâque Architecti arte, ita diſponi arbitretur, dignus eſt, qui ab omnibus tectis & urbibus humanâ induſtriâ extructis, & ornatis exulet, quique nullius urbis civis, nullarumque ædium incola ſit, niſi quæ aliarum ruinis caſu decumbentibus, conficiantur. Quid plura? cùm futilia ſint omnia, & metamorphoſeôn monſtra mendacii inſolentiâ ſuperent, adeo ut, qui talia ſeriò delirent, ſatis inepti, & excordes ſint, quos ad Poetarum portenta mittamus; & merentur ſanè, qui ſilvas & ſaxa, cantûs ſuavitate capta in urbes & oppida primùm coiviſſe credant.

SECT. XXX. Quanquam autem cùm univerſæ Terræ pulchritudinem contemplemur, eam nullo mechanico caſu conſtitutam eſſe non poſſumus non fateri; ſi tamen ſingulorum *Phænomenôn*, quæ ex hac ſtrage oriri voluit *Carteſius*, utilitatem reſpiciamus, iſta multo vehementius à mechanicorum fabulis abhorrere primo intuitu videbimus. De Æſtu marino nihil neceſſe eſt quicquam dicere, quod juxta Carteſii Hypotheſin ſolâ aëris preſſione fiat, quâ parte Vorticis Terræ Luna impendet; cùm igitur nullum iſtiuſmodi Vorticem eſſe potuiſſe jam ante probaverim, omnia *Phænomena*, quæ ab eo pendere voluit, unà cum eo funditus tolluntur. Datis autem omnibus, quæ ſibi ſumpſit *Carteſius*, egregii & immanes lapſus ſunt, qui aut totam *Hypotheſin*, aut ſingulas ejuſdem partes labefactant quos in eâ deprehendit *H. Morus*, quod capite 14. Enchiridii Metaphyſici Lectori videre licet, ipſe autem ut fidejuſſi ea ſequi mallem, quæ alii minùs attigere.

Si quis itaque Philoſophum interroget, quâ vi mechanicâ aqua marina in tantam rerum omnium utilitatem Sale condiatur. *Quod* (inquit) *duarum ſpecierum particulis conſtet, nempe quæ fuerunt ſatis tenues, ut ab illo ſolo impetu, quo à materiâ cœleſti* agebantur, flecti poſſent, circa alias paulò *craſſiores, quæ ſic flecti non poterant, convolutæ, ipſas* Part. 4. Art. 36.

*secum detulerant.* Atquî cùm eundem ortum habuerint, quamobrem, quæso, aliæ omnino inflexiles, aliæ summâ flexilitate præditæ evaserunt? Omnes initio rigidas fuisse ipse coactus statuit, cùm aliôqui nec se possent mutuò atterere, nec deinde atterendo læves, & teretes efficere, nec ultimò aliarum particularum pressione tam promptè supra ipsas exilire, quî itaque pars rigiditatem suam semper tenuere; pars facillimè flecti didicere? Non quod magis tenues à materiâ cœlesti flectantur; si enim tenues istæ rigidæ fuerint, utcunque huc illuc materiæ cœlestis agitatione impellantur, ut isto motu flexiles, & fluidæ fiant, novum sanè mechanicorum auxilium implorat. Cùm verò subjicit alias assiduo usu promptius flecti didicisse, alias desuescendo omnem, si quam habuerint, amisisse, quî quicquam in iis consuetudo valeat, quis, quæso, intelligit? Cùm earum Naturæ soliditatem, & plenitudinem immutare, aut imminuere non possit; sive enim moveant, sive quiescant, nihil pristinæ substantiæ amittunt, aut novæ acquirunt; si autem semper æquè solidæ, & plenæ fuerint, semper quoque æquè flexiles sint necesse est. Flexiles autem cùm fuerint magis tenues, quamobrem crassiorem quæque sibi arripiat, eique se tam arctè convolvat, ut semper secum, ubicunque impellatur, suis amplexibus deferat. Si enim tam facile huc illuc flectantur tenues, quibus machinis rigidiores omnino apprehendant? aut si fortè apprehendant, quì, quæso, tam pertinaci tenacitate complectantur? Præterea si mare istiusmodi particulis conflatum sit, quarum pars altera fluida est, altera rigida, è tali misturâ non fieret aqua, sed lutum, potissimùm, cùm rigidas crassiores esse velit, & propterea majorem totius molem constituere. Denique quamobrem particulæ, quæ non flecti magis quàm quæ flecti possunt, à putredine tueantur; ea enim est salis in mari utilitas, ut à fœtore integrum conservet, at quî solummodo, quod rigidum sit, eâ facultate præstet, idipsum est, quod utinam mechanicè explicaret. Præsertim, cùm ne aqua putrescat, moveri quoque necesse sit, quâ causâ continuis Æstibus agitari diximus. Atqui sal, cùm rigidum sit, tantum abesset, quicquam motui conferat, ut, quantum in se sit, omnino stagnare efficiat; quo casu tota aquarum moles, perinde ac

in stagnis, & paludibus experimur, insalubri vitio tabesceret; idque potissimùm, cùm major sit salis, quàm aquæ copia, quatenus particulæ salinæ sint aqueis crassiores, atque adeo, nisi quid aliud aut fortuitò, aut consultò impediat, majorem salis, quàm aquæ, molem efficerent, quod totius motum penitus inhiberet, ut majori Terræ quantitate, minori aquæ commistâ fieri videmus.

Deinde quo pacto fontes, & flumina è mari oriuntur? *Cùm infra campos, & montes magnæ sint cavitates, aquis plenæ, non dubium est, quin multi quotidiè vapores, hoc est, aquæ particulæ vi caloris ab invicem disjunctæ, ac celeriter motæ, usque ad exteriorem camporum superficiem, atque ad summa montium juga perveniant. Postquam autem isti vapores sic ascenderunt, frigore succedente, torpescunt, &, amissâ vaporis formâ, rursus in aquam vertuntur; quæ aqua descendere non potest per eosdem illos meatus, per quos vapor ascendit, quia sunt nimis angusti, sed aliquantò latiores vias invenit, in intervallis crustarum, sive corticum, quibus tota terra exterior conflata est, quæ viæ ipsam obliquè, secundùm vallium, & camporum declivitatem, deducunt.* Quâ autem vi altiùs usque ad montium juga assurgunt? An quòd descendere nequeant? Quiescant igitur, & loco quocunque, ubi vis caloris deficiat, suæ gravitatis vi depressæ maneant. An quòd latiores vias invenerint? At si invenerint, quid opus est, ut per easdem ascendant? Aut si opus sit, quâ vi mechanicâ, eas contra Naturæ Indolem subire nitantur? Si quidem latiores invenerant aut rectas, aut declives, quî in eas ferantur intelligimus; at cùm latiores sursum invenerit, ut per eas, sive rectè, sive obliquè ascendant, solummodò quòd invenerint, solius est Mechanici dicere. Ubicunque enim vis caloris deficiat, contra omnium *legum Mechanicarum* imperium fit, si vel digitum altiùs assurgant, cùm nulla omnino causa sit, quæ attollat, & propriæ Gravitatis Natura causa sit, quæ deprimat.

Pars 4. Art. 64.

Cur verò fontes dulcescant? *quòd solæ aquæ dulcis particulæ, quæ tenues, & flexiles sunt, ascendant; particulæ autem Salis, cùm sint rigidæ ac duræ, nec facile in vapores mutari, nec ullo modo per obliquos Terræ meatus transire possunt.* At bonâ fide! quisquamne sibi persuadere possit, Terræ

Pars 4. Art. 66.

meatus particulis aquæ tam commodè, nisi Instituto, aptari potuisse? Cùm enim non ascendant particulæ salinæ, solummodò quod per obliquos meatus transire non possint, quàm admirabili Providentiæ arte obliquè terebrari videntur, ut aqueis transitum præbeant, salinis negent? Innumerabiles sunt ubique Terræ meatus, quantâ itaque Artis subtilitate concinnantur, ut, cùm particulæ aqueæ, & salinæ mole suâ tam parum discrepent (sunt enim utræque præ exilitate nulli sensuum perceptioni obnoxiæ) unæ tam promptè vias, sibi satis patentes inveniant, alteræ verò, præ viarum angustiâ, semper hæreant. Nescio an quicquam mirabilius excogitari possit, quàm in rebus tam exiguis tanta discrepantia.

Quâ denique vi Mechanicâ nubes in Aëra tolluntur, cùm sint particulæ aqueæ è quibus fiunt aëreis graviores? Præsertim juxta *Cartesianam hypothesin*, quâ globuli circa Terram maximâ celeritate in gyrum volvuntur, qui Corpora omnia, si ascendere conentur, violentiâ motûs in terram rursus deturbarent. At cùm ascenderint, quî cohærere possent, cùm aër ubique globulorum motibus exagitetur, & aqua cum adeo flexilis, & lubrica sit, & proinde quamplurimis poris scateat, copiam aut globulorum, aut materiæ subtilis semper admistam habeat, quorum irrequietâ agitatione discerpi necesse esset. Præsertim cùm nullum aliud *unionis* principium agnoscat *Cartesius*, præter ipsam rerum quietem, quî igitur quoquo modo cohærere possent, quæ cùm suâ naturâ lubricæ sunt, tum magnis tumultibus ubique agitantur? Atquî postremo si coiverint, quî in alto suspendi possent, cùm quo sublimior sit aër, eo quoque tenuior est, & propterea minus apta ad aquarum moles sustentandas, validior autem corpora gravia ad terram depellere, cùm eo loci vehementior sit globulorum rotatio, quâ solâ gravia omnia in terram præcipitari ipse statuit.

Sect. XXXI. Paucis hisce, quæ è *Cartesio* attulimus, quàm impar sit *phænomenis* rerum solvendis *mechanica Philosophia*, satis liquere arbitror. Innumera quidem alia sunt quæ ex instituto missa feci, quoniam cuique Lectori, hæc monito, ipsa per se facillimè occurrent omnia. Primùm

quòd

quòd *leges Naturæ*, quas ipse finxit, nullam vim habere possent, nisi quam ab ejusdem *Opifice* accepissent. Tum deinde, quod cùm eas pro libidine sumpserit, iis solis nihil perficiat, sed contrà omnia, aut portentoso quodam casu, aut anili vacui horrore absolvat. Proximè, quòd in cujusque *Phænomeni* mechanismo, eos ubique fingat casus, qui tum ipsi rerum Naturæ, tum aliis, quos ipse alibi coactus fingit, adversentur. Postremò verò quòd, ut dixi, rerum solertiam nequaquam attigerit, ut etiamsi physicæ earum rationes, quas ipse attulit, cùm *Naturæ Phænomenis* consentirent (quanquam pleræque, ne dicam omnes, planè dissenserint) tamen, si crassissima ea quæque *Phænomena*, quæ pro subtilitate suâ attigit, cum iis quæ in Mundi nostri solertiâ jam ante capite superiori descripsimus, conferantur, non alia videbuntur, quàm si puerorum ædificatiunculas cùm accuratissimè fabrefactis *Jovis Capitolini* ædibus contulerimus. Et quid mirum? Cùm non è militiâ, sed è ludo, & pueritiæ disciplinâ, ipse ad Philosophiam profectus fuisse videatur. Quòd scilicet experimenta omnia, quibus ad *Hypothesin* suam aut stabiliendam, aut ornandam usus est, à solis puerorum ludis, & exercitationibus attulerit. Sic primùm notitiam de elementorum ortu, aut à globulis, marmore, seu argillâ factis, aut cerasorum acinis, quibus utrisque admodum & exercentur, & delectantur pueri, accepisse visus est. Istorum enim tribus non plures coire posse vidit, neque etiam tam arctè coire, quin in medio intervallum triangulare relinquant. Atque hinc duo prima Elementa facta sunt, tertii autem certa ratio nulla esse potest, cùm forte fieri, ut globulos globulis accumulari contigerit, quod quoque, cùm acinos in cavernulam quovis acino non majorem jactare solitus est, didicisse videatur. Plerumque enim isto casu, priusquam quis vicerit, acinos in ejusmodi cumulos acervari contingit, qui maculis istis simillimi sunt, quarum congerie in sideris superficie collectâ, ipse ipsum sidus labefactari, atque in Cometam aut Planetam mutari voluit. Ab his autem initiis paulò fortè ætate provectior, cùm se fundarum jactu delectaret, ad mechanicas motûs leges profectus est. Neque enim aliis ferè, experimentis, ad rationes cum motûs, tum lucis

V. Part. 3. Art. 117, 118.

lucis explicandas, uti cogitavit, quam quæ in fundis aut cannis, ſive (ut appellat ille) canalibus (quod alterum inſtrumentorum genus eſt inter pueros notiſſimum) obſervantur. Tandem verò à Pueritiâ verſus primam adoleſcentiam aſſurgens, ſe fluvialibus exercitiis, atque præſertim natando delectare cœpit, cùm verò juvenis acerrimi ingenii fuerit, mox in fluminum ſinibus, lociſque omnibus flexuoſis, parvulos quoſdam aquarum Vortices quotidie vidit, atque in iis mirâ varietate feſtucas, aliaſque omnes leviores minutias hinc inde pervagari obſervavit. Unde animum ſtatim ſubire potuit ſidera, cùm eorum motus tam mirabili, atque implexâ varietate conficiantur, ſimili ratione in ſuis quæque Vorticibus circumferri. Atque ſic cœleſtium intervalla, motus, aliaſque omnes rationes fœliciter inveniſſe ſibi aſſentatus eſt, atque ſe aſſentatiunculâ ſuâ tandiu immerſit, donec his omnibus rerum tantarum obſervationibus ſatis ſe inſtructum putaret, qui in ſe omnem rerum naturam ſimili quâdam ratione explicare ſuſciperet. Atque hinc tandem egregia iſta Philoſophia nata eſt, quam tot tamque puerilibus ineptiis refertiſſimam eſſe demonſtravimus. Neque profectò poſtquam ad virilem ætatem perveniſſet, aut quæ experimenta feciſſe aut quas hypotheſes extruxiſſe videtur, niſi quæ de magneticis, & dioptricis commentatus eſt; atque eorum utroque viriliter admodum ſe expediiſſe fateor. De magnete optimis experimentis inſtructus, omnia illius *Phænomena* acumine ſe digno diſſeruit. Atqui verò ſi eâ ſolertiâ fiat vis magnetica, quâ ipſe eam factam eſſe deſcripſit, nihil eſt in omni aut arte, aut naturâ, quod pari factum eſſe videmus, ut quidem, ſi quod ſit opus, quod Opificis artem indicare poteſt, nihil eſt, quod magis id poſſit, quàm Magnetis Artificium. De iſto autem ſatis ſuperius dictum puto, tum ſummâ ſolertiâ conſtitutum fuiſſe, tum Carteſii mechanicâ, niſi quæ eadem artificioſa ſit, confici non potuiſſe. In *Dioptricâ* verò, ut alios omnes, ita & ſe ipſe ſuperavit, ut enim de ſuâ Luminis explicatione nihil dicam, quanquam ſit omnium, quas hactenus vidimus, longè & elegantiſſima, & veroſimillima, in Oculorum fabricâ, atque ipſius viſionis ratione tam multiplicem, & reconditam artium omnium mathe-

mathematicarum peritiam investigavit, ut planè non, nisi ab Artifice quodam, qui idem in omnibus Mathematicorum artibus sit eruditissimus, fieri potuisse demonstraverit. Si itaque ipse *Cartesius* alios omnes Geometriæ gloriâ vicisse putetur, quòd tot, tamque præclaras in hac unâ re rationes geometricas deprehenderit, quanto magis acumine eum antecelluisse putandum est, qui nullius exemplo doctus, eas primus invénit, atque ad earum normam rem fieri accuratissimè procuravit. Ut quidem vix illustrius Naturæ Opificis argumentum, quam sit Cartesii Dioptrice, esse putem. Quod quidem facillimè quisque, qui sit mathematicè eruditus, demonstrare posset, atque utinam aliquis demonstraret.

---

---

# DISPUTATIO QUARTA.

## *Mundum neque prorſus infectum, neque neceſſitate factum, ſed ſolo Opificis conſilio extructum fuiſſe demonſtratur.*

SECT. I. CUm verò *Fortunam*, quam Deam faciunt *Epicurei*, cuique omnium imperium & regimen ſummiſerunt, à ſummâ rerum dejecerimus, ſupereſt jam durior fatalis neceſſitatis dominatio; cujus jugum acerbiſſimum niſi excutiamus, omnibus nihilominus ſempiterna ſervitus ſervienda eſt. Cùm nemini quicquam agere licebit, niſi quod æterna vi & neceſſitate coactus agat, quo non modo tollitur omnis hominum libertas, atque eâ ſublatâ, fides, pietas, & juſtitia: Quæ enim in machinâ virtutis ratio eſſe poteſt? Sed etiam Optimæ Numinis Providentiæ poteſtas & imperium abrogatur. Quo quid poteſt humano generi tetrius aut acerbius accidere? Quæ tanta calamitas, tanta vitæ deſperatio evenire, cum hâc unâ re jacta ſint omnia noſtræ fælicitatis fundamenta, quod optimæ & ſanctiſſimæ Providentiæ nos charos & dilectos eſſe putemus. Quâ animi fiduciâ dejecti in ſummam rerum omnium deſperationem præcipitamur. Cum inania eſſe hæc omnia experti ſentiamus, neque impoſterum meliora expectemus. Ut itaque tum nos ipſos à tam vili quadrupedum conditione in hominum jura & libertates vindicemus; tum in optimi Numinis dominatum rerum ſummam, noſtríque præſertim curam voveamus, omnibus viribus enitendum eſt, ut tam fœda, tam immanis, tam intolerabilis Tyrannis deleatur. Idque eo magis quod ſint, iíque non prorſus rudes, qui, cùm de *Fortunâ* devictâ triumphaverint, de victoriâ in *Fatum* deſperandum eſſe

censeant. Atque equidem non diffiteor plerosque, qui prælium inierunt, tam inconsideratè congressos fuisse, ut, si ipsi non planè victi sint, eo tamen exitu quem vellent turpiter cecidisse videantur. Multa enim multis an potuerit Mundus ab omni Æternitate extitisse disputantur. Et qui potuisse aiunt, omnem de Numinis existentiâ certitudinem sublatam esse arbitrantur. Quid enim inquiunt Causâ opus est, si semper fuerit? & quis, si nulla sit rerum Causa, Deus esse potest? Quâ in sententiâ sunt *Scholæ Peripateticæ* quidam recentiores, qui nihil aliud, ut tollatur Deus, quàm Mundi Æternitatem postulandam esse putant. Et qui contra disputare solent, nisi sempiternum esse non potuisse demonstrent, ipsi nihil proficere se quoque putant. Atque adeo incauti admodum in locum nimis lubricum & ambiguum omne disputationis momentum detulerunt: Ut si Mundus quoquo modo semper esse potuerit, vincant Athei; & nisi non potuisse demonstraverint, causam non obtineant ipsi. Quis enim certum & comprehensum habere possit, quin ab æterno Mundus fieri potuisset, cum posse esse nunquam cæperit, at si nunquam esse posse cæpit, semper esse potuisset, & si semper ab omni Æternitate? Neque enim quis dubitare potest Mundum, priusquam factus fuerit, fieri potuisse: Si itaque quodvis durationis momentum, quod illius Ortum antecessit, sumpserit, eo esse posse cœpisse non dicet; aut si dixerit, momento, quod proximè decessit, fieri non potuisse quoque dicendum est. Quis verò in disputando tam contumax & importunus esse possit, ut Mundum, qui priori momento impossibilis fuit, posteriori, quod proximè secutum est, possibile esse cœpisse dicat? Denique si Deus posse efficere nunquam cœpit, certè ipse Mundus nunquam cœpit effici potuisse. Sophisticæ itaque & fallaces sunt conclusiunculæ, quas in rerum æternitatem contorquent *Scholastici*, cùm nihil magis perspicuum esse possit quam Mundum posse esse nunquam cæpisse, è quo planè sequitur semper esse potuisse, & si potuerit, solius est otio, literis, & seipso abutentis ratiunculis quibuscunque aculetis & Metaphysicis contra pugnare.

SECT. II. Nobis verò cum totam disputationem adversus Atheos omnes in unicum locum de *rerum finibus* deduxerimus, perinde est rerum Universitatem sempiternam an aliquando inchoatam esse asseruerint. Cum uno isto ab omnibus rerum commoditatibus argumento, nullis omnino *Causis physicis* sed solo Opificis consilio aut esse aut effici potuisse demonstrationem confecerimus. Quo confecto universali ratione contra omnes conclusum est, tam eos qui Fortunâ quàm qui Fato extitisse arbitrantur. Neque enim cum utrisque quicquam disputatur, nisi an continuata ista rerum omnium cognatio atque admirabilis earundem utilitas *solâ materiâ* extitisse potuerint; an porro desideretur causa mentis & consilii compos, quæ tot tantasque rerum tam variarum cognationes & utilitates comparaverit. Atque igitur de utroque satis jam ante conclusimus, primùm Mundum sine Opifice esse non potuisse, quòd *causis physicis* eâ ordinis ratione, quâ fabricatur, fabricari non potuerat. Deinde cùm in omni ejusdem ordine summa sit commoditatis ratio, ab Opifice quodam qui in eo condendo ad eandem respexit extructum fuisse. Postremò cùm nulla sit ordinis ratio nisi unica ista commoditatis ratio, hinc planè confecta est demonstratio Mundum non modo ab Opifice extructum esse, sed à solo Opifice extrui potuisse.

Primùm itaque cum Mundi partes alias aliis quasi contignatione quâdam secum cohærere & conspirare viderimus, quâ brutæ materiæ vi tam admirabilis tantarum molium symmetria extruatur interrogamus? Quî Terra locum & situm quem tenet nacta sit? Quâ vi tenui aëre suspensa teneatur? Quâ sympathiâ partes omnes undique toti cohærere consentiant? Quamobrem à contrariis regionibus in eundem locum semper nitantur? Cur certo à Solis ambitu intervallo collocetur? Quid sive Terræ sive Soli motum omnino dederit? Quid circa Axem suum, diurnum? Quid circa magni Orbis ambitum annuum? Quamobrem per Æquatorem? Quamobrem intra Zodiacum? Quamobrem cursu spirali? Quamobrem tantâ æquabilitate? Quid Cœlum à Terrâ secreverit? Quid Terram ab Aquâ? Quid Aquam

tantâ constantiâ æstuare? Quid Sale condiri fecerit? Quid denique vi perpetuâ in montium cacumina atque Ætheris sublimitatem sustulerit? Quorum omnium an quæ sit commoditas hîc nondum inquiro; solùm scire aveo, quî quoquo modo solius materiæ facultatibus evenire aut existere potuissent. Atque igitur cùm de omnibus superiùs comprobaverim, non solis materiæ viribus effici potuisse, & de plerisque contra naturales ipsius facultates facta fuisse, ista solùm ratione contra omnes Causam quandam effectricem esse à materiâ diversam demonstratur.

Cùm verò in omnibus una commoditatis ratio habeatur. Cùm Terra tam opportunum à Sole tum longitudinis tum latitudinis intervallum habuerit, ut in omni immensitate opportunius nullum habere posset. Cùm omnes ipsius partes tam admirabili Architecturæ ratione secum conspirent, ut omnem Architectorum solertiam artis subtilitate longè superaverit. Cùm in maximam rerum utilitatem omnis motus solaris ratio instituatur: quòd incredibili isto raptûs diurni circuitu conficiantur noctium dierumque opportunitates; quòd annuo isto per Æquatorem, intra Zodiacum lineâ spirali utilissimæ fiant, (& sine quibus omnis terrarum Orbis interiret,) æstatis hyemisque vicissitudines: quòd incredibili celeritate aëris interventu caloris lucisque radii ab eodem ad usque Terram deferantur. Cùm multiplici utilitate Terræ globus contra leges mechanicas extruatur; quòd unum globum constituerint Terra & Aqua; quòd diversas ejusdem partes occupaverint; quòd omnis aquarum moles, levior cùm sit, Terram non undique operuerit; quòd in Oceani lacunis contineatur; quòd Oceanus altis litoribus terminetur; quòd æstu & sale à putredine conservetur; quòd denique ex eodem aquæ dulces in omnium rerum salutem contra vim Naturæ in altum tollantur. Tot tantarumque utilitatum causam cùm quærimus, quicquamne interest, modo absit sapientia? Eam enim quocunque nomine sive Fortunæ sive Fati appellaverint, cùm nil aliud nisi materia esse possit, id unum est quod ab initio quæsivimus, cùm in omni Mundo res tam diversas in ordinem conspirare, tam constantes vices obire, tantâ demum utilitate sibi invicem inservire videamus, quî ista om-

nia à Causâ brutâ nihilque intelligente proficisci credemus? Atque igitur ut priori conclusione Universum non solâ materiâ extitisse obtinui, ita hâc Causam istam alteram, quæ à Materiâ diversa est, sapientissimam esse comprobavi. Quâ disputandi ratione neque casu neque necessitate neque aliâ cæcâ & brutâ quâcunque viâ extitisse efficitur, quòd non nisi consilio fieri aut omnino esse comprobetur. Et propterea sempiternum non esse, quoniam esse non potuit probare nolumus, sed infectum non fuisse quod optimo consilio factum fuisse demonstraverimus. Junctis autem & collectis utriusque Argumenti copiis, tum nihil *Causis physicis* & naturalibus fieri posse, tum omnia summâ Providentiâ facta fuisse, an non satis conclusum est Mundum non modo eâ factum fuisse, sed & eâ solâ fieri potuisse?

SECT. III. Cùm verò tam sacra tamque Religiosa apud plerosque semper fuerit *Aristotelis* Authoritas, ut eâ solâ Mundi Æternitatem, cujus præcipuus ipse celebratur Patronus, satis defensam & propugnatam esse arbitrentur. Postulat causæ, quam suscepimus, defensio, tum ut quid ipse censuit dicamus, ne si planè in impiâ sententiâ fuerit, suæ Authoritatis existimatio nimium ponderis & momenti haberet: tum ut à dogmatis quibus impietatis disciplinam extruxit, quæque incautos atque imperitos induxerunt, ut sanctissimas rectæ rationis leges proderent, imposterum caveri moneamus. Præsertim cùm tantum ubique hujus disciplina valuit, ut ipsum Terrarum Orbem ipse Philosophorum solus unà cum discipulo suo vicisse videatur. Dum enim alii aliarum Sectarum principes *Athenis* aut nonnunquam *Romæ*, aut paucis fortasse *Græciæ* & *Italiæ* vicis regnaverunt: ipse omnibus populis atque nationibus nescio quo fato cum summâ & pene divinâ Authoritate imperavit. Atque potissimum per *Europam* aliquot jam secula ita viguit, ut tanquam nulli alii unquam fuissent, solus ipse *Philosophus* audiret. Neque id tantum sed & quasi omnis Veritatis unus Inventor & Author fuisset, Theologi uno consensu omnes omnia illius Authoritati tribuerunt. Quo demum contigit, ut à majoribus nostris fatalem & cæcam quandam Theologiam ipsis Impietatis decretis fundatam

tam & extructam acceperimus. Hunc ergò cùm non modo impietatem docuit, sed & ipsam pietatem corrupit, imprimis tollendum esse puto. Quanquam illius fraudem aperiri quam redargui utilius videatur, cùm nullâ aliâ ratione nocere possit, nisi quòd non intelligatur. Præsertim cùm idem quod de Veneficis quibusdam vulgò fertur, fecisse visus sit, qui scilicet malis atque ut aiunt atris Artibus utentes, alios, ne ipsi in criminis suspicionem veniant, diligenter accusare solent: Atque adeo quidem *Aristoteles* cùm teterrimam Impietatis rationem in animo habuisse se noverit, in alios eâ causâ, quos insontes esse novit, magno animi ardore exarsisse simulavit. Quibus clamoribus, quibus jurgiis, quibus reprehensionibus *Physicos veteres* ubique persecutus est, solùm quòd prætermissâ *Causâ Effectrice* omnia solâ Materiâ perfecissent? Atque eos eâ diligentiâ ubique de hac culpâ reprehendit, quasi omnibus persuasum esse vellet se hac unâ ratione ut Naturæ Numen præficeret, ad Philosophiam tractandam inductum fuisse. Quâ quidem astutiâ, quanquam omnium fortasse nemo animo tam malevolo bellum omni Numini indixerit, tamen, etiam apud doctiores quosque ab ipsâ criminis suspicione plerunque elapsus est. Quanquam enim sint, qui quod Mundum sempiternum esse docuerit, accusandum esse putant, malè tamen conclusum esse diximus, cùm ipse idem quod *Pythagoras*, quod *Plato*, quod alii complures, qui cum primis Deum esse crediderunt, censere potuisset, Mundum scilicet ab æternis sæculis factum fuisse aut saltem fieri potuisse. Cùm verò non modo sempiternum & nullius unquam consilio factum ubique & acerrimè disputaverit, quid quæso esse potuit, quod tantum industriæ in eâ causâ poneret, nisi ut nullum illius Authorem, nullum Architectum fuisse efficeret. Atque hinc sibi tantoperè in hac, præ aliis omnibus, opinione placuit, ut illius Inventione, maximè glorietur. Quanquam enim ante eum alii Mundi æternitatem asseruissent, eos tamen omnes ipse eâ de causâ acriter reprehendit, quod genitum quoque fuisse dicerent. Ut certè primus sit, qui Mundum ita æternum esse dixit, ut infectum & ingenitum fuisse dicat. Atque adeo etiamsi isti Architectricem Mundi Causam nequaquam sustulerunt, quod

De Cœlo l. 1. c. 10.

quod ab æternis sæculis factum fuisse putaverint, iste tamen planè sustulit, cùm ut omnino quâvis Numinis operâ aut Providentiâ unquam fieret, vir imperiosus ferre noluerit. Novi equidem inter *Pythagoricæ Scholæ* discipulos, magni nominis *Lucanum Ocellum* haberi, quem *Aristotelem* legisse, atque ab eo hanc Opinionem suffuratum fuisse statuunt eruditi. At vereor ne ficto & personato Authore nimium sibi illuserint, cùm non tantam Antiquitatem iste *Ocelli* libellus sapuisse, sed potius ex ipsius *Aristotelis* libris excriptus fuisse videatur. Ne enim quicquam de illius sermone dicam, non antiquâ istâ *Doricâ linguâ*, quâ qui eidem coævi fuere, potissimum *Italiâ* Oriundi, *Architas Tarentius* & *Timæus Locrus* scripserunt, sed politiori *Atticorum* sermone, qualem longo post tempore consecuti fuere. Nempe quod & *Atticâ* & *Doricâ* linguâ legatur libellus, utrâ verò primùm scriptus sit nescire me fateor. An itaque cum *Doricâ*, istum, sicut & multos alios, ut sæculo accommodentur, in *Atticorum* istam, quâ ætas politior utebatur, postmodum verterunt: an cum *Atticâ*, ut eidem vetustatis Authoritatem afferrent, in obsoletam *Dorum* orationem mutare conati sunt, nihil ipse definio sed *Criticis* judicandum permitto. Si verò ipsum Libri argumentum & tractandi rationem spectemus, primùm quid quod physicis quibusdam vocabulis usus sit, quorum *Aristoteles* inventor & architectus perhibetur, cujusmodi vocem *Antiperistasis* esse aiunt, quæ in antiquiorum nullo, ne quidem *Platone* reperitur. An verò mirum non sit, cùm *Ocellus Aristotelem* tam longè ætate antecesserit, eum omnium scriptorum solùm id verbum novisse, neque quidem solùm novit, sed ut notum, usitatum, & vulgare attulit. Atque sanè totum Argumentum peripateticum est, & prorsus peripatetico more tractatum, ut nihil aliud quam Peripateticæ Physiologiæ Epitome videatur. Potissimùm cùm de Elementorum mutatione, & Qualitatum, tum principum, tum ex iis ortarum varietate, ad usque sexdecim familias tractaverit: quanquam enim quatuor elementa plerunque admisere Veteres, de variâ tamen illorum transmutatione, longâque qualitatum, quæ inde nascuntur, prosapiâ *Aristoteles* primus tam accuratè dixisse visus est. Propterea cùm *Ocellus* ipso ac-

curatius, earum familias enumeraverit, an non verò similius videatur, eum ab *Aristotele* quàm ab eo *Aristotelem* mutuatum fuisse? Denique cùm hunc Authorem nihil *Pythagoreum* sapere, (quippe & absque numeris philosophatur) *Peripatismum* verò non modò sapere sed & redolere videamus, cur quæso non è *Pythagoræ* sed *Aristotelis* scholâ prodiisse dubitemus? Et mechercle si quis *Timæum Locrum* aut quemvis alium, qui ad posteros venit, *Pythagoricæ Scholæ* Philosophum consuluerit, nescio an quenquam ab eorum disciplinâ magis alienum, quàm sit ipse *Ocellus*, repererit: Si verò peripateticam philosophiam vel quidem levissimè inspexerit, statim fassurum scio neminem unquam accuratiorem ejusdem Epitomen confecisse. An verò *Aristoteles Ocello*, an *Ocellus Aristoteli* præiverit, pugnare nolo neque equidem curo, mihi satis est *Aristotelem*, sive suæ sententiæ Author fuerit, sive ab aliis sumpserit, eam nullâ aliâ causâ, quàm ut Deum omnemque ejusdem cultum tolleret, sumpsisse. Si enim Mundus nullo unquam consilio factus fuerit, nullum Opificem habuit, & si nullus sit illius Opifex, neque Deus erit. Quid enim aliud Dei nomine intelligere possumus quàm præstantem quandam æternamque Naturam, quæ Mundum primùm condidit semperque regit? Si itaque istiusmodi nihil esse existimaverit *Philosophus*, quos præterea agnovit Deos, solùm ut *Epicurus* jocandi causâ induxit. Cùm enim Argumenta omnia à Mundi pulchritudine rerumque ordine sustulerit, quæ sola Deum esse confiteri cogunt, si quem esse dixerit, dixit, ne *Atheniensibus* secundam occasionem sceleris in Philosophiam perpetrandi daret, quale prius in *Socratem* perpetraverant. Quâ de causâ in vitæ periculum venisse, atque *Athenis* discedere coactus esse fertur, tum quod Religionis sacris illuserit & Meretriculæ suæ iisdem ceremoniis sacrificaverit, quibus Athenienses *Eleusiniæ Cereri* facere solebant: tum quòd impia dogmata docuerit, Deum scilicet humana non curare, preces & sacrificia nihil prodesse, & hujusmodi alia quæ omnem Numinis Providentiam tollunt, quod si quis fecerit, Deum esse dicat an neget nihil referre diximus. Nisi enim sit Mundi nostri summus Rector & Dominus, nullum nobis Numen erit, & si qui procul à rebus nostris

semo-

ſemotus ſit Deus, à nobis cultum aut obſequium (ſine quo omnis cultus nil niſi ficta & ſimulata pietatis ſpecies eſſe poteſt) magis mereri nequit, quàm ſi nuſquam omnino fuiſſet.

SECT. IV. Cùm verò illius Philoſophiæ impietatem ipſi eruditi non admodum intellexerint, quod quanquam in Phyſicis *rerum Naturam* eſſe omninò factam apertiſſimè negaverit, in Metaphyſicis tamen à ſummo Deo productam fuiſſe conſtantiſſimè dicere videatur, quid reverà cenſuerit, ſi inveſtigaverim operæ pretium, me facturum puto. Quanquam profectò ſententiam ſuam tam apertè in utriſque expoſuit, ut non tam mirari quàm pene ſtupere me fatear, doctiſſimos quoſque viros quid velit nondum eſſe conſecutos. Neque quidem in divinis iſtis (ut habentur) *Metaphyſicorum* libris mentem ſuam obſcuriùs aperuit, niſi quod cùm eos non perfecerat, confuſius diſputaverit. Si verò poſt libros phyſicos legerimus, in iis apertè ſatis omnem Numinis divini cultum atque omnia Religionis fundamenta labefactari intelligemus. In *Phyſicis* enim non modo ipſam de *Primo Motore* diſputationem accuratius & uberius expoſuit, ſed inde quoque ſua ſibi in *Metaphyſicis* argumentationis principia depopoſcit. Quid itaque magnus iſte Sapientiæ *Aquila* (ſic enim Athenienſis Noctua habetur) de Naturâ divinâ viderit, ex utriſque collatis optimè diſcemus, imprimis autem è *Phyſicorum* octavo, & *Metaphyſicorum* decimo quarto.

In Phyſicis ergo omnem Naturæ vim & rationem ab hoc uno principio ubique duxit, Motum neceſſariò ſemper fuiſſe ſemperque fore; eumque eſſe Naturæ vitam eamque immortalem; Naturâ omnia fieri, eam autem non Mentem eſſe (tanquam enim cauſas diverſas ſæpius diſtinxit,) ſed ſolâ rerum *materiâ* & *formâ* conſtare, eaſque ad *Naturam* ut ad ſtatuam æs & æris figuram ſe habere, *Naturæ* itaque nomine, quâ omnia confici voluit, ſolam *Mechanicam* rerum ipſarum *neceſſitatem* intellexit. Ut autem motum ſempiternum fuiſſe neceſſe eſt, ita quoque nihil ſe movere poſſe, ſed quicquid movetur ab alio moveri: ſicut enim quæ vi moventur, motu extrinſecus impreſſo moventur, ita

L. 8. c. 1.

C. 4.

ita quæ naturâ, ut gravia & levia, non à se, sed à causâ, quæ genuit, atque adeo gignendo motum propagavit, moveri dicendum est. Ipsum igitur *Primum Motorem* neque à se neque ab alio moveri posse: sed & movere & immobilem esse. Eum autem, cùm sit motus æternitas, esse sempiternum, atque cùm una tantum sit illis continuatio, unum. Primum ergò motum esse continuum, eumque, cùm nullus alius continuus esse possit, in orbem. Hinc cœlestium circuitus, atque inde inferiorum omnium ortus & interitus. Quibus perspicuum est solis naturalibus rerum facultatibus, quibus ad suas quæque agendi vias comparantur (cujusmodi sunt in cœlestibus motus, in inferioribus gravitas & levitas) eum omnia confecisse. Cùm verò istas à nullo *Causæ Primæ* consilio acceptas sed sempiternâ causarum serie in rem quamque deductas esse velit, solam *Mechanicam Naturam* ponere statuebat. Hujus autem totius vim & ordinem sic porro in *Metaphysicis* sine quâvis Numinis Providentiâ fabricare pergit. Plura ab omni Æternitate fuisse statuit, primùm Deum, qui ipse sit immobilis, Ἡ μὲν γὰρ ἀρχὴ καὶ τὸ πρῶτον τῶν ὄντων, ἀκίνητον καὶ καθ' αὑτὸ καὶ κατὰ συμβεβηκός, κινοῦν δὲ τὴν πρώτην, καὶ ἀΐδιον καὶ μίαν κίνησιν. ἐπεὶ δὲ τὸ κινούμενον ἀνάγκη ὑπό τινος κινεῖσθαι καὶ τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον εἶναι καθ' αὑτό, καὶ τὴν ἀΐδιον κίνησιν ὑπὸ ἀϊδίου κινεῖσθαι, καὶ τὴν μίαν ὑφ' ἑνός· *Principium ac rerum primum cùm* (ut jam ante dictum erat) *sit tum per se tum per accidens, immobile, movens autem primo, sempiterno & uno motu: Cùm etiam quod movetur, necesse sit ab aliquo moveri, primum movens immobile per se esse, ab æterno quodam motum moveri æternum, & simplicem ab uno.* Post primum hunc immobilem motorem alias quasdam substantias esse voluit, quæ ab ipso motæ inferiorum orbium motibus præessent. Ὁρῶμεν δὲ παρὰ τὴν τοῦ παντὸς τὴν ἁπλῆν φορὰν, ἣν κινεῖν φαμὲν τὴν πρώτην οὐσίαν καὶ ἀκίνητον, ἄλλας φόρας τὰς τῶν πλανήτων ἀϊδίους ἀνάγκη καὶ τούτων ἑκάστην τῶν φορῶν ὑπ' ἀκινήτου τε κινεῖσθαι καθ' αὑτὸ καὶ ἀϊδίου οὐσίας· *Cùm autem videamus præter simplicem totius lationem, quam primam substantiam & immobilem movere dicimus, cæteras quoque lationes quæ errantium sunt æternas, necesse est igitur harum quoque lationum unamquamque substantiâ æternâ & per se immobili moveri.* Cùm autem prima ista substantia orbes cœlestes non immediatè

C. 5.
C. 6.
C. 7.
C. 11, 12, 13, 14.
Cap. 8.
Ibid.

moveat,

moveat, ergo præter eam alias quoque à materiâ separatas, easque tot quot sunt orbes esse definivit. Postremò Materiam attulit, cujus pars altera mutabilis, altera mutationis expers, hæc quæ supra, ista quæ infra Lunam collocatur. Cùm verò Primum Motorem immobilem esse statuerit, quemadmodum cætera omnia movere possit ipse immotus, sic explicandum putat. Κινεῖ δὲ ὧδε τὸ ὀρεκτὸν καὶ τὸ νοητὸν κινεῖ, οὐ κινούμενον, &c. eo modo movere, quo aptibile aut intelligibile, quæ appetitum & intellectum ita movent, ut ipsa interim non moveantur. Sic Deum, cùm summum Intelligibile, simul & optimum & pulcherrimum se esse noverit, sempiternâ suiipsius contemplatione totum occupari, adeo ut demum nihil aliud ipse fuerit, quàm sua ipsius contemplatio. Ἔτι δὲ εἴτε νοῦς ἡ οὐσία αὐτοῦ, εἴτε νόησίς ἐστι, τί νοεῖ; ἢ γὰρ αὐτὸς αὑτὸν ἢ ἕτερόν τι· καὶ εἰ ἕτερόν τι, ἢ τὸ αὐτὸ ἀεὶ, ἢ ἄλλο· πότερον οὖν διαφέρει τι, ἢ οὐδὲν, νοεῖν τὸ καλὸν ἢ τὸ τυχόν; ἢ καὶ ἄτοπον τὸ διανοεῖσθαι περὶ ἐνίων; δῆλον τοίνυν, ὅτι τὸ θειότατον καὶ τιμιώτατον νοεῖ, καὶ οὐ μεταβάλλει· *Sive Mens sive Intellectio sit ejus Natura, quid intelligit? aut enim ipsa seipsam aut aliquid aliud; quod si aliud, aut idem semper aut diversum; utrum autem differt aliquid aut nihil, intelligere bonum vel quodcunque contingit? Vel absurdum non est de quibusdam vel quidem cogitare? Manifestum itaque est illud quod intelligit divinissimum honorabilissimumque esse, neque mutari.* Nempe qui sit ipse sua ipsius æterna intellectio, nihilque omnino extra se intelligere possit, ne alioqui mutaretur. Hujus autem, quem maximè suspiciebant, admiratione sive alio quocunque affectu reliquas Intelligentias arsisse, adeoque nescio quo amoris ardore inflammatas suum quamque Orbem movisse, è quorum variis cursibus cùm omnis materiæ moles variis motibus cieri contigerit, in hanc formarum varietatem pro variâ cujusque qualitate se fabricavisse. Ita ut si quid utile, quid pulchrum, quid admirabile in rerum Naturâ intueamur, id omne non divinæ artis non Providentiæ opus esse, sed solius necessitatis ex ipsis rerum qualitatibus ortæ eventum dicere & habere debeamus. An verò quid omnino fiat, Deus ipse nec curet, nec quidem cogitare possit, cùm è dignitate suâ nequaquam fuerit, quicquam nosse, quod ipsum non sit *optimum & divinissimum.* Neque

Met. l. 14. c. 2.
Phys. l. 8. c. 9.

Cap. 7.

Cap. 9.

que magis ipsas *Intelligentias* quàm *Primum Motorem* è consilio operari putat, cùm solâ ipsius contemplatione suos *Orbes*, velint nolint, contorquere cieantur; quid autem inde sequatur, neque norunt, neque nosse possent, cùm Dei unius contemplatione vel saltem suo cujusque opere omnes penitus occupentur. Atque adeo cœlestium cursus sine quâvis Numinis Providentiâ constituti fuere, quorum duntaxat vi & opere inferior omnis Natura nascitur & gubernatur. Quòd verò eodem statu quædam semper permaneant, primum Cœlum, quòd eodem modo semper moveatur, in causâ esse statuit; quòd verò quorundam sit vicissitudo ut nunc nascantur, nunc intereant, inferiores Orbes, *Solem* verò potissimum, qui rebus omnibus accessu vitam, recessu interitum affert. Quòd autem tantâ simul cùm constantiâ tum varietate fiant, utraque; quod sit *Primum Cœlum* Constantiæ causa, mutationis verò reliqui *Orbes*, quo fit ut in omnia sæcula sint iidem tanquam in circulo futuri rerum Ortus & Interitus. Cùm verò supera & cœlestia Materiam omnem inferiorem ad varias formas pro loci varietate subeundas disposuerint, ita ut quæ ab iis propius abesset, nobiliorem; quæ longiùs ignobiliorem sortita fuerit, hinc orta quatuor *Elementa*. Ignem autem cùm ad Cœlestium Naturam proximè accedat, locum iis proximum obtinuisse, hinc Aërem, deinde Aquam, Terram autem, cùm omnium sit crassissima, atque à Cœlestium Naturâ quàm maximè absit, in locum omnium infimum suo pondere delatam esse. Adeo ut inferiora hæc omnia eum in Universo situm & ordinem obtineant, in quem se sua cujusque levitas aut gravitas tulerit. Cùm denique horum unumquodque suas sibi qualitates proprias à Naturâ habuerit, cumque Cœlorum Motu magnâ varietate inter se commisceantur, è tantâ formarum & qualitatum misturâ postremò orta esse tam varia rerum genera, tamque in omni genere dissimilia. Atque hæc accuratissima, quantum ipse assequi possum, *Aristotelicæ sententiæ* descriptio videtur, quâ *Stratoni Lampsaceno*, quem *Cicero* atque ab ipso eruditi omnes hujus sententiæ Authorem habuerunt, præivisse non dubito. Hic enim Mundum neque *operâ Deorum*, neque *Atomorum motu*, sed *naturalibus* quibusdam *ponderibus* factum docuit, adeo

L. 2. de Ortu & Interitu. Cap. 10, 11.

adeo ut singulæ ejusdem partes eum locum & ordinem obtinuerint, quem sibi tulit suus cujusque aut gravitatis aut levitatis gradus. Quibus quid velit à solo Magistro *Aristotele*, cui tertius successit, qui suam Mentem plenius & uberius exposuit, discendum est. Qui nempe Mundum nullo divino consilio fabrefactum fuisse voluit, sed quæcunque sunt sine quâvis Dei operâ, ab illius *Naturâ* eo ordine quo sunt emanasse. Quo intellecto quemadmodum *Strato Immunitatem* Deo dederit, & omnia solis *naturalibus ponderibus* effecerit, facilè intelligemus. Quòd cùm ad *Aristotelis* mentem omnia sponte à Deo emanaverint, eum in Universo ordinem & situm ceperunt, in quem suâ levitate & gravitate, aut aliâ quâcunque qualitate feruntur. Atque in hoc uno omnes suas vires exercuit *Aristoteles* ut omnem Mundi compagem solis rerum naturalium facultatibus fabricaret. Quanquam enim recentiores nostri Mechanici *Philosophum*, quòd omnia occultis quibusdam qualitatibus effecerit, planè irridendum esse putarunt, ipsum tamen eâdem plerunque mechanismi ratione, quâ ipsi, si quidem legere potuissent, rerum naturam confecisse viderent. Unum enim Motum omnia in Naturâ posse voluit, & quanquam plura motuum genera esse statuit, non tamen *physicè* sed *dialecticè* divisit, ut ad suam quisque motus *Categoriam* reducatur. Quod cùm fecerit, omnes solo motu locali confici docebat, adeo ut nihil unquam aut gigni aut interire aut quoquo modo aliâ quâvis nisi motûs ratione immutari possit. Quod etiam perspicuè comprobatum putat, quoniam *Substantiarum* ortus & interitus, & quælibet alia secundum *quantitatem* aut *qualitatem* mutatio *concretione* & *secretione* fiunt. Quæ cùm motu locali perficiuntur, eo solo omnia Naturæ opera perfici conclusit, atque igitur eundem ipsius Naturæ nunc *Vitam* nunc *Animam* esse definivit. Imò & ipsas *qualitates*, quas tanto fastidio aspernantur *Mechanici*, solo materiæ motu, cùm ultrò citroque versatur, nasci & interire putat; ut ipsæ quicquid mutationis efficiant, secundùm leges cujusque Naturæ mechanicas operentur. Atque adeo alias *principes*, alias ex iis *ortas* statuit: Principes, quæ cuique simplici Elemento suâ Naturâ insunt, ut Igni vis caloris, Aquæ frigoris: Ex iis ortæ sunt, quæ è vario

Ausc. Nat. L. 8. C. 10.

vario Elementorum motu variæ & multiformes oriuntur, atque ex his effici omnem rerum naturam, omnesque Animantium formas. Primùm autem ipsum Mundum omnesque illius partes, Cœlum, Solem, Lunam, Sydera, Terram, Mare extruxit, & quî quæque pars eo modo quo sit, necessariò fiat, ipse suis Naturæ legibus demonstravit. Quemadmodum autem præstiterit, eum quoque per omnem naturæ continuationem sequendo intelligemus. Interim eum majori stultitiâ atque mechanicâ licentiâ, si fieri possit, quam ipse *Epicurus*, Mundi fabricationem extruxisse, mox demonstratum iri pollicemur.

Sect. V. Unum esse novi, quo Viri docti, quanquam eos ipse non fefellit, se avidè fefellerunt, quod scilicet omnem rerum naturam *causis finalibus* refersit, atque quod eas prætermiserint, Veteres omnes *Physicos* accusavit, denique Physicæ studiosum monuit, hinc incipiat, neque prius quicquam se nosse putet, quàm Causam, *propter quam est*, assecutus fuerit; Quod, inquit, si quid proficere velimus, in omni Quæstione de Ortu, de Interitu, de quâvis Naturæ mutatione faciendum est. Neque modo docuit, sed magnificentius quàm pro more suo demonstravit. Primùm à perpetuâ Naturæ constantiâ, quæ enim casu aut fortuitò fiunt, ea magnâ varietate semper eveniunt; cùm enim temerè agant Causæ istæ, nullum finem certò assequuntur, sed effectus dissimillimos semper efficiunt: Si igitur Causæ naturales summâ constantiâ eosdem effectus excudant, nihil aliud in causâ esse potest, quàm quòd ad eundem scopum collineaverint, atque adeo alicujus *finis gratiâ* fiant & operentur. Deinde ab aptâ mediorum, ad suos cujusque fines dispositione; cùm enim ut Naturâ inquit aptum est fieri quicquid fit, sui finis gratiâ à Naturâ fit, quemadmodum si Domus in eorum numero fuisset, quæ Naturâ fiunt, sic utique à Naturâ fieret, ut nunc fit ab Arte: Et si ea quæ fiunt Naturâ, non solum Naturâ sed etiam Arte facta fuissent, eodem sane modo fierent, quo Naturâ nunc fieri apta sunt, alterum igitur alterius gratiâ; omnino enim Ars Naturam aut perficit aut imitatur: si igitur artificiosa *alicujus gratiâ* fiunt, patet etiam Natura-

Nat. Ausc. L. 2. C. 3.

lia sic fieri & facta fuisse, cùm priora & posteriora similiter in utrisque ad invicem connectantur. Quòd maximè perspicuum in iis rebus esse inquit, quæ nec arte nec consultatione adhibitâ operantur: Sic Naturâ & *alicujus gratiâ* hirundines nidos, araneæ telas efficiunt; sic plantæ folia fructuum gratiâ sursum emittunt, & alimenti gratiâ radices deorsum, ut quidem perspicuum esse concluserit in quibuscunque, quæ Naturâ fiunt, ejusmodi esse Causam. Postremò quòd peccet Natura, cùm à suo fine fortè aberraverit; sicut enim *peccatum* in rebus artificiosis, ita in naturalibus contingit; cùm enim sunt quædam artificiosa, in quibus quòd rectè fit, *alicujus gratiâ* fit, in iis verò quæ peccantur, *alicujus* quidem *gratiâ* Ars aggreditur, sed aberrat; res quoque simili modo in rebus naturalibus se habet; ac monstra nihil aliud quàm *peccata* sunt ejus, quòd *alicujus gratiâ* agit, quæ tum efficit, aut cùm ad suum finem pervenire non potuit aut ab eo aberravit. Quàm egregia, quàm magnifica, quàm Philosophorum principe digna disputatio! Quisquamne hominem, qui tam præclaros, tam nobiles rerum fines omni Naturæ œconomiâ consecutus est, qui nihil in omni rerum Universitate tam vile tamque exigui momenti reperiri voluit, in quo certissimam finis alicujus rationem cernere non liceret; quisquamne inquam hunc hominem suspicari potuit, hos omnes rerum Naturæ fines quovis consilio constitutos dubitasse? Ita quidem & ipse putassem, nisi cum Philosophis Græcis omnis rei controversia fuisset, eo nimirum hominum genere, qui nihil tam absurdum, tam incredibile, tam ab omni sensu alienum esse existimant, quod ipsi ingenii acumine tueri non confidant, imo quo quid absurdius fuerit, eo magis sibi defendendum arbitrentur; qui denique (ut de Sophistis & Rhetoribus, inquit *Cicero*, à quibus omnem suam disputandi rationem didicerunt) quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset, docere profiterentur. Alioqui enim quis tam excordem quenquam, tam effrænatum, tam arrogantem putaret, qui postquam omnia, quæ in Naturâ cernuntur, ob præclarissimos fines tum fieri tum agere vidisset, ea consilio quodam constituta negare potuisset? Quæ enim major Insania esse posset quam dicentis ut quippiam quod omni intellectu vacat,

De Claris Orator.

quod nullo consilio, neque suo neque alieno gubernatur, quod neque finem neque media novit, ad certum nihilominus finem collineare posset, seque ad mediorum usum, quæ sint ei assequendo maximè idonea componat? Imò quidem *Tragico* isto *Oreste* dementior sit oportet, qui putet innumerabiles causas summâ cùm varietate, tum constantiâ ad certos quosdam effectus procreandos se componere, ad eosque certâ viâ pervenire; quæ tamen ipsæ an talis sit finis, qui quovis modo obtineri possit, nihil omnino intelligant, neque à quâvis aliâ causâ, quæ aut qui sit finis fructus aut quo tendat mediorum usus, dirigantur. Quòd sanè si fieri quis existimaverit, non intelligo cur non idem, si cæci nati essemus omnes, nos putet horribili istâ cæcitate itinera conficere, navigia gubernare, omniaque vitæ negotia non minori fiduciâ obire potuisse, quàm si oculorum lumine, quò sit tutò eundum, & ubi à quovis periculo declinandum, dirigamur. In insolentem tamen & incredibilem istam insaniam incidit Philosophus, ut duo istæc simul defendenda in se susciperet; tum omnem Universi naturam summâ concordiâ ad optimos quosdam fines conspirare, tum conspirationem istam omnium esse nullâ Mente factam, sed in eandem res ipsas cæcâ quâdam Naturæ necessitate consensisse. Atque adeo eo ipso capite quo Naturam propter fines agere demonstravit, omnia illius opera non ad mentem neque aliam quamcunque causam præter unam necessitatem referri oportere præfatur. Λεκτέον δή, πρῶτον μὲν, διὰ τί ἡ φύσις τῶν ἕνεκά του αἰτίων· ἔπειτα περὶ τοῦ ἀναγκαίου, πῶς ἔχει ἐν τοῖς φυσικοῖς· εἰς γὰρ ταύτην τὴν αἰτίαν ἀνάγουσι πάντες, ὅτι ἐπειδὴ τὸ θερμὸν τοῖον δὲ πέφυκε· καὶ γὰρ κἂν ἄλλην αἰτίαν εἴπωσιν, ὅσον ἁψάμενοι χαίρειν ἐῶσιν, ὁ μὲν τὴν φιλίαν καὶ τὸ νεῖκος, ὁ δὲ τὸν νοῦν· *Dicendum porro est primùm cur Natura in causarum numero sit, quæ alicujus gratiâ agunt: deinde quomodo se habeat necessitas in rebus naturalibus: Ad enim causam omnes referunt: veluti, quia naturâ est comparatum, ut, quod est calidum, sit tale; & quod est frigidum, & unumquodque eorum quæ talia sunt, idcirco hæc necessariò sunt & fiunt, & naturâ comparatum est ut sint: nam licet aliam causam dicant, tamen, cùm vix attigerint, eam valere sinunt, alius scilicet Amicitiam & Contentionem, alius Mentem.* Quibus quæso verbis

Nat. Ausc. l. 2. c. 8.

bis apertius rerum omnium fines, propter quos Naturam operari dixerat, non Mentis cujusvis consilio sed solius necessitatis vi constitutos dicere potuisset? Atque adeo capite superiore causam nullam, cur quid in Naturâ cujusvis gratiâ fiat, reddendam statuit, nisi quod ex illo hoc fieri necesse sit. Ὥστε ἐπεὶ ἡ φύσις ἕνεκά του, καὶ ταύτην εἰδέναι δεῖ· Πάντως ἀποδοτέον τὸ διὰ τί, οἷον ὅτι ἐκ τοῦδε ἀνάγκη τόδε· *Quapropter cùm Natura alicujus gratiâ agat, etiam hanc causam nosse oportet. Et omnino reddenda est causa cur sit, veluti ex illo hoc fieri necesse est.* Atque ita alio loco quo omnium secundùm hunc clarissimè de *Naturæ finibus* disputare dicitur, nihil aliud rei cujusque finem quàm certum & constantem ejusdem eventum esse definivit. Πανταχοῦ δὲ λέγομεν τόδε τοῦδε ἕνεκα, ὅπου ἂν φαίνεται τέλος τι, πρὸς ὃ ἡ κίνησις περαίνει μηδενὸς ἐμποδίζοντος· *Rem autem hanc esse illius gratiâ ubique asserere solemus, quoties finem intelligimus aliquem, in quem motus (si nulla res prohibet) terminetur.* Atque adeo causis suis finalibus non fines causâ quâvis intellectrice præscriptos intellexit, sed ipsos rerum *eventus* qui è causarum naturalium serie sponte oriuntur. Cùm autem seriem istam nullo consilio, sed solâ rerum naturæ necessitate exortam fuisse docuerit, non alias causas finales, quàm quas alii omnes, qui Deum è Mundo tollunt, ipse agnovit. Eam scilicet Universi constitutionem quæ ex unâ rerum materialium Naturâ & facultatibus consecuta est. Atque igitur eandem *Naturæ* & *Causæ cujus gratiâ* definitionem ubique tulit. Naturâ autem nihil aliud quàm sempiternam causarum naturalium nullo adhibito consilio seriem semper intellexit, idem ergò per naturæ fines intellexisse necesse est. Atque igitur plerunque *Naturæ* & *Causæ cujus gratiâ* exemplum in Animalis semine exhibuit, quòd nimirum internâ quâdam sui facultate se in corpus eidem, quo decidit, simile fabricare disponatur. Quam tamen non à quovis Providentiæ instituto, sed solâ substantiæ suæ dispositione consecutum esse voluit. Quid multa, cùm omnem Naturam materiâ & formâ constare, easque ad naturam ut ad statuam æs & æris figuram se habere voluisset. Et propterea sæpissimè idem rei cujusque *finem* & *formam*, & quidem *naturam* definivit; eam nimirum Naturæ fabricatio-

Nat. Ausc. l. 2. c. 7.

De Part. Animal. l. 1. c. 1.

V. Ausc. Nat. l. 2. c. 8.

nem, quâ res quæque se habet, suoque modo operatur. Denique cùm *Naturæ* atque *Artis* fines omni loco comparaverit, ad solam utriusque machinationem respexit; ut quemadmodum in artificiosis internum sit quoddam, quod certos motus conficit, principium, ita etiam in naturalibus simile principium inesset, quo tantâ constantiâ in suos quæque effectus terminantur. Tantum autem abest ut idcirco *Mentem Architectricem* operi adjunxerit, ut contra omnia quæ alicujus gratiâ fiunt, in ea quæ *Mente* fiunt, & ea quæ *Naturâ*, diviserit. Τῶν δὲ γινομένων τὰ μὲν ἕνεκά του γίγνεται, τὰ δ' οὔ· τούτων δὲ τὰ μὲν κατὰ προαίρεσιν, τὰ δ' οὐ κατὰ προαίρεσιν, ἄμφω δ' ἐν τοῖς ἕνεκά του· ὥστε δῆλον, ὅτι καὶ ἐν τοῖς παρὰ τὸ ἀναγκαῖον καὶ τὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, ἔστιν ἔνια, περὶ ἃ ἐνδέχεται ὑπάρχειν τὸ ἕνεκά του; ἔστι δὲ ἕνεκά του, ὅσα τε ἀπὸ διανοίας ἂν πραχθείη, καὶ ὅσα ἀπὸ φύσεως· *Eorum autem quæ fiunt, alia fiunt alicujus gratiâ, alia minime: Istorum autem quædam sunt ex præelectione, quædam non ex præelectione. Ambo autem in iis sunt, quæ alicujus gratiâ fiunt. Quapropter perspicuum est, etiam in iis quæ nec necessariò nec plerunque fiunt, esse nonnulla, in quibus esse potest, quod fit alicujus gratiâ, sunt autem alicujus gratiâ, cùm ea quæ* à Mente *fieri possunt, tum etiam quæ* à Naturâ. Atque sic semper *Mentis* & *Naturæ* fines distinxit, ut sit alter consilii, alter necessitatis opus. Et propterea eâ distinguendi ratione *Casûs* & *Fortunæ* notiones definiri voluit, ut altera in iis quæ præter consilium, eveniunt, alter in iis quæ præter Naturam versetur. Atque igitur etiamsi utrumque, tum casum tum fortunam è causarum naturalium numero auferri vellet, non tamen idcirco sustulit, ut *Mentem* sed ut mente vacuam *necessitatem* adhiberet. Quocirca veterum quosdam mirari se profitetur, cùm Universum casu factum statuerint, animalia tamen aut *Naturâ* aut *Mente* facta statuisse. Ubi alteram ab alterâ semper distinxit, & tanquam causas prorsus diversas attulit, ut alia sit eorum sententia, qui *Naturam*; eorum alia qui *Mentem* Universo præesse censerent. Quibus, ne plura congeram testimonia, quid aliud voluit, quàm quod qui omnia casu fieri statuerunt? Cùm enim unde tam mirabilis rerum constantia & utilitas nata sit interrogamus, an non idem respondent, qui Materiæ motu necessario,

Nat. Ausc. l. 2. c. 5.

Nat. Ausc. l. 2. c. 5, 6.

cessario, ac qui sic fortè evenisse dixerint? Cùm ab utrisque omnia ista, quæ in rerum Naturâ cernuntur prudentiæ opera soli materiæ, quæ omnis prudentiæ expers sit, pariter ascribantur?

Sect. VI. Neque modo ipsum Universi ordinem mechanicâ necessitate connexum,* verùm etiam otiosum & inutile suum τὸ Θεῖον devinctum esse voluit. Quid enim aliud voluit, cùm ipsum *Primum Movens* immobile esse docuerit, qui idem nullam omnino esse actionem, nisi aut ipsum motum, aut quæ à motu oriatur, docuit. Adeo ut ipsum immobile suum Numen quamvis vi quâvis sibi insitâ, actionem in se ciere posse negaverit, atque Platonem quòd posse putasset accerrimè reprehenderit. Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ Πλάτωνί γε οἷόν τε λέγειν ἣν οἴεται ἀρχὴν εἶναι ἐνίοτε τὸ αὐτὸ ἑαυτὸ κινοῦν· *At neque Platoni possibile est dicere id quod quandoque putat principium esse quòd seipsum movere possit.* Quorsum autem Deus appelletur, qui idem res bruta sit, omnisque consilii expers, qui cogitationem in se ciere, qui consilium ad quidvis perficiendum secum inire nequeat? Quî quæso apertius omne numinis regimen rebus abrogare, atque mechanicam necessitatem iis gubernandis præficere potuisset? Tametsi enim Deum cætera fortè movisse voluit, eum tamen voluit nihil nisi quod ab omni æternitate necessariò egerit, egisse. Si enim (inquit) quicquam aut meditari, aut velle, aut agere inceperit, motum istum (quem unicam agendi vim & rationem agnovit) ab alio accepisse necesse est. Cùm itaque prima Naturæ lex sit, se nihil movere posse, neque, ne sit primo prius, sit quod primum Motorem movere possit, per omnia secula nihil aut cogitans aut agens nisi quod semper cogitaverit & egerit, in eodem statu hæsisse quoque necesse est. At si ea fuerit Numinis conditio ut nullam in se cogitandi, nullam volendi, nullam agendi facultatem habeat aut habere possit, quid interest an *summum Jovem*, an *Ranarum Deunculum* Cœlorum dorso sedentem imposuerit? Saltem nihil aut majus aut melius in Mundo erit *Aristotelis* Deus, quam in *Automato* quovis id unde motûs principium ducitur. Quanquam enim res iners & bruta sit, seque suâ sponte movere non valeat,

Met. Lib. 14. Cap. 7.

leat, eo tamen artificio in machinæ fabricatione disponitur, ut totum illius apparatum perenni motione movere possit. Atque ita in Mundo omnis motus à Deo, qui ipse se movere nequit, neque quicquam tale cogitavit, primum effluxit, seque per omnem rerum Naturam propagavit. Adeo ut universa Naturæ vis & ratio nullâ Numinis Providentiâ, sed solis Mechanicæ legibus administretur; quòd, ut unicum est quod volunt omnes, qui Deum esse negant, ita præcipuum est quod in omni suâ Philosophiâ docere vellet *Aristoteles.* Atque hinc *Anaxagoram*, quanquam aliquando laudare visus est, aliis omnibus acrius reprehendendum esse putat, quod rerum ordinem summæ suæ Mentis consilio institutum fuisse sentiret. Τάχα δὲ καὶ οἱ μίαν ἀρχὴν ποιοῦντες, ὥσπερ καὶ Ἀναξαγόρας, οὕτως ἂν εἴποιεν· Ἀλλὰ μὴν οὐδέν γε ἄτακτον τῶν φύσει καὶ κατὰ φύσιν· ἡ γὰρ φύσις αἰτία πᾶσι τάξεως· τὸ δ' ἄπειρον πρὸς τὸ ἄπειρον οὐδένα λόγον ἔχει· τάξις δὲ πᾶσα, λόγος· τὸ δ' ἄπειρον χρόνον ἠρεμεῖν, εἶτα κινηθῆναι ποτὲ· τούτου δὲ μηδεμίαν εἶναι διαφορὰν, ὅτι νῦν μᾶλλον ἢ πρότερον· μηδ' αὖ τινα τάξιν ἔχειν, οὐκ ἐκ φύσεως ἔργον· ἢ γὰρ ἁπλῶς ἔχει τὸ φύσει, καὶ οὐχ ὁτὲ μὲν οὕτως, ὁτὲ δὲ ἄλλως· οἷον τὸ πῦρ ἄνω φύσει φέρεται, καὶ οὐχ ὁτὲ μὲν, ὁτὲ δὲ οὔ· ἢ λόγον ἔχει τὸ μὴ ἁπλοῦν· *Fortassis autem & qui unum principium constituunt, ut & Anaxagoras, idem dicerent* (motum scilicet non necessariò æternum esse sed posse interdum esse, interdum non esse) *at verò nihil ordine vacat ex iis, quæ naturâ & secundum naturam fiunt: quandoquidem Natura omnibus est causa ordinis. Infinitum verò ad infinitum nullam rationis proportionem habet: omnis autem ordo est ratio. Cæterum infinito tempore quiescere, deinde motum aliquando esse; & hujus nullam esse differentiam cur nunc potius, quam antea, nec rursus aliquem ordinem habere; certè hoc non est amplius Naturæ opus. Aut enim simpliciter se habet, quod Naturâ constat, non modo sic, modo aliter; ut ignis sursum naturâ fertur, nec aliquando fertur, aliquando minimè, aut rationis proportionem habet, quod non est simplex.* Quæ ratiocinio vis & pondus insit, videant illi, qui Græcos disputatores non prorsus mecum contempserint; satis est quòd ipse demonstrasse se putet Motum Naturæque Ordinem nullo cujusvis Mentis consilio aliquando effici potuisse, idque eâ ratione, quòd si semel quieverit, motum de novo

Phys. lib. 8. cap. 1.

non

non possit exordiri; id quod in sequentibus fusius & sæpius à primo suo effato, *nihil se movere posse*, urgere pergit. Proximo autem capitulo sibi objicienti animalia, ubi quieverint, denuo in se motum ciere, cur non itaque & Deum, falsum esse respondet, non enim ipsa se movere, sed motu aliquo extrinsecus adveniente impelli. Μάλιστα δ' ἂν δόξειε τὸ τρίτον ἔχειν ἀπορίαν, ὡς ἐγγιγνομένης οὐκ ἐνούσης πρότερον κινήσεως, τὸ συμβαῖνον ἐπὶ τῶν ἐμψύχων, ἠρεμοῦν γὰρ πρότερον, μετὰ ταῦτα βαδίζει, κινήσαντος τῶν ἔξωθεν οὐδενός, ὡς δοκεῖ· τοῦτο δ' ἐστὶ ψεῦδος; ὁρῶμεν γὰρ ἀεί τι κινούμενον ἐν τῷ ζῴῳ τῶν συμφύτων, τούτου δὲ τῆς κινήσεως οὐκ αὐτὸ τὸ ζῶον αἴτιον, ἀλλὰ τὸ περιέχον ἴσως· αὐτὸ δὲ φαμὲν ἑαυτὸ κινεῖν οὐ πᾶσαν κίνησιν, ἀλλὰ τὴν κατὰ τόπον· οὐδὲν οὖν κωλύει, μᾶλλον δ' ἴσως ἀναγκαῖον τῷ σώματι ἐγγίνεσθαι πόλλας κινήσεις ὑπὸ τοῦ περιέχοντος· τούτων δ' ἐνίας, τὴν διάνοιαν, ἢ τὴν ὄρεξιν κινεῖν, ἐκείνην δὲ τὸ ὅλον ἤδη ζῶον κινεῖν, ὁποῖον συμβαίνει περὶ τοὺς ὕπνους· *Maximè autem videri potest tertium illud habere dubitationem, quòd evenit in Animalibus, quasi in iis fiat motus, qui antea non fuisset: Quòd enim prius quiescebat, postea ambulat, nulla re externâ movente, ut videtur. Verùm hoc falsum est, videmus enim semper aliquid innatum moveri in animali. Cur autem hoc moveatur, non ipsum animal est causa, sed id quod ambit. Ipsum autem dicimus seipsum movere, non quovis motu, sed eo, qui, est secundum locum. Ergò nihil vetat, quin potius necessarium est in corpore fieri multos motus ab eo quod ambit: horum autem aliquos movere cogitationem, vel appetitionem: eam verò jam movere totum animal, cujusmodi accidit in somnis.* Mechanica sane animalium descriptio, & qualem ab ipso Hobbio expectare possimus, qui omnes omnium actiones, sive sensio, sive intellectio, sive volitio fuerit, necessitatem suam in rebus externis & antecedentibus habuisse aut geometriâ aut jurejurando, (utrum mavis, cùm eadem sit in Academiâ Malmsburiensi utriusque vis & ratio) demonstrabit. Atque his omnibus consentiens est ea quam in libris de Animâ doctrinam tradidit *Philosophus*; Animam nisi à causis externis & impellentibus moveatur, moveri non posse, adeo ut cùm doleat aut lætetur, non sint ipsius Animæ sed hominis actiones, quòd cùm spiritus animales externo objecto moveantur, ii in Animâ (quam à corpore ut à cerâ

Vide etiam Cap. 8.

De Animâ Lib. 2. Cap. 12.

cerâ figuram, atque idcirco ab eodem non magis ſeparabilem, differre ſtatuit) ſimilem affectum gignant, quo demum fit ut ipſa ſuâ vi nihil efficiat, ſed quemadmodum aliæ machinæ cientur, ſpirituum animalium impetu, ſicut & ipſi objectorum phantaſmatis, impellatur. E quibus omnibus eum nihil vehementius voluiſſe intelligimus, quàm ne quicquam omnino ſit in rerum Naturâ, quod inſitam quamvis aut cogitandi aut agendi facultatem in ſe habeat; quòd ſi non ſit, nullum aliud Numen erit, niſi ſempiterna naturalium cauſarum & effectuum ſeries. At quid in re tam manifeſtâ locos & argumenta accumularem, ſi enim præciſis aliis omnibus id unum dicatur, tale eſſe omnium principium, ut nihil conſilio, nihil ratione, nihil electione effecerit, ſed omnia, velit nolit, Naturæ neceſſitate produxerit, hoc inquam uno res confecta eſt, cùm ejuſmodi Numen nihil ſanctius, aut nobilius, aut cultu dignius in ſe habere poſſit, quam ſi è ſolius Materiæ neceſſitate orta fuiſſent omnia.

SECT. VII. Jam verò cùm hæc fuerit *Ariſtotelis* opinio, rem ferè confectam jure diximus, quòd quid cenſuerit, difficilius ſit invenire, quàm inventum redarguere. Redargui facilius inquam? imò nullâ aliâ refutatione, niſi ſolùm ut intelligatur, opus eſſe potuiſſet. Tametſi enim apertè & liberè ſatis ſententiam ſuam ipſe dixit, eum tamen neſcio quo communi omnium errore docti indoctique omnes perperam intellexerunt. Cùm enim Veterum quidam qui ſingulare & pene divinum Philoſophi ingenium mirabantur, in obſcurioribus illius libris, quos, quòd ipſi non intellexerant, ἐσωτερικοὺς vocabant, reconditam quandam ſapientiam contineri voluiſſent, ii magnâ tandem animi contentione fatalem iſtam, quam diximus, *Theologiæ* rationem eruerunt; alii, qui anticipatâ hâc notione imbuti eoſdem libros legebant, eadem in iis Oracula & Effata divina videre ſe putabant. Atque adeo tandem alii alios pecorum ritu ſecuti ſummam illi, non modo in philoſophiâ, verùm etiam Theologiâ authoritatem tribuerunt. Et quidem tantum valuit præoccupata hæc de Philoſophi pietate opinio, ut non modo ſemidocti iſti, qui eum aut oſcitanter

oscitanter inspexerant, aut fuerant alios omnino secuti, verum etiam viri doctissimi, qui eum magnâ diligentiâ adhibitâ legerant, in eodem errore, quem ad illius lectionem afferebant, perseverarunt. Eundem tamen si quis mente liberâ & solutâ legisset, nescio an quicquam in cujusvis scriptis clariùs doceri potuisset, quam in omni suâ philosophiâ ista quam explicuimus mechanica necessitas doceatur. Etenim concedam, si placet, in libris popularibus, *Ethicis*, *Politicis*, atque ejusmodi aliis, quædam de Diis Deorumque cultu non malè dixisse, atqui in istis ad vulgi captum locutus est, iisque, ut *Epicurus*, pietatis specie illusit. Quanquam profectò ejusmodi perpauca etiam & in iis me invenisse fatendum est. Atque insigni isto loco, quo de summâ Numinis beatitate optimè disputare putatur, omnem Providentiam, omnem virtutem, omnem dignitatem eidem detraxit, atque sempiternam vitam solâ sui ipsius contemplatione transegisse voluit. Quod quàm longè ab omni pietatis ratione absit, cùm toties dixerimus, nunc dicendum non esse arbitror. Quicquid autem in popularibus istis fortè & obiter scripserit, in iis omnibus, quibus de principiis & fundamentis tractatur, id unum, ut nulla sit rerum præter mechanicam necessitatem vis & ratio, laboravit. Quo inquam invento rem planè confectam diximus. Cùm enim in omni cum Atheis quibuscunque disputatione à principio de rerum finibus exordiendum sit, in hunc locum, si *Aristotelem* & qui ab eo sunt, coerceamus, in duo capita se dividet disputatio: Primùm an certi fuerint rerum naturæ fines? tum, si qui fuerint, an & quo consilio fuerint constituti? De priori autem ad *Aristotelem* nullâ disputatione opus erit, cùm ipse omnem rerum Naturam contemplando quidque propter finem & esse & operari vidit. Neque quidem de posteriori, post ea, quæ disputatione superiori diximus, aliâ longâ opus erit: Quod iisdem omnibus arguendi locis eâdemque rationis perspicuitate, quâ *Epicurea*, funditus evertatur; cùm summas omnes finium rationes & utilitates, quas in omni rerum naturâ intuemur, non melius explicuerit.

Nicom. L. 10. Cap. 8.

Sect. VIII. Quoniam verò cum *Aristotele*, non vulgari, non mediocri, imò non modo nobili philosopho, sed & ipso Philosophorum Deo, Rege, & Pontifice disputatur: Eum quoque, quemadmodum sumus cæteros secuti, per omnem rerum cognationem sequemur, ut cum omni suo acumine, quo singulari erat naturâ præditus, nihil majus quam istos Philosophorum fungos, *Epicurum*, *Hobbium*, *Vaninum*, in impietatis causâ potuisse demonstretur. Quod ut fiat, duo solùm considerare oportet; primùm quibus Argumentis sententiam suam confirmaverit; deinde quibus mechanismi legibus Universi fabricationem extruxerit. Quæ autem de priori attulit, tam levia sunt, tam prorsus inania, tam Græcorum more disputata, ut qui in ea seriò disputaret, eâdem quâ ipsi vanitate correptus videretur. Cùm verò tanta sit hominis Autoritas quocunque modo acquisita, disputandum est. Primùm ergo à quo exorsus est principio? Motum necessariò semper fuisse atque semper fore. Quamobrem verò? Quòd denuò nihil se movere, neque motum nisi aliunde acceptum alii cuivis impertiri possit. Istuc autem quamobrem? Istuc,inquit, quid quæritis, cùm jam ante motum semper fuisse demonstretur? Id quoque novi. At utrumque sumis, & utroque sumpto utrumque probas. Atque unam istam Dialecticæ tuæ in omni loco rationem animadverto, ut rem maximam, quæ in controversiâ ponitur, tu ipse tibi sumas leviter comprobatam, tum deinde indubitatâ illius sumptione cætera quæ sequuntur omnia demonstrari glorieris. Prima autem omnium fundamenta in propriis definitionibus ponuntur; cùm enim res quasque ad mentem tuam definiveris, definitionum autoritate quicquid vis, id probare tibi licere putas. Ita Tempus inquis, nihil aliud est (sic enim antea definiveras) quàm numerus motûs, cùm itaque tempus ipsum initium non habuerit, neque etiam motus habebit. Quid autem si tuam tibi definitionem non concesserim, an non præcisa sit demonstratio? Nego igitur, quanquam enim motus temporis intervalla fortè metiatur, non tamen illius durationem efficit. Neque enim quicquam aliud est quàm continuata ipsa rerum duratio, quæ eadem est, sive quiescant,

cant, sive moveantur. Atque igitur si nullam durationem tibi tempus appellare placeat, nisi quæ, postquam res moveri cœperunt, effluxerit, tuâ definitione per me licet fruaris, mihi interim nihil probas; tui enim temporis initium esse dicam; à sempiternis tamen seculis, quanquam nullus extiterat motus, præcessisse durationem. Quid ergo, tantíne putas tuas valere rerum seu potius verborum definitiones, ut universa rerum natura se iis accommodare cogatur, imo ut ne quod iis periculum fiat, omnis ipsi Numini libertas tollatur. Atque adeo motum ab æternis seculis procreasse devinctum esse, ne alioqui contra quod tibi definire placuerat, quævis fieret sine motu temporis duratio. An non verò digna sit definitio, quâ omnis philosophiæ initio & quasi fundamento utaris? An non cætera quæ sequuntur omnia præclarè demonstrat? An non cujuslvis assensum, qui contra sentiret, quam primùm audiatur, superare necesse sit? Quis enim qui temporis definitionem concesserat, de motûs æternitate dubitaret? At si dare recuset, quid quæso tu tuâ demonstratione effecisti? Atqui eodem Dialecticæ more (ut superius de *Hobbio* indicavimus) utuntur Mechanici omnes, à parvis initiis, quæ solâ ipsorum Autoritate innixa sunt, proficiscuntur, iis autem semel quoquo modo jactis, Deus bone! quam immanes demonstrationum moles mox alteræ alteris cumulatæ ad Cœlum usque extruuntur. Sic igitur & nunc noster Philosophus sumpto hoc decreto neque melius quàm dixi comprobato, solâ illius vi & autoritate cætera omnia, quod connexionem cum eo habeant, satis demonstrata arbitratur. Sic nihil se movendi potestatem habere demonstrat, quod si haberet, motum non fuisse fieri potuisset. Ἀλλὰ τὸ κίνησιν μὴ εἶναι ἀδύνατον, δέδεικται γὰρ τοῦτο πρότερον, ὅτι ἀνάγκη κίνησιν ἀεὶ εἶναι. *At Motum non esse est impossibile, quoniam hoc antea probatum fuit, necesse esse ut motus semper sit.* Quo concesso postulat connexi ratio ut nihil motum denuo ciere possit. Sic etiam *impossibile* demonstratur *motum aut aliquando ortum fuisse aut corruptum iri, quod semper fuerit.* Ἀδύνατον κίνησιν ἢ γίνεσθαι, ἢ φθαρῆναι· ἀεὶ γὰρ ἦν. Quo sumpto statim Platonem ut redarguat sibi licere putat, quod Primum Motorem se movere posse dixisset. Sic denique Primum Movens

Nat. Ausc. l. 8. c. 5.

Met. l. 14. c. 6.
Nat. Ausc. l. 8. c. 5.

immobile esse constat, quod si moveri dicatur, aut ipsum à se aut ab alio: non alio, ne sit primo prius; non à se, id enim fieri non posse jam ante præoccupatum est. Atque eâdem disputandi ratione quicquid vult semper demonstrat Philosophus. An verò quenquamne tam excordem fuisse putat, cùm omnem motum Naturæ necessitate perpetuum fuisse semel credidisset, ut postmodum an quivis denuo inchoari possit, idem dubitaret? Ut quidem cùm alterum ad alterum postulaverit, nihil melius suâ disputatione profecisse visus est, quàm si res, quam probare susceperat, sibi ut concedatur requisierat. Cum Aristotele autem de suâ Dialecticæ ratione plura nolo, quòd præter stultam istam Mechanicis omnibus communem, alterâ levi atque quâ Græci peculiari utebantur, usus est. Ii enim posthabitâ omni veritatis investigatione solam disputandi gloriam & oblectationem quærebant. Quibus igitur non ratione opiniones suas invenire, sed opinionibus suis rationes afferre diu usuvenerat. Cùm enim Sectæ suæ Princeps quisque esse vellet, primùm novam dogmatum molem fabricare conatus est, deinde ætatem rationibus, quales in Rhetorum Officinis conficere didicerat, investigandis insumpsit, ut ea quoquo modo adversus omnium conatus, qui contra pugnarent, tueretur. Ut quidem idem omnes, quod fecit unus fecisse videantur, qui sibi opiniones nunquam defuisse dixit, sed solùm argumenta quibus eas defenderet. Sic & ipse *Aristoteles* ut suam quoque *Peripateticorum* nationem haberet, veterum omnia reprehendit, novas omnium definitiones decrevit, Discipulis, ut Magistri placita vitâ & capite defendant, imperavit. In aliis autem quantâ sit levitate nugatus nunc dicere nostrâ nihil refert, quàm verò præclaras loco quo versamur nugas egerit, jam satis diximus. Iis enim quæ præcesserunt similia sunt quæ sequuntur omnia, quæ scilicet pro arbitrio ipse sumpsit, sibique nemo qui contra venerit, concessurus est: Nisi quòd ab *Anaxagorâ* interroget quamobrem *Mens* hoc potiusquam alio tempore se movere Mundumque fabricare cogitaverit; cui superius responsum est, & postea fusius responsuri sumus.

Sect.

SECT. IX. Unum quidem permagni ponderis Argumentum superesse fateor, Mundum scilicet solâ Naturæ necessitate ab æternis seculis eo ordine, quo nunc stat, extitisse dicendum, ne alioqui in fabulosam istam veterum quorundam Theologorum Opinionem impellamur, qui quanquam unà cum Physicis è nihilo quicquam fieri posse negaverant, omnia tamen è *Nocte* facta fuisse putabant. *Nocte* verò, quanquam alio sensu interpretentur alii, ubique nihil aliud intellexisse videntur veteres, quàm decantatum istud Materiæ *Chaos*, è quo omnia extructa fuisse crediderunt. Neque quicquam aliud ipse *Aristoteles* intellexit, cùm utrisque vocibus quasi συνωνύμοις idemque significantibus simul de eâdem re usus fuerit. Si verò causam effectricem, quæ materiam in ordinem redegit, quæ rebus vitam, motum, & pulchritudinem dedit, Universo præesse vellent, eos, quòd omnia solâ materiâ facta fuisse dixissent, neque verè, neque honestè, neque ingenuè reprehendit *Aristoteles*. Atque aliquam ejusmodi causam materiæ adjunxisse dicuntur, quòd ad rerum generationem plerique aut *Amorem*, aut *Amicitiam*, aut *Concordiam* adhibuerunt, quibus inquiunt vocibus causam quandam *Architectricem* poetarum more intelligebant, quæ materiam secum consentire, atque in hunc Universi ordinem conspirare effecit. Si verò omnium ab ipso *Chao* exordium duxerunt, quemadmodum de iis insinuavit *Aristoteles* (quanquam tam egregio calumniatori nulla sit fides adhibenda) ipsa est vesania quam Mechanicis omnibus communem esse diximus, cui autem sine Mundi Æternitate mederi novimus. Quanquam profectò quid censuerunt, nosse non tanti arbitror, quippe qui, cùm Poetæ fuerint, de Naturæ rebus non Physicorum acumine, sed variè, ut fortè fabulæ aut scenæ expediret, dicere solebant. Ita omnia è Chao nasci verisimile est finxisse, solùm quòd portentosum & fabulæ simile videretur, quî verò, aut quâ causâ, aut an omnino quâvis, fortè nunquam ne quidem cogitarunt. Atque qui Amorem omnia genuisse addiderunt, ii etiam quidni more Poetico locuti sint, qui rerum qualitatibus Personas aptare solebant. Quemadmodum *Lucretius* operis exordio Vene-

Met. l. 14. c. 6.

rem advocat Patronam, quasi eam præpotentem quandam Reginam habuisset, quæ omnem rerum Naturam suo imperio administrasset. Atque adeo cùm in omni Argumento tantas Amori partes dederint Poetæ veteres, idcircò fortè fecerunt, quòd homines eo affectu maxime capi & deliniri putarent, eosque propterea fabulas suas majori voluptate excepturos, cùm eorum animos tam jucundo affectu demulcerent. De rebus autem naturalibus tam inscitè plerunque scripsére, ut nihil omnino Philosophiæ intellexisse seu potius de eâ nunquam cogitasse videantur. Et cùm *Hesiodum*, tanquam eorum Principem, ubique suspiciat Philosophus, ex ipso uno quàm parum philosophati fuerint omnes, intelligamus, quòd nihil de ipsis rerum Naturis intellexit vir agrestis, sed solùm fabulas quasdam, quas à vici *Ascræi* vulgo acceperat, versibus narravit. Atque ovium pastor cùm fuerit, omnia sic scripsit, ut solet simplex & imperitum istud hominum genus. Ut quidem de antiquis istis omnibus fabularum cantoribus optima videatur ipsius *Aristotelis* censura. 'Hesiodus (inquit) & Theologi omnes 'id solum dicere curarunt, quod sibi traditum acceperant; 'nostrùm autem nullam rationem habuerunt: ita cùm Deos 'principia, omniaque ex ipsis genita statuissent, eos nihilo-'minus Deorum mortales esse dixerunt, qui Nectar & 'Ambrosiam non degustassent. Cujusmodi fabulis cùm ta-'les causas protulerunt, perspicuum est eos, quid dicant, 'non intellexisse. Atque igitur in eorum Opiniones accuratè inquirere operæ pretium non puto, cùm solùm decantatas quasdam vulgi fabulas attulerint, nihilque præterea scire videantur. In poeticâ itaque dominentur, quantum istius regni hominibus placet, atqui ut quicquam omnino Autoritatis in Philosophiâ aut Theologiâ habeant, eruditis ferendum esse nollem. Cùm è fæce incultissimâ nati sint, nihilque noverint nisi Patriæ mores, atque id quoque cùm immanissimâ barbarie diu oppressa & pene sepulta jacuisset. Utinam igitur eruditi omnes unà cum ipso *Platone* impium & indoctum istud hominum genus ex omni rep. ejiciendum esse consentirent. Cùm non modo Juvenum mores evertant, quòd turpia & improba de Diis suis prædicaverint: Verum etiam (quæ gravior labes est) omni rationis

Met. l. 1. c. 4.

tionis uſu exuant, quòd abſurdiſſima ſint, atque communi omnium ratione maximè aliena quæ homines prorſus imperiti de iis non tam finxerint quam à rudiori Antiquitate ficta ſeriò tradiderint. Etiamſi enim ipſam Virtutem eliminaverant, ea tamen rationis vi & adjumento revocari poſſet; ratione autem ſemel ſublatâ, nihil intereſt homines an belluæ appellemur. Ut meherclè ſi quis Dæmon improbus diſciplinam, quâ omnem Naturæ noſtræ dignitatem labefactaret, inſtituiſſe vellet, credo nullos niſi Græcos Poetas, & qui eos ſecuti ſunt, magiſtros adhibuiſſet. Atque hinc fit ut iis inſtructum & paratum Theologorum vulgus de Deo tetriora quam Indi aut Scythæ, aut omnis Barbaria credit, ſummâ facilitate crediderint. Niſi enim animos *Saturni*, *Jovis* & cæterorum Græciæ Numinum crudelitate occupatos & quidem planè efferatos ad Theologiam attuliſſent, fieri non poſſe puto quempiam tam impie tam iniquè de Deo Opt. Max. opinari potuiſſe, ut eum ſempiternâ ſuæ ſobolis miſeriâ delectari credat, eamque ineluctabili decreto pene omnibus voviſſe, eoſque ad ea flagitia perpetranda vi omnipotenti duxiſſe, ſolum ut quicquid calamitatis iis infligi ſibi placuit, ipſi meruiſſe videantur. Teterrimam hanc de Deo Opinionem à Poetis natam eſſe non aio (nihil enim tam ſceleratum, tam crudele, tam iniquum de ſuis Deorum flagitiis comminiſci auſi ſunt) ſed hoc tantum dico niſi à primis annis tam turpes, tam impias, tam immanes fabellas diſcendo aſſueverant, ad tam dura & nefaria de Deo dogmata certè nunquam induci potuiſſe.

SECT. X. Ut verò ad Philoſophos redeamus, quicquid enim cogitaverint *Poetæ*, aut an omnino quicquam, *Ariſtoteles* Mundum aut è confusâ materiâ, aut è nihilo unquam factum fuiſſe negat, quòd ſempiternus eo ordine, quo nunc eſt, ſolâ rerum naturæ neceſſitate extiterit. Si itaque eum plus Poetis ſapuiſſe conceſſerimus (atque id quis tanto Philoſopho negaverit!) quemadmodum Philoſophis quoque omnibus, qui ante eum fuerunt, quóſque pari ratione reprehendendos putat, plus ſapuerit, videamus. Atque primùm quid quod rerum ſuâ ſolùm virtute exiſtentium,

um,

um, nullamque sui Ortûs habentium multitudine potuit? Id quod præter ipsum & *Epicurum*, alii omnes (nisi pauci isti qui uni benevolo Numini malevolum alterum adjunxerunt) vehementissimè negarunt: Non modo ne si ab uno discederent, nullam postmodum multitudinis rationem invenirent; verum etiam quòd quicquid propriâ virtute existat, id nisi solâ summæ suæ perfectionis ratione assequi non posse reputarent. Et propterea ne multa, quorum quodque omnem perfectionem in se haberet, inferre cogerentur, omnes illius gradus in unum contulerunt. Cùm itaque reliquas (ut vocat) *Intelligentias* Deo summo minores, solâ tamen sui ratione existentes esse velit, certè quid vellet, nequaquam intellexit. Quî enim intelligi potest, ut, quod suæ solius perfectionis virtute secula omnia existat, quovis perfectionis momento deficiat? Cùm nulla alia causa esse aut dici possit quamobrem existat, nisi absolutissima suæ Naturæ perfectio. Cùm igitur quicquam de reliquarum *Intelligentiarum* summâ perfectione, quatenus Deo summo minores sint, diminutum esse velit, imperitè admodum à se solis (ut aiunt) esse, atque ab illo nequaquam dependere definivit. *Maimonides* quidem (fateor) *Aristotelem* ab ipso Deo Intelligentiam primam, à primâ secundam, à secundâ tertiam, & sic usque ad infimam procreatam docuisse refert; Atqui *Judæum* eruditum Interpretes *Arabici* fefellerunt. Ipse enim Philosophus de earum ortu nihil omnino dixit, & fortè ne quidem cogitavit, sed unà cùm omni rerum naturâ sempiternas esse, nihilque à Causâ primâ nisi motum aut ipsas aut quicquam aliud accepisse voluit. Quanquam enim, ne sint plura æterna primum Movens unum fuisse concluserit, id tamen de solo motu, non de existentiâ conclusisse manifestum est. Tum quòd istam ipsam disputationem, unum esse non rei cujusque, sed omnis motûs principium concluserit, tum quòd statim ejusdem libri capite nono eandem necessariò fuisse & *Primi Motoris* & *Primi Mobilis* æternitatem demonstraverit. Quod nimirum si aliquid semper ejusmodi sit quod moveat, necesse sit id etiam quod primùm ab eo movetur, æternum esse.

More Nevoch. Part. 2. Cap. 4.

Nat. Ausc. l. 8. c. 7.

Cùm verò & ipsam materiam vi naturæ suæ extitisse censuerit, jam ante *Physico* quàm turpe sit monuimus rei tam ignobili

nobili

nobili tamque impotenti perfectionem omnium præstantissimam adaptare, atque istuc cùm eâ solùm ratione dixerint, ne è nihilo fiant omnia, à quo Philosophos omnes uno consensu magnoque impetu abhorrere diximus; mirari me quoque dixi id cur tam certum ratumque sumpserunt, ut nullâ certiori ratione comprobari aut egeat, aut quidem possit. Esto enim quantum volunt captu arduum è nihilo quicquam nasci, an non tamen cujusque captum, qui ad inertem, abjectam & ignobilem illius naturam adverterit, totam materiæ molem sibi existendi causam esse multo magis superabit? Ne itaque plura nunc de eâ disputarem, nollem Philosophos nimium arroganter charissimi sui decreti autoritate gestire, cùm in difficiliorem locum eo se induunt, quàm quem eo declinare se putant. Si ergò alterum dicendum est, ut est, omnia equidem divinâ Potentiâ facta fuisse, si nullâ aliâ, hac tamen ratione coactus dicerem, ne inerti & ignobili cuivis saxo immensam & præstantissimam istam suæ perfectionis virtute existendi necessitatem ascribendam esse coactus dicam.

SECT. XI. At hoc Aristoteli cùm Mechanicis aliis omnibus commune est. Age ergo nunc tandem de iis quæ suæ disciplinæ propria habet, & quorum se inventorem gloriatur, dicamus. Primùm autem veteres omnes Physicos duplici ratione reprehendit, quod cùm de solâ materiâ tanquam unico omnium Principio disputaverint, nullam sint aut *Motûs* aut *Ordinis* causam consecuti, sed sine causâ utrumque in omnem rerum naturam invexerint. Quî igitur ipse melius? Primùm enim quòd motûs Principium investigavit, Deus inquit omnia movet, ut appetibile appetitum. Optimè quidem! atqui quâ quæso ratione appetibile motum in appetitu efficiat dicas, mi Philosophe. An physico quovis influxu, néce? Si istuc, aliquid reale & physicum, quòd vim suam in appetitum transferat, à se emittere oportet. Non modo quòd vim movendi à movente in mobile nisi tactu transire non posse tu ipse statueris: verum etiam quòd facultas physica (qualis est vis movendi) ab unâ substantiâ in aliam alio modo transire nequeat, cùm esse non possit, nisi substantiâ quâdam sustentetur. Si itaque hoc modo Deus motum in rebus aliis

Nat. Ausc. l. 3. c. 2.

genuerit, ut aliquid ex se emittat, cùm semper absumatur, neque æternus neque immortalis fuisset. Si autem physico influxu non moveat, causa motûs physica & realis esse non potest, cùm nihil in rem, quæ ipsa mota est, operetur: & si in eam nihil operetur, quî quæso motum inchoare potuit? Cùm igitur *Physico* nihil sit turpius quàm motum sine vi impressâ, extrinsecus fieri, nonne vides te, quocunque vertas, nullum motûs principium invenisse? Neque enim (quantum intelligimus) appetibile appetitum, sed se ipse appetitus movere videtur; cùm id nihil aliud egerit, nisi quòd de se cogitandi occasionem præbuerit, neque enim cùm mens ipsa actionum suarum causa sit, ipsam cogitationem efficere potuit, & si eam, non tamen motum effecisset. Non enim statim ad rem omnem, quam quisque mente volvit, movetur, sed ipse solus an assequi velit, an nolit, suæ electionis Author habendus est. Si verò non ipsum Appetitum in se, sed solum Appetibile tum cogitationem tum motum in eo efficere dixeris, id quoque dicas quo tactu & quibus viribus. Si enim à se nihil emiserit, nihil effecit: Si emiserit, non ipse Appetitus primùm movetur, sed id ipsum quòd emittitur. De quo porro quærendum est an motum in se incipiat, an aliunde acceperit. Si prius, motus sui causa erit, atque primum Movens movebitur: Si posterius, eadem semper de eo reversura est interrogatio, ut demum quocunque pergas, nullum motûs principium inveneris, nisi tandem causam aliquam, quæ in suas actiones potestatem habet, fatearis.

Neque profectò melius quâ causâ rerum natura tam conspiranti ordine & pulchritudine sit constituta, dixisti; cùm certè nulla ordinis causa esse possit, nisi quæ, quid sit ordo & quemadmodum comparetur, intelligat. Ordo enim quid aliud est quàm rerum aptis & accommodatis suis locis dispositio? At quid loci cuique conveniat, quî se conservet, & quomodo alii inserviat solius est consilio utentis definire. Cùm itaque rerum ordini constituendo nullum *Primi Motoris* consilium adhibueris; sed ipsum, cùm nihil tale cogitaret, *Intelligentias*; atque Intelligentias eâdem brutâ necessitate *Cœlorum orbes*; atque orbes cœlestes omnem *materiæ molem* movere velis, nihil satius

tius ad ordinem efficiendum attulisti, quàm se solam materiam ipsam se aptè disposuisse dixisses; cùm non meliori consilio utatur, quàm quod nihil omnino consilii habet. Non enim satis est ad quid prudenter efficiendum, ut quis sit optimæ rationis compos, nisi quoque eam ad rem, quam efficit, adhibere velit, & nisi adhibeat, perinde est ac si non haberet. Si itaque summo tuo Numini, ut invidiam evitares, Intellectum inesse censueris, nullum autem illius in Mundo aut condendo aut gubernando usum putaveris, nullo peritiori Artificio rem confecisti, quàm veteres isti quos solâ materiâ omnia effecisse calumniaris. An itaque mirabilis non sit ista, quam attulisti Universi ordinis rationem? Cùm enim omnem rerum naturam tam sapienter constitutam vidisses, ut ipsa tota & quæque illius pars in optimum quendam finem & fiat & operetur: Hujus inquis tanti Artificii causam, quam nemo ante ne assecutus est, en quam præclarè ipse expedierim! Ipsam igitur totius fabricam, quæ tantâ arte cohærere videtur, nullo unquam *Architecto* extructam fuisse, sed semper & sine causâ & nescio quâ necessitate optimum atque pulcherrimum ordinem obtinuisse dico. Neque id modo, sed cùm cœlorum complexio pluribus circulis inter se connexis constiterit, cuique nescio quo fato *Intelligentiam* quandam ab æternis seculis incubuisse, & supremo supremam. Eamque, quanquam ipsa nihil egerit, nescio quî in proximâ impetum quendam orbis sui contorquendi excivisse, quem deinceps secutam esse omnium suo ordine conversionem; è quorum variis motibus tandem natam esse, nemine tale quippiam cogitante, omnem naturæ pulchritudinem, partiumque omnium inter se conspirationem. Præclara sanè rerum ordinis ratio & descriptio! & qualem à Philosopho omnium reprehensore expectare debeamus! Deum immortalem! Quenquámne usque adeo insigniter desipuisse, ut cùm alios omnes reprehendisset, quòd ad Universi machinationem solam materiam adhibuerant, ipse eam solam ad eandem fabricandam adhiberet! Nihil enim de ipsâ rerum fabricatione unquam dixit, sed sumptâ sempiternî illius necessitate solum motum à *primo Motore* per eam undique deduxit. Quenquamne putare potuisse, ut quippiam quòd ipsum

nihil omnino agat, in aliis actionem efficiat, ut motum à movente in mobile sine tactu transire possit; ut id quod movetur, neque vim extrinsecus impressam habet, motus sui principium non habeatur? Quenquamne denique, qui per omnem rerum naturam admirabiles finium rationes respersas vidit, fere omnem vitæ industriam in id unum, ut quemadmodum evenire possint nullius consilio constitutæ, impendisse? Atquî in hoc postremo partitum fuisse inquies ea quæ finis gratiâ agunt, in ea quæ *mente* & ea quæ *naturâ* fiunt, atque istæc consilio fieri, hæc nequaquam. Ita quidem, at istuc omnium stultissimé. Si enim nullum Naturæ consilium insit neque præsit, quî quæso melius quàm cæca fortunæ temeritas vires suas suis finibus assequendis dirigere potuisset? Cùm itaque tam incredibili arte & prudentiâ se suasque facultates ubique moderetur, an non extremæ stupiditatis aut proterviæ fuerit non vidisse manifesto eam consilio uti, quo fines sibi certos præstituat, & quo ad eos tandem recto mediorum usu perveniat? Ut quidem in hâc suâ partitione non alio acumine diviserit Philosophus, quàm si eorum, quæ consilio fiunt, quædam consilio fieri, quædam nequaquam dixisset. Atqui inquit Ars ipsa nullum consilium capit, finis tamen gratiâ semper operatur, quidni ergo & ipsa Natura? Quid autem Ars efficiat & quantum intelligat, non dicam, ne hominem simplicem sophistarum princeps in Dialecticæ suæ salebras & dumeta trahat: Artifices tamen, qui artis viam sequuntur (bonâ veniâ dixerim) consilio operari non dubito. Quod si obtinuerim, cur non idem de Naturæ operibus extorquerem? Si enim naturalis ac rebus ipsis vis insita utilitatum, quas efficit consultrix non fuerit, Artificem, qui tum ipsam instituat, tum utilitates quas efficit, curæ habeat, esse necesse est. Ut demum facilius non sit Naturæ quam Artis solertiam sine Architectrice cujusdam Artificis providentiâ expedire. Atque adeo omnes qui Naturam sine Numine explicare nituntur, perinde se gerunt, ac si Artem sine Artifice invenirent. Quanquam minori stultitiâ se gessisse videatur *Epicurus*, qui Naturam fortuitam, quàm *Aristoteles*, qui artificiosam exposuit. Fieri enim poteſt ut aliquid arti simile fortè & casu eveniret, at verò ut omnia

Nat. Ausc. l. 2. c. 5.

Ibid. l. 2. c. 8.

omnia quæ artificiosè fiunt, sine Artificis consilio fierent, quis fieri posse putabit. Atque istuc est quod per omnem rerum Naturam conatus est Philosophus, ut artificiosas omnium rationes sine quâvis Artificis ratione conficeret. Egregius labor, & stulto Græci hominis acumine profectò dignus! Ut itaque viâ proximâ & quasi compendiariâ facillimè ad instituti exitum perveniret, à duobus principiis pari prudentiâ & impudentiâ dicere exorsus est. Rerum Naturam cùm perfectissimam esse, tum sapientissimè operari. Prius in primo primi de Cœlo libri suo more demonstrat, quod cùm tria sint dimensionum genera, longitudo, latitudo, & crassities, omnes in se contineat Mundus; at quod omnibus dimensionibus constat, omnino perfectum esse necesse est. Quâ profectò ratione demonstret quoque nihil usque adeo imperfectum esse posse, quin omni perfectionis plenitudine cumuletur; cùm nihil esse possit in rerum naturâ, quod tribus istis dimensionibus non constiterit: nisi itaque mundi machina foret, quæ longa, & lata sit, nullam autem crassitiem haberet, quantâcunque *staret prædita culpâ*, omnes perfectionis numeros in se complecti demonstrasset Philosophus. At bene est, tam fæliciter demonstrâsse, quod profectò nisi fecerat, non intelligo, quâ omnino modestiâ, id sibi sumendum licere putaret, cùm quidem tantum absit, ut in concordiam cum suâ opinione adduci possit; ut primum sit quod quis, qui contrà veniret, eidem opposuerit. Si enim rerum Universitas cæcâ necessitate constituta sit, quamobrem opus suum undique aptum, omnique ex parte expletum perficiat? Quî enim, quod ubique fieri optimum est, semper effecerit, nisi cujusque rei quæ sit opportunitas, quæque omnium aptissima cognatio comprehensum haberet? Cùm itaque tam perfecta omnia viderit, esse ea, non necessitatis sed consilii opera quis nisi qui ipse insaniat non conclusisset? Immò verò cùm tam præstantem esse naturam ipse viderit, ut præstabiliorem esse non posse fateretur, an non intellectu, quo melior & sapientior esse non possit, extrui collegisse oportuisset?

Alterum autem, quod omni in loco sibi sumit *sapientissimè semper operari Naturam*, eâdem quoque modestiâ in suam Philosophiam asciscit. Quî enim sapienter agat, quòd

nullo consilio in suis actionibus utatur? Quid enim aliud sapientia est, quàm recta actionum, & consiliorum gubernatio? Naturæ itaque sapientiam in omni re nos quoque suspicimus, at quî eam assequatur bruta necessitas, id ipsum est, quod ut explicet, ubique interrogamus. Si enim nullius consilii, aut intellectûs compos sit, sine intelligendi facultate nulla esse potest sapientia. Si itaque in omnibus sapienter egerit Natura, à præstantiori principio, quàm cæcâ necessitate, gubernatur. Ut planè quidem hoc etiam effato sibi ipsi cum primis contraveniat Philosophus: Si enim omnia necessariò, non sapienter; si sapienter, non necessariò fiant. Cùm igitur sapientes fieri compertum habeamus, non brutâ necessitate, quæ nihil intelligat, sed à præstantissimo cujusdam consilio, qui, quid prosit, quid obsit, intelligat, gubernari necesse est. At sic omnibus contingit (atque Epicuro, Hobbio, Cartesio contigisse diximus) qui se solos veritatis Patres, & Inventores esse vellent. En quàm ingenti passu prodit *Magnus Aristoteles*, omnes, inquiens, qui ante me fuêre Physici mundum aut casu, aut consilio factum fuisse censuerunt; ego verò neutro fieri, sed eo, quo est ordine, sempiternâ Naturæ necessitate extitisse: Et quî eo potiusquam, quàm quovis alio, certissimis quibusdam legibus, quæ ex ipsis rerum naturis ortæ sunt, en quemadmodum in cujusque rei instituto demonstravero. Quod autem ut efficiam, unum hoc in omni quæstione, ut concedatur, postulo, Naturam semper, & in omni re, sapientissimè operari. Quo dato, si de quâ re percontemini, quî, & quamobrem eo modo, quo fit, fiat, dicam. An verò non impudenter id principio suo postulavit, quale ante posuerat omnis sapientiæ expers. Ut eò demum pervenerit omne suæ Philosophiæ Institutum, eum, quî omnia sine consilio facta fuerint, demonstraturum esse, si sibi priùs summo consilio extructa fuisse concedatur. At cùm omnem rerum rationem, quæ, & qualis sit, solis legibus Mechanicis se non modò descripsisse, sed & demonstrasse gestiat. En denique quemadmodum iis omnia Phænomena sigillatim explicuerit!

SECT. XII. Primùm itaque quamobrem Cœlum in Orbem vertitur? Quòd (inquit) Corpora omnia naturalia loco moveri apta sint, deinde quòd simplicium omnium simplex sit motus, postremò, quòd sit motus omnis simplex, vel rectus, vel circularis. Ut itaque quatuor Elementa recto motu, vel à medio, vel ad medium feruntur, ita circa medium Cœlum moveri oportet; quòd motus circularis recto sit perfectior, atque proinde corpori perfectissimo debetur. Quamobrem verò corpora naturalia per se moveri apta sint? Quòd, inquit, Naturâ constent. Quid autem est ista Natura? An ipsa Corpora, an quicquam aliud, quod in iis motum ciere valeat? Si ipsa Corpora, non aliam rationem attulit, quàm si corpora, quòd moveantur, moveri dixerat. Si verò Natura sit quippiam aliud, quod motum incipiat, motus ipse, cùm ab ipsâ corporum naturâ non nascatur, naturalis esse nequit. Quicquid autem sit (ut Deum, & Intelligentias esse, ipse statuit) quâ, quæso, Naturæ necessitate corpora quævis, movere teneantur? Nullâ omnino. Aut si quâvis, ipse neque dixit, neque quivis, qui ab eo sunt, dixêre; neque à quovis dici potest, nisi ad causæ cujusdam arbitrium, & electionem redire velit, quæ & motum inchoavit, & ejusdem viam definivit. At si quod fuerit naturale motûs principium, quamobrem certâ quâvis viâ? Eam enim nisi eligat, cur non contrariâ? Aut si in certam sponte feratur, quamobrem non eâdem omnia? sed quædam sursum, quædam deorsum, quædam in orbem; an non hoc idem videatur atque actionis Provincias dare? Cur potiùs, cùm primum cœlum in circulum vertatur, non omnia eodem motu secum abripiat? ac si illius cursum non prorsus sequantur, cur tamen in contrarios sponte abeant? nulli enim magis contrariis esse possunt, quàm recti sursum, & recti deorsum. Si itaque idem sit in omnibus motûs principium, cur non idem omnium motus? Si diversum, istuc, inquam, quâ naturæ necessitate cuique contingat, dicendum est. Somniorum enim species sunt, non rationes, quas attulit *Aristoteles*: Corpora scilicet simplicia simplici motu moveri debere; tres esse motus simplices, à medio, ad medium, circa medium;

De Cœlo l. 1. c. 2.

dium; quædam itaque secundùm naturam uno, quædam alio, quædam tertio moventur; primo ignis, & aer, secundo terra & aqua, tertio cœlum. At quæ Naturæ necessitas simplicia omnia simplici motu moveri? aut si sit, cur non eodem? Aut simplicium motuum cur non tribus plures sint, cùm innumerabiles esse possint, nempe recti omnes in quamcunque viam? Aut cur circularis potiùs quàm quivis alius, qui mixtus, & compositus habetur, inter simplices habeatur? Aut deinde, si expediat simplicia omnia simplici motu, diverso tamen moveri, id an intellexêre ipsa, quæ moventur, corpora? Si non intellexêre, quî isti Naturæ legi obsequi potuissent? Si intellexêre, non à Naturâ sed suâ cujusque optione, in suum motum feruntur. Atque hoc quidem omnibus, qui rerum naturam vellent sine Providentiâ conficere semper usuvenit, ut omnium ordinis rationes, ab ipsâ Naturæ convenientiâ deducant. Quibus tamen prospicere & consulere præclarissimum Providentiæ munus est. Quam itaque si non fateantur, nihil in naturâ, à ratione decori explicare possunt: quod si non possint, nullum unquam, ab ipsâ rei naturâ, rationem aut attulerunt, aut allaturi sunt, quâ vel unius eventûs causam investigare queant.

De Cœlo l. 2. c. 3.

SECT. XIII. Quamobrem deinde plures fiunt orbium cœlestium motus? Quòd, inquit, si Cœlum semper convertatur, aliquid, nempe Terram quod semper quiescit, esse necesse sit; & si terram, ignem quoque esse necesse est: quòd contrariorum si alterum naturâ sit, & alterum naturâ esse necesse est. At si terram, & ignem esse necesse sit, ea quoque corpora, quæ inter ipsa media sunt, esse necesse est; quæ si sint, varias quoque rerum mutationes esse necesse est: Atque propterea plures sphærarum cœlestium conversiones esse necesse est; si enim una duntaxat fuisset, cùm sit maxime æquabilis, nullam mutationem efficeret; ne itaque omnia eodem statu semper permanerent, hæc omnia esse necesse est. Per quot quantasque ambages suæ sapientiæ vim explicat Natura? quamque inviolabili nexu eventuum omnium seriem colligavit, ne, si in uno deficeret, ad exitum non perveniret? At quibus, quæso, vinculis,

culis, tam prolixam omnium necessitatem constrinxit? Et primum quâ physicâ causâ, è cœli conversione, sequatur Terræ quietis necessitas? An Cœli conversio ipsum efficiat? an non potius, cùm tanto impetu feratur, quicquid complexu suo habet, secum abripiat necesse sit? Solius igitur Philosophi est, è cœli motu, terræ quietem necessariò sequi, idque sine causâ, dicere. Et quidem sublatâ illius Authoritate, non aptius connectuntur, quàm si diceret, eò quod splendescat Sol, terra tenebris obruatur necesse sit. At si Terra sit, quamobrem & Ignis? Quòd, inquit, contrariorum si alterum naturâ sit, alterum esse necesse sit. At quamobrem & istuc? *Naturæ* magis accommodatum putassem ut contrariorum unum tantum procrearet, tum ut sibi constans foret necessitas tum ut rerum incolumitati prospiceret. Si vero tantâ varietate operetur, ut ad contraria consilia se convertat, non necessitate, sed eodem modo, quo quæ arbitrio, operari videtur. Ea enim propria est arbitrii facultas, ut ad affectus contrarios producendos sibi imperare valeat. Si itaque eâ Libertate utatur Natura, ut cùm alterum contrariorum produxerit, continuò omnes vires in alterum subducat, idque ea ratione quòd, ut fiant contraria, Universo expediat, quid aliud esse possit, quàm Providentiâ, cùm non minori consilio agat, nec minus dominium in suas actiones habeat? Contrà verò, cùm & ipse, & omnes sui similes, qui Providentiam tollunt, Naturam ex necessitate operari velint, ei nihil repugnantius dicere potuit, quàm eò quod contrariorum alterum effecerit, ut alterum efficiat necesse esse, ut potius planè sequatur, si naturâ alterum sit, alterum naturâ esse impossibile. At si sit terra, & ignis, quamobrem aer & aqua? Quòd, inquit, si sint extrema, media quoque esse necesse est. At rursum quâ Necessitatis lege? an ut inter ea pacem, & concordiam tueantur? Pax profectò bona res est, & si eam, inter suos cives, tueri prospiciat natura, optima, & sapientissima regina est. Alioqui autem, si nihil consilii habeat, ridicula est ratio, quæ ex eo, quod extrema sint, media esse infert. At cum sint, plures rerum generationes ex iis fieri necesse inquit. Atqui res multas nasci quid opus est? & si opus non sit, quorsum

omnis iste cœlorum, & elementorum apparatus, qui eorum ortui aut vim, aut materiam præbeat? At ut res quædam gignantur, primùm sumpsit Philosophus, sumpsit quidem, quâ verò causâ naturali necessarium esse ostendit? deinde si fuerit, ostendat quoque, quî omnis iste causarum complexus ei fini, nisi summâ Providentiâ, institui potuisset. Denique si cæcâ Naturæ vi contigerat, nihil juvat ad explicandum, quî tantos tamque varios effectus procreare valeat. Si enim plures sint cœlestium conversiones, quid istæ ad varias rerum generationes? Quòd, inquit, varios elementorum motus efficerent. Quid inde? Ergò ea omnia summâ varietate inter se miscerent. Nego, sed locis naturalibus quæque potiùs huc usque exagitarent, at ut è suis in aliena dejicerent, neque intelligo neque posse puto: Aut si possint, fieret non Mundus, sed rerum Chaos; quid enim aliud efficiat confusa Elementorum congeries? Et denique, quantum vult, invicem misceantur, quid istuc ad homines procreandos, cæteraque omnia animantium genera? Usque adeo stulti omnes philosophari necesse est, qui omnem Naturæ viam, & rationem, absque Providentiæ consilio explicandam esse putant; cùm nulla sit, aut intelligi possit Naturæ ratio, nisi quæ solo Providentiæ consilio instituatur. Ut jure dixerim idem fecisse Aristotelem ac si quemadmodum quodvis artis opus, solâ arte absque quovis Artifice, explicare susceperat. Atque adeo si Horologium velis, en, quî tibi sine fabro & fabrilibus effecerit Philosophus! Si Cœlum sit, moveri necesse est; si motus sit, tempus esse necesse est; si tempus sit, instrumenta, quibus metiamur, esse necesse est; instrumenta si sint, ea numeros certis intervallis distinctos habere necesse est; & numeri si sint, indicem, qui quâvis horâ, ad certum numerum perveniat, esse necesse est; & index si sit, rotulam, quæ circumferat, esse necesse est; & sic deinceps per omnem machinæ fabricationem, dum tandem fiant horologia.

SECT. XIV. Proximè quamobrem Cœlum figuram rotundam habere necesse sit, rationes ex omni scientiarum genere exquirit, quasi *Natura*, quò mundum omni perfectione absolutum extrueret, omnibus artibus se erudiisset. Et primùm, ut Geometriam didicisse se ostendat, figuram omnium perfectissimam elegit, sicut enim circulum in planis, ita sphæram in solidis principatum tenere novit, quod, eo quòd figura sit omnium simplicissima, intellexit; sicut enim circulus unicâ lineâ, ita sphæra unicâ superficie continetur: Et quidem Naturam γεωμετρεῖν à magistro Platone accepimus, id verò cùm postulaverit vir sapiens, talem esse eam, quæ rationes geometricas intelligat, ut sibi quoque concedatur, postulavit. Quid autem apud brutam tuam necessitatem valeant rationes geometricæ, cùm eas quàm perspicuæ cunque fuerint, cernere ipsa nequeat? Geometris itaque si ratæ fuerint, quid istuc ad *Naturam tuam?* An circulum omnium figurarum perfectissimum intellexit? Et si intellexerit, an demonstrare potuit? Et si potuerit, quo circino tam exquisitè descripsisse valuit, ut nihil (id quod ipse dicis) arte accuratius describatur? Mox autem à Geometriâ ad Physiologiam transit, quam quidem scientiam, si quamvis aliam, intellexisse *Naturam* decet. Quænam itaque Physicorum ratione Cœlum sphæricâ figurâ effecerit? Ne, inquit, spatium vacuum relinqueret; nisi enim rotundum fuisset, anguli cujuscunque figuræ sibi invicem succedant necesse est, & proinde locum eundem nunquam occuparent, atque adeo, ubi prius erat corpus, nunc non foret, & ubi nunc non est, rursus, ob figuræ inæqualitatem, erit. O cæca rerum Natura, quæ vacuum omne, non modo ab ipso mundo, sed ab ipsis mundi pomœriis abegerit! At vereor, ne consilio desit facultas; quacunque enim abigatur, quin rursum accedat, quî quæso prohibere possit, cùm quicquid ultra cœlum extimum jaceat, vacuum esse necesse sit? At quantamcunque labem, si intra civitatem admittatur, secum afferat, quid, quæso, noxa aut periculi erit, si penitus in exilium mittatur? aut si missum fuerit, eidem quin redeat, quî ante-

De Cœlo, l. 2. c. 4.

anteverterit *Natura*, nisi corpora corporibus in infinitum usque accumularet? à quo cùm non minus, quam ab ipso vacuo, abhorreat Philosophus, non video, quî aliâ quâvis ratione extima Regni sui mœnia à tam importuno hoste liberare valeat. Aut si ipse Philosophus valuerit, quî Naturam suam sua mandata exequi doceat, nisi docere possit, primùm quid sit vacuum, tum deinde quantum periculi rerum Universitati minetur. Si enim ex necessitate operetur, nihilque ipsa intelligat, pari prudentiâ saxa sursum projecta ne decidant moneat, ne fortè ictûs impetu confringantur. Alia sunt ab aliis scientiis petita, cùm verò sint his similia, eodem omnia responso irridentur quòd nempe quî cæca sua naturæ necessitas omni doctrinâ, atque optimarum artium studiis erudita sit, non intelligamus.

De Cœlo, l. 2. c. 5.

SECT. XV. Quamobrem itaque Cœlum ab ortu, per meridiem, in occasum potius quàm contra moveatur? Quòd, inquit, *Natura* semper id faciat, quod optimum est eorum, quæ fieri possunt; cùm igitur dextrum Cœli sit Oriens, antrorsum Meridies, eo cursu necessariò fertur, quòd à dextrâ ad anteriorem partem moveri præstabilius sit, quàm contra. O quàm beneficè, & sapienter omnem rerum ordinem dispensaverit *Natura*, ut non modo utili, sed & decoro consulere videatur! Cùm enim benignissimis Cœlorum influentiis, quâcunque viâ ad nos pervenirent, sive dextrâ, sive sinistrâ contenti esse possimus, ut tamen summam suam urbanitatem nobis commendaret, dona sua affabili largiendi more, cùm dextrâ porrigat quod lævâ dare poterat, longe chariora fecit. At quamobrem quod optimum est semper effecit? An quod quia id præstat semper intellexit? Quid autem melius possit optima Providentia? Si non intellexerit, quâ physicâ necessitate semper ad optimum propendeat? Et si propendeat, quî, quo fertur se agendo definiat? Deinde quamobrem dextra pars Ortus sit, sinistra Occasus? aut si sit, quamobrem à dextrâ in sinistram, quàm contra ire, præstabilius statuatur? Aut id quâ necessitatis lege statuerit Natura? Ego quem lævâ uti contigit,

non minorem idcirco de me existimationem habere possum. Aut denique, si quæ sit discrepantia, quî noverit bruta Natura? aut si noverit, quî, cùm cæca sit, invenerit? Quamobrem verò cùm Cœlum inerrantium ab Ortu in Occasum moveatur, Planetæ contrario motu ab Occasu in Ortum ferantur? Cur Natura, quæ quod optimum est fieri semper faciat, eos omnes in ignobiliorem viam induxerit? aut quid est, quod illius vires tantum superare potuit, ut contrà quàm in summo orbe fecit, & in omnibus, si suæ benignitati permissa fuisset, effecisse vellet, tot orbes ire coegerit? Aut si nihil sit, quod contrarium istum iis impresserit, suum vi suâ in se quisque excivit, aut saltem eorum summus sui motûs Author fuit, reliquisque dedit. Quo, quod minimè vellet, graviter urgetur Philosophus, primùm ne sit motus, qui à primo Motore non proficiscatur; deinde, ne sit primus Motor, qui ipse non sit immobilis. Cùm verò, jure an injuriâ, sic se res habere velit, dicat utinam quemadmodum sphæra quæque superior quamque sibi inferiorem secum abripiat; cùm sint omnes tam exquisitè æquabiles, ut ipse nihil χειρόκμητον Artificis manu confectum rotundius fieri posse definiverit. Quo planè fieret, ut etiamsi sint contiguæ, quæ tamen superlabuntur, in inferiores nullam vim, quâ secum ferant, imprimere possent. Et si quæ foret superficierum inæqualitas (ut stellas suæ sphæræ nodos esse voluit) quibus se mutuò apprehendant, omnes eâdem viâ, quâ primum Orbem, moveri necesse est. Quis enim non videt, cùm quo ipse propellit, ipsi circumvehantur, eos eodem tempore contrario motu ire non potuisse? Præterea si quæ foret contiguarum superficierum inæqualitas, ut nunc emineant, nunc excaventur, Hannibali portæ apertæ sunt, & hostis, quem maximè odit & aversatur Aristoteles, muros occupat, cùm eo casu inter cujusque sphæræ inæqualitates horrendum istum *vacuum* delitesceret; at Equum Trojanum intus esse mallet Philosophus, quàm diram istam Naturæ pestem. Aut denique si eâ arte aptentur contiguæ quæque sphæræ, ut quo loco altera emineat, altera deprimatur, ita ut hujus extuberantia illius cavitatem subiret, præterquam quod istâ

ratione, non aliter, quàm unum mobile eâdem viâ ferantur omnes, quis dubitet, tam exquisitam tot tantorúmque corporum contignationem, summo cujusdam Opificis consilio comparatam, & extructam fuisse?

De Cœlo, l. 2. c. 7.

SECT. XVI. An vero eâdem materiâ unumquodque Astrum, quâ orbis, cui inhæret, constet? Eandem utriusque vult esse, quòd eodem intervallo ab Intelligentiâ primâ absint, quâ solùm ratione omnes rerum differentias & varietates evenire putat, & quidem si diversam esse dixisset, dicere non potuisset, quibus naturæ legibus locum suum in corpore alieno haberet; ut si quis clavum aureum tabulæ ligneæ impactum viderit, ex eâ nasci non putaret. At vero, si eadem sit utriusque natura, dicat undè tam diversas facultates obtineant? Quamobrem sola Astri facies splendescat, atque calfaciat, & non potiùs tota circuli complexio? Quoniam, inquit, cùm sit densior Cœli pars, quæ tanquam nodus in tabulâ extet, & protuberet, sui motûs vehementiâ calorem & lumen in aere gignit, quemadmodum lignum & ferrum motu ardere, & conflagrare solent. Dic ergo quâ naturæ necessitate nodus in cujusque circuli superficie emineat? Istuc est, Philosophe, quod polliceris, te cujusque rei rationem solâ naturæ vi confecturum; aut ergo dicas quid stellam extare fecerit, aut nihil dicis: nisi enim aliquam causam, cur extaret, afferas, extare, idque sine causâ, dicis. At si quid nodum fortè prominere fecerit, quisquamne, qui solem semel suspexit, omnes utilitates, quas pulcherrimum istud sydus ubique in omnem rerum naturam diffundit, ab igne, quem fortè in aere genuit, provenire credat? Quot quantasque illius utilitates attulimus, ut sine eo pereat omnis Naturæ & usus, & pulchritudo? Quis istas omnes, quæ tam mirabili, tamque variâ constantiâ redeant, nullo instituto, sed incendio, quod forte indies erumpat, evenire putet? Talparum, & Cæcorum hæc Philosophia est, qui suavissimam lucem nunquam aspexerunt, qui solem omnia luce suâ lustrare, & complere nesciunt. Ne verò de admirabili ordine accessuum, & recessuum quicquam dicam, de quo (quod mox

mox audiet) quanquam omnium, quæ in naturâ sunt, maximum sit, nihil dixit Philosophus: nunc nihil aliud, quàm quæ sit natura Luminis, dicat, oramus: Quî tam facile incendatur, quî temporis momento in omnem Mundi partem colluceat, qualis delicata sit ista aeris temperies, ut tam promptè ignem concipiat, & conceptum tantâ celeritate in immensum usque diffundat, & cùm indies in eo fiat incendium, nunquam comburatur, nullàque illius absumpta materiâ in omnia secula permaneat. Ut profectò, si nihil aliud, satis sit solus ipse lucis aspectus, qui Philosophum in Numinis admirationem trahat, cùm secum cogitaverit, quanquam omnis Naturæ ordo fuisset, omnino tamen inutilem fore nisi Cœlum, & Terram corpus interjaceret, tam mirabili, tamque subtili texturâ compactum, ut lucem per immensa spatia quovis momento transferat, quo nihil, ut leviter plerunque attingunt Philosophi, in omni rerum naturâ mirabilius reperitur. Verum fiat lux, ut vult Philosophus, eam tamen suâ hypothesi una omnium Planetarum Luna efficiet, cùm enim aeri citima sit, eum sola motu suo affricare possit, dum reliqui omnes, qui aliorum solidis sphæris alligantur, nihil in aerem possunt, sed solùm sphæram sibi contiguam quisque motus sui inæqualitate, quassaret.

SECT. XVII. Quamobrem verò globosæ & rotundæ sint siderum figuræ? Quòd, inquit, cùm haud apta esse per se moveri superiùs demonstretur, & natura nihil absque ratione, aut frustra faciat, eam iis figuram tribuisse necesse sit, quæ ad motum maximè inepta foret, qualis est rotunda, quòd instrumenta nulla, quibus ad motum se accingat, habere possit. De communi sapientis Naturæ ratione jam antea diximus, an vero hoc consilio tantum, quantum vult Philosophus, ipsa sapuerit, non intelligimus. Cùm non modo alii omnes tam Philosophi, quàm Mechanici, figuram rotundam maximè mobilem censuére: sed & ipse, cùm Cœlum ultimum accuratissime globosum esse voluerit, quo facilius moveatur. Cùm verò isto casu stellas motûs organis carere subjiciat,

De Cœlo, l. 2. c. 11.

Lib. 2. c. 8. at, hem! quid velit, nisi pedes non habere, quos, cùm animalibus ad progressum dati sint, ipsæque non habuerint, non propriâ vi sed sui cœli motu quamque moveri probat; at si vera sit demonstrandi ratio, nihil nisi pedibus eundo progredi, aut quovis modo moveri posse, an non tollitur planè omnis omnium orbium, cùm & ipsi pedum adjumento careant, movendi facultas? Quid verò (ne in re tam levi & ridiculâ plura sequar) quâ figurâ sint interesse possit, cùm solido sphæræ suæ corpori tanquam clavi infixi hæreant, atque adeo cujuscunque figuræ, sive rotundæ, sive angulosæ fuerint, eâ circumlatâ circumferri necesse est?

Postremò quamobrem, cùm primum Cœlum innumerabili stellarum copiâ exornetur, eas inferiora quæque singulas habeant? Et quidem annon admodum mirabile videatur, nisi Artificis cujusdam consilio fiat, uni omnium Cœlorum tantam syderum multitudinem contigisse & reliquis omnibus, non nisi cuique, unum? At quî eveniat, optimâ quoque Naturæ ratione solvit Philosophus, quò scilicet primum Cœlum, cùm inferiorum omnium sit princeps, quantum præstat dignitate, tantum ornatu, & pulchritudine anteire oporteat. Eâ equidem causâ pluribus Luminibus ipsum ornari, atque inferiores orbes minori Luminum copiâ contentos esse putassem; ut quî ei situ proximè accedant, accedant & gloriâ, quæ gradatim unà cum cujusque distantiâ minuatur, dum tandem ad sphæram omnium infimam perventum sit, quæ si placet unius fortè decore instructa & ornata foret. Atqui, ut sibi primum Cœlum tantam copiam rapuerit, cùm innumerabili syderum multitudine se exornaverit; ut inferioribus singulis singula relinqueret, quæ iis, tanquam in arvo una spica, hæreret, non nisi à nimiâ sui ipsius existimatione, & reliquorum omnium contemptu, proficisci potuisse puto. Potuit enim se satis amplo Luminum splendore illustrasse, atque tamen eam reliquis copiam reliquisse, ut sufficienti Gemmarum numero se quæque commendaret; at verò ut ipsum se tam densâ Luminum congerie non tam distinctum, quàm opertum, & obrutum fore curet, annon Luxuriæ magis, quàm Ornamento esse videatur? Potissimum, cùm ob eam

eam causam, cùm reliquis tam iniquâ parsimoniâ egerit, ut Saturnum tam maligno affectu esse, mirari non oporteat. Quî enim invidiâ animique malevolentiâ non teneatur, cùm tam malè secum actum esse viderit, ut, cùm sua sphæra sit solum supremâ minor, ista tantâ luminum multitudine luxuriet, ipse solitarius suo Orbi, sine gloriâ, sine sociis alligetur? Atqui utcunque expedierit tam præstans summi Cœli Ornamentum, id rursum interrogo, quâ Naturæ lege, aut Necessitate procuretur. Si enim quis instituerit, rursus ad Opificem recurritur, quî, ut sibi visum est, variè, variis in locis, nunc rariùs, nunc densiùs Luminibus distinxit. Sin verò nullius consilio evenerit, id ipsum est, pro quo summas gratias nos Philosopho acturos semper spondemus, si explicare vellet, quâ Naturæ vi, & ratione fieret primum Orbem, tanto præ reliquis stellarum numero, ornari, solummodo quòd ut aliis dignitate anteivit, pulchritudine anteire expediret.

SECT. XVIII. Atque hæc quidem præcipua sunt, quibus sine omni Providentiâ, utilitatum consultrice, solis Necessitatis legibus, Cœlestium Phænomena effecit, & explicuit Philosophus. Verùm Sólne de Cœlo exciderit? Profecto aut ipsum excidisse, aut cæcum esse Philosophum, quis non putaret? Cùm enim stellarum omnium principatum ipse obtineat; cùm cuncta luce, & calore foveat; cùm sit omnis Naturæ dux & moderator, cùm quicquid in terris nostris vivit gignat, & in vitâ tueatur; cùm tam opportuno intervallo, à nobis distet, ut si aut propiùs, aut longiùs situm esse contigisset, nulli naturæ emolumento inservire potuisset, cùm tantâ constantiâ conversiones suas tum diurnas, tum annuas conficiat; cùm cursus suos eâ ratione moderetur, ut cuique terræ regioni prosit, & nulli noceat; cùm accessus & recessus suos iis cancellis definiat, ad quos si non perveniret, & quos si, cùm pervenerit, egrederetur, utilitates omnes, quas Terræ affert, ipse depopularetur; cùm quando ad utrumvis signum accesserit, se referat, & inde sensim tam certis & paribus vestigiis in contra-

riam partem flectatur; Cùm nulla omnino causa sit, quin eodem cursu semper pergat, nihilque sit, quod reducat, nisi ut rerum incolumitati consulatur; Cum denique, eâ rerum omnium utilitate, vicissitudines, quas cursus sui obliquitate efficit, institutæ sint, ut nullâ quidem ratione, aut providentiâ meliùs institui potuissent. Cùm inquam hæc omnia ita se habeant, en magnum Philosophum, qui omnem universi ordinem conficere pollicetur, qui cœlestes orbes extruxit, qui variis & contrariis motibus circumtulit, qui stellis ornavit, qui earum vires in inferiora deduxit, qui Terram suâ sede immobilem alligavit, qui aquas suis cavernis collegit; qui elementorum silvam paravit, qui suas cuique facultates distribuit, quibus omnia Naturæ opera navare possint; *Solis* tamen unius, quo solo fiunt omnia, & omnis Naturæ ratio gubernatur, & sine quo nec nos hominum genus stare, nec cœlum, nec terra, nec mundus ipse potest, sed omnis hic Universi ordo, & pulchritudo æternis tenebris, & squalore jaceret; hujus, inquam, sit, an non sit, in omni de Cœlestibus philosophiâ mentionem vix fecisse. Et quanquam fieri non potuit, quin in eam aliquando incideret, è tot mirabilibus, ne quidem unum Phænomenon extremis digitis attigisse, nisi quòd nodum esse dixerit. Quantus Philosophus! & qualem Naturam ipse efficeret, qui Mundum, si penes se fuerat, absque Sole condidisset!

Sect. XIX. Hactenus de Cœlo, & Astris, nunc de Elementis, quorum mutatione res quæque nascuntur, & intereunt; atque eadem demonstrandi ratione, quâ de Cœlestibus disseruit Philosophus, omnium numerum, & cujusque inter omnes situm demonstravit; quòd si unum contrariorum sit, sit & alterum; & si contraria sint, sint & duo media. Contraria autem semper ad contrarios angulos moventur; leve sursum, grave deorsum, media modò sursum, modò deorsum: Hæc gravitatem in propriis locis tuentur; detractâ enim terrâ, descendit aqua, & aquâ, aër, quanquam aliter in extremis fiat; sublato enim aëre, non descendit ignis, neque in aquæ locum

De Cœlo, l. 3. c. 2. Lib. 4. c. 4.

locum ascendit Terra. Longa quidem continuatio, seriesque rerum. Primum autem, Philosophe, dic quâ necessitate, eo quòd contrariorum alterum fuerit, sequatur esse & alterum? An id ipsum, quod existit sibi contrarium, efficiat; an ipsum se; an aliquid tertium? Si prius dixeris, dicas quoque, quâ naturæ lege, ignis terram, & terra ignem gignat, solùm ut hostem habeat, quocum continuò bella gerat? Si secundum dixeris, dicendum etiam erit, quî, eâdem naturæ lege, materia quævis terræ formam sibi sponte induat, ne non sit elementum, quod in contrarias partes ab igne abiret. Si tandem postremum dixeris, ad Opificem recurritur; qui elementa ita constituit & temperavit, ut eo loci, quem iis præscripsit, apta sint sedere, eosque Naturæ effectus, quos è variâ ipsorum misturâ, & temperatione fieri voluit, procreare.

Quod idem etiam de proximo effectu interrogandum est, si scilicet extrema sint, esse & media; an extremis gignantur media, an ipsa se gignant, an ab aliâ causâ fiant? At si sint extrema, cur duo media interesse necesse sit? Quamobrem unum non sufficiat? Et quatuor cùm fuerint Elementa, quamobrem contigerit justa omnium Proportio, & si forte contigerit, quamobrem post tot, tantasque mutationes tamdiu conservetur? Si enim quodvis eorum reliqua aut mole, aut virtute superaret, id ea omnia absorpturum ipse docuit; ut sane mirum videatur ignem, cùm tantâ vi antecellat, cætera jam diu non consumpsisse. Neque postremò quamobrem tam scitè in suas stationes se quæque distribuerint, ut Ignis summum, Aër, & Aqua medium, Terra imum, à vacui periculo, tueatur. At de istis mox, cùm de Terræ situ dixerimus; interim quamobrem quædam, cùm locum, quem iis natura dedit, obtinuerint, eo quiescant, nullâ vi, nullis machinis amolienda; quædam contra facillimè evocentur, & nunc sursum, nunc deorsum migrent, ut iis locum extrema cedere contingat? Grave, inquit, & leve ad locum tanquam ad speciem, & perfectionem feruntur; quem cum obtinuerint, ideo conservant, quòd benignè, & naturæ suæ convenienter excipiat, adeo ut, de

De Gen. & Corr. l. 3. c. 6.

De Cœlo, l. 4. c. 3.

eorum quiete eadem sit interrogatio, ac si ægrotum, aut famelicum interrogares, quamobrem eum potissimum locum affectarent, quo demum valetudinem, aut alimentum, invenêre. Prudenter quidem agunt, & benè est, quòd intelligant, ubi benevolè tractentur. At quamobrem aër quoque & aqua non sint ejusdem sapientiæ compotes, cùm tam desultoriâ levitate suum locum deseruerint, si quando quodvis corpus, quod iis proximè accumbat, forte subtrahatur? Cur enim & ipsa ubi cum iis optimè actum fuerit, quàm terra, minùs intelligant? quantocunque enim acumine præstet ignis, optimè novimus crassam terræ molem, quid rebus suis conduxerit, iis neque melius judicare, neque magis curæ habere. At verò, inquit, ne uspiam incurrat vacuum, invigilant, & proinde in omnem partem susque deque commeare prompta sunt, ut ubicunque corpus quodvis suum locum reliquerit, ipsum, eundem occupando, à communi hoste tueantur. At quamobrem plus curæ, & cogitationis in Rempublicam, quàm ignis, aut terra conferant? Annon res communis omnium pariter intersit? Cur itaque cùm in periculo ista fuerit, quædam tantæ curæ habeant, ut privatas omnes rationes suas publicæ saluti omnino posthabeant; quædam, quid mali eveniat nullâ curâ, aut solicitudine teneantur? Quæ inertia, quæ ignavia, quæ desidia, quæ luxuria ista, quæ in igne, &terrâ tanta est, ut cùm Annibalem, non modo ad portas, sed & in ipsâ urbe esse viderint, loco suo otiosi torpescant, neque se, ut Reip. succurratur, latum digitum movere sustineant. Profectò planè Epicurea sunt ista Elementa, quæ à *sapiente Metrodoro* didicerant, nihil attinere Græcos servare, & coronas ab iis reportare; sed sapientem, quicquid alii de Rep. mereantur, sibi soli charum esse, suique duntaxat otii, & voluptatis curam habere. Et nisi quasi disciplinæ decretis isto modo discreparent Elementa, non equidem video, quî tantundem vitæ, morumque instituto, à se invicem abirent. Neque quî ex Aristotelis sententiâ, quicquid aut fiat, aut pereat, videre possum; cùm enim omne mixtum ex elementorum temperatione, & dissolutione nasci, & interire velit, quî, quæso, ea miscuerit? Cùm ignis nullâ

vi,

vi, nullis illecebris se deorsum trahi, nec se sursum Terra patiatur. Quid, quæ tanto intervallo separantur, ut conveniant, moverit, quæ ut omnino propinquiùs accedant, vacui timor movere non potuit? Ignis ne inferius descendet, ne non vile animalculum procreetur, qui ut vel quidem Universum conservaret, suâ sublimitate ne minimum se movere dignaretur! Cœlum igitur, & Terram facilius misceas; istuc enim cùm nec grave fuerit, nec leve, quin deducatur, luctari nequit, cùm Ignis, nisi contra omnem Naturæ vim & impetum, nullis ponderibus deorsum trabatur; Neque postremo videre possum, quamobrem Elementorum quodque binas qualitates sortiatur; Ignis calorem, & siccitatem, Aer calorem, & humiditatem; Aqua humiditatem, & frigus; Terra frigus, & siccitatem. An ipsæ qualitates quovis naturali jugo copulantur, ut cui una inest, insit & altera? At istâ lege eadem contrariis non potuit convenire, ut Igni & Terræ extremam siccitatem ipse distribuit. Quid ergo tantâ benevolentiæ & societatis conjunctione devinxit, quæ nullâ naturæ necessitudine invicem conciliantur, ut possint contrariæ contrariis consociari? At, inquit, cùm Elementa invicem transmutentur, & variâ eorum mutatione naturalia quæque gignantur, his Qualitatibus instrui oportet, quibus, ut fortè expediverit, aut agere, aut pati parata sint. Belle! Annon itaque qui, Elementa ut rerum omnium naturalium principia sint, instituit, iis eas dedisse facultates intelligis, quibus ritè suis quæque provinciis perfungantur? Si enim eo duntaxat fine, in singulis qualitatum, quæ nullâ naturæ necessitate colligantur, fiat conjugium, suas planè, quas habent, facultates, soliùs finis gratiâ assequuntur. Atque eò, inquam, semper Naturæ contemplatione ferimur, ut quî, id, quod est, quidque sit, nihil intelligamus, nisi tandem naturæ suæ rationem à finis, cui institutum est, consilio petere velimus.

De Gen. & Corr. l. 2. c. 8.

De Gen. & Corr. l. 2. c. 2. & 4.

SECT. XX. Jam verò, extructis Cœlestium Orbium circuitibus, qui omnia gignunt, & paratis elementis, è quibus omnia nascuntur, nunc quâ vi, & quibus radici-

bus defixa terra, (quæ apta iisdem sedes sit,) in Medio Universi loco se sustinuerit, videamus. At istuc videat ipsa Terra, nulla enim, quibus innitatur, fundamenta jecit Philosophus. Eo enim cùm venerit, in medio eam sitam esse, ibique semper quiescere, à sensuum fide, cœlestiumque Phænomenis si probaverit, satis se fecisse putat; at, quâ naturæ lege ad medium feratur, eoque cùm pervenerit, quiescat, Philosophi, qui omnem Universi ordinem, & cujusque illius partis situm mechanicis rerum viribus pollicitus est explicare, dicere non putavit. At nimis importunum esse inquies, si quis postulaverit, ut uno spiritu definiat, & demonstret Philosophus; satis est quòd hîc loci terram suo collocaverit, quibus autem ponderibus in eodem libretur, siste paululum, & mox accipies. En itaque quî se habeat, & quibus vinculis teneatur! Primum gravia, & levia dicuntur aut ἁπλῶς, seu simpliciter, aut πρὸς ἕτερον comparatè, seu quæ altero graviora, aut leviora sunt. Eorum, quæ *absolutè* gravia, aut levia sunt, quædam à medio, quædam ad medium semper apta sunt ferri. Atque horum id, quod à medio, sursum, quod ad medium, deorsum dicimus. *Absolutè* ergo leve est, quod sursum, sive ad extremum; atque *absolutè* grave, quod deorsùm, sive ad medium fertur: Ignis itaque, cùm sit *simpliciter* levis, locum petit supremum; aer, & aqua, cùm ad alterum comparati graves sint, nunc ascendunt, nunc deprimuntur, ut aliis Corporibus contineri contingit, terra autem, cùm sit *absolutè* gravis, imum semper petit, in eoque immobilis, & penitus defixa hæret. Quibus cùm de Elementis & gravitatis qualitate satis jam ante diximus, ut nihil hic dicere necesse sit, nisi Philosophum, cùm nil, nisi demonstrationes, & leges mechanicas promiserit, nil, nisi grammaticas definitiones attulisse. Novimus enim, quid leve, quid grave, quid gravius, quid gravissimum dicatur, neque ab eo quid quærimus, nisi, ut intelligamus, faciat, quî in medio Universi loco, cùm nullis fulcris sustentetur, vi sua se sustineat. Quòd absolutè gravis sit, inquit, atque adeo suâ Naturâ apta ad medium ferri. An verò quæ vis in medio puncto sit, quâ ad se trahat; aut

De Cœlo, l. 2. c. 13, 14.

De Cœlo, l. 4. c. 1.

aut si sit, quibus Machinis, quæ longè sunt, apprehendat, aut si apprehenderit, quo impetu, aut quâ Autoritate, ad se rapiat? Aut si quâ vi valeat, quamobrem Terram, præ reliquis Elementis depereat? Annon potius Ignem, qui omnium sit nobilissimus, in amplexus desideraret? An quæ vis Terræ insit, quæ in medium propendere faciat? At quamobrem, in tantâ spatii immensitate, uno isto puncto potius, quàm quovis alio, delectetur? Aut si in deliciis habeat, quî, ubi jacet, noverit? Aut si noverit, qua facultate vim suam motricem ciere, & gubernare valeat, ut quàm subito & rectissimâ via, ad locum suum se semper conferat! At sic semper sapiunt fastidiosi isti, qui, nisi dempto Numine, de rerum Naturis philosophari aspernantur. Nil nisi verba dant, aut dare possunt: cùm enim res quæque suas, quas habent, facultates à summo Artifice acceperint, si qui, quemadmodum eas nullo illius consilio assecutæ fuerint, explicare aggrediantur, quid aliud, quàm si Automata quæque, sine Artificum solertiâ, conficiant; quod si quis conari vellet (& cur non conentur magna ingenia?) eodem planè modo, quo Mechanici omnes rem tractaret. Apagite itaque cum insulsis vestris rerum legibus! nullæ sunt, neque esse possunt, nisi quas præscripsit, & instituit ipse, qui omnia condidit. Aut illius in rei cujusque instituto consilium fateamini, aut tam superbè philosophari desinite. Quorsum inanes vestras hypotheses tanto labore extruitis? Eum solum in Universo locum obtinuit Terra, quem ut occuparet, elegit Deus. Potuit alio posuisse; at cum hic posuerit, suam stationem, quam semel adepta est, tuetur; quâ autem vi libero Cœlo tam fixa pendeat; illius est, qui libravit, dicere. Nos hoc tantum novimus, facultatem quandam toti inesse, quâ singulæ partes in eam ferri, eique adhærere aptæ sunt; at quæ sit ista vis, & quî operetur, an solâ magneticâ, an quoque quavis aliâ ratione, inveniant Posteri, nos nondum invenimus; quâcunque verò fiat, optimo Numinis consilio fieri intelligimus, ut planè totius molis compages solida, & à partium dissolutione incolumis servetur.

SECT.

Sect. XXI. Cùm vero ab ipso telluris Globo, ad singulas illius partes, de Mari scilicet, ejusque motu, & salsedine, de Ventis, de Pluviis, de Fluminibus tractare venerit, quàm frigidis, & jejunis rationibus sibi placere cogitur? Ipse Epicurus cum suis porcis non turpius nugantur; aut enim res contra ipsam cujusque naturæ propensionem disposuit, aut satis causam dixisse se arbitratus est, si solum effectum descripserit, ut demum in cujusque Phænomeni ratione non ulterius provectus sit, quàm sic factum evenire, quòd sic fieri eveniat. De mari superius diximus, si scilicet ad solam ipsius aquæ naturam respiciamus, se in Universum terræ globum diffusuram. Etenim cum sit terrâ levior, eâdem Naturæ lege, quâ supra aquam aer ascendit, illi undique innatare debuit; ut, nisi vis providentiæ major Naturæ vim superaverat, fieri non posset, quin quæque pars terræ cuique aquæ succumberet. Quòd itaque unum globum constituant terra & aqua, quòd aqua in quosdam sinus colligatur, quòd sit certis limitibus circumscripta, quòd littus Oceano ubique emineat, quòd denique aqua non terram, quemadmodum Aer utramque complectatur, soli Omnipotenti Numinis imperio debetur, quòd quidque eo loco, qui sibi placuit, & rerum naturæ expedit, disposuit, atque igitur, cùm terram commodam animantibus sedem esse vellet, aquas, quæ, si sibi permitterentur, totam occuparent, à maximâ illius parte abire jussit; & ne redeant, ingentes effodit hiatus, quibus, quicquid foret aquarum, custodiâ detineret. Et ne fœteat, perenni motu concuti, multoque sale condiri, nescio quâ mirabili arte curavit; & denique cùm sine aquâ dulci, quæ in sicco sunt, animantia diu superesse nequeant, innumerabiles canales per omnes terræ partes disposuit, easque eâ arte extruxit, ut à salso fonte aquas dulces emittant, deinde cùm sempiternas terræ, & aquæ vicissitudines finxerit Aristoteles, adeo ut eadem loca ob fluviorum, & maris mutationes, statis quibusdam periodis, nunc humida, nunc sicca fiant, quæ sit sua in Poetica facultas, experiri videtur; cùm rem nullis naturæ viribus, sed magnis, & portentosis quibus-

quibusdam casibus, conficiat, cujusmodi è Poetis refert de diluviis, de incendiis, de novis terris exortis, antiquisque deletis. Quicquid autem casuum comminiscatur, aquam è suo sinu, quem semel occupavit, nisi terrâ fluminum impetu continuò in eam delatâ extrudi non posse planè novimus. Cùm verò sensim deferatur, tantum abesset ex alveo suo dejiceret, ut cum eâ penitus se misceret, & nil, nisi ingentem cœni voraginem, conficeret. Immò verò etiamsi sedes antiquas deserere cogeretur, non prorsus aridas, sed solum minus profundas relinqueret; atque adeo cùm istâ ratione, in latiorem campum se continuò diffunderet, fieri non potuit, quin tandem, temporis diuturnitate, omnia occuparet. De his autem superius, quanquam hic penitus præterire nollem, ut simul integram Peripateticæ stultitiæ Hypothesin exhiberem.

Locum de maris æstu, penè intactum reliquit, nisi quòd à Septentrione in Austrum defluere definiat, quòd altior sit terra Septentrionalis, humilior Australis, atque eâ causâ maria septentrionalia minùs alta esse, quòd in Austrum suas aquas refundant. An verò (ne in re tam perspicuâ plura dicam) videre non potuit Philosophus isto casu maria septentrionalia non modò minùs alta, sed omni aquâ exhausta fore, cùm ea semper in Austrum fluat, & nunquam refluat? De Maris salsedine aliquantò obscuriùs scripsisse visus est, ut, quæ sit illius Opinio, non planè consenserint ipsi Interpretes; alii enim sic interpretantur, quasi statuerit exhalatione terrestri, eam fieri à fundo maris Solis fervore elevatâ, quæ per mare ubique transiens salsuginem inducit non secus atque cineres per aquam transeuntes eam salsam efficiunt. Alii contra halitibus terrenis, qui radiis solaribus in sublime elati excoquantur, & cum humidis in nubes concrescant, quibus in pluvias dissolutis, ipsi quoque unà decidant, atque adeo acri suâ qualitate aquas marinas, si in eas incidere contigerit, inficiant. Quæ autem sententia crassior sit, utram interpretationem sequi malumus, arduum est definire. Si priorem, an crediderit *Philosophus* eam esse vim Solis in fundo maris, ut penè aut penitus in cineres comburat; aut, si crediderit, cur non etiam credat

Meteor. l. 2. c. 1.

Meteor. l. 2. c. 3.

totum Oceanum eodem fervoris impetu exæstuare. Cùm itaque tantum in mari ardorem non effervescere cujusque sensu compertum sit, quî, quæso, fabulam portenti pleniorem, comminisci potuit *Philosophus*, quàm cùm Solem finxerit eâ potentiâ, in ipso maris fundo, dominari, ut terram in sal & cineres excoquat? Experiare tu ipse Lector, si quid tam admirabile excogitare possis, quàm tantum ignis impetum per tantam aquæ profunditatem pertransire, adeo ut neque calefiat aqua, neque extinguatur ignis, sed cùm ad fundum pervenerit, incendia excitet; Si possis, tu quoque meo suffragio in Mechanicorum regno Principatum obtinebis. Neque probabilior est, eam si sequamur, altera sententiæ interpretatio. Si enim mare salsedinem suam à pluviis acceperit, cur non ipsæ pluviæ eâdem tingantur? Cur non omnis terræ planities sale operiatur, cùm adusti halitus in eam unà compluviis continuò depluant. Cur salsa non sint stagna, & lacus, cùm in ipsa quoque decidant imbres, vaporibus adustis repleti? Annon mirum videatur, cùm pluviæ semper dulces sint, & mare salsum, ut in se salsedinem suam non habeat, sed ab iis, quæ nullam habent, accipiat? Ut sanè non sapientior videatur Philosophi ratio, quàm si Oceanum idcircò salsum fieri dixerat, solummodo quòd in eum aquæ dulces continuò deferantur. At verò, inquit, aqua ipsa salsa non est, ergo sic fieri alicujus commistione oportet. Id ut placet, at unde admistum istud habuerit, adhuc quærimus; & si neque infernè à terrâ, neque supernè à pluviis, unde sit, si tu dixeris, novis conjecturis divinare incipias oportet; hactenus enim nihil verosimile dixisti, nisi salsum esse mare, quòd quid salsum secum admistum habeat. Quæ solutio an tantæ sapientum gentis, quanta est Peripateticorum, Principe digna sit, videant Vernæ isti, qui divinam suæ mentis particulam magistri autoritati in turpissimam servitutem dederunt. Nobis autem liberis Græculi hominis fatuitatem ridere liceat; cùm eum tantâ autoritatis & gravitatis specie ineptire viderimus.

SECT. XXII. Fontium & Fluviorum originem ad aerem refert, quem in Terræ conceptaculis, atque cavernis frigidioribus in vaporem densari contingit, cujus partes quanquam primùm exiguæ sint, minusque ad invicem concretæ, ubi verò plures ad invicem coierint, majores guttulas constituunt, quæ non aliter quàm fumus vapidus in Alembico coeuntes fonticulos, & aquarum rivulos procreant, è quorum demum plurium, pluriumque confluxu fiunt magnorum fluminum cursus. Miror verò quî Aer tam promptè, & ferè ultrò suam exuat Naturam, ut quoties in locum paulo frigidiorem fortè pervenerit, formam, omnesque quas olim habuit, facultates amittat, atque subitâ, & quidem miraculosâ Metamorphosi, in alienam prorsus substantiam transmutetur. Primùm enim nunquam explicabit Philosophus, quî unum Elementum quovis casu in alterum migraverit, cùm enim forma ex ipsa materiæ substantiâ fiat, intelligi nequit, quî quævis materia veterem formam exuat, novamque induat, nisi sui ipsius partem deperdat, aliamque substantiam, quæ è nihilo facta sit, acquirat. Utcunque verò materia omnes formas subire valeat (ut ille in fabulis, qui quoscunque vultus fingere, omniumque gestus, mores, & aspectus imitari possit) at quâ vi, & quibus gradibus unum esse desinat, & alterum esse incipiat, quomodo forma prior divulsa sit, & quid cum eâ fiat, an pereat, an in suam materiam redeat, an in aliâ supersit; quomodo gignatur nova, quo nexu materiæ copuletur, multaque hujusmodi, quæ Mechanicum præterire nequaquam decet; ipse omnino præteriit; & prudenter quidem, quicquid enim definiat, in eas delabitur difficultates, è quibus nullo ingenio, nullâque industriâ eluctari posset, deinde, si aer fiat aqua, causam mutationis effectricem dicere oportuit, cùm sine eâ mutationem nullam esse velit, & veteres omnes, quòd materiam mutare se posse censeant, tam acriter reprehendat. Frigore ergo, inquit, fit transmutatio: ergo, inquam, ipsâ materiâ, cùm frigus sit ipsius vis, & facultas; quod autem suâ facultate fit, seipso fieri dicendum est, saltem nullam aliam causam ad efficiendum effla-

Meteor. l. 1. c. 13.

efflagitat, quod ipsa vi sibi insitâ efficere valeat. Præterea, ipse Philosophus tantum abesse frigus quicquam de novo moliri definivit, ut ipsum omnis *passionis* principium esse statuat; ut enim calorem qualitatem *activam*, ita frigus *passivam* appellat, *i.e.* facultatem, non quâ res quæque quid agere possint, sed quâ quicquam ab aliis pati comparentur; adeo ut frigore quamlibet mutationem subire disponantur, at ut ipsum opus incipiat, non sinet Naturæ suæ torpor & ignavia. At quid subtilioribus hisce Philosophum urgeam, cùm fidem omnem excedat, tantam aeris copiam tantâ constantiâ in aquam fortè condensari, quæ sufficiat tot, tantisque fluminum scaturiginibus, quæ ubique per omnem terrarum orbem exiliunt, & diffunduntur. Ipse Philosophus aquarum molem, quæ è quibusque fluviis majoribus, anni spatio fluit ipsâ terrâ longè majorem esse statuit; quî igitur sat's aeris semper, & ubique præstò esse possit, quæ tantis aquarum copiis materiam præbeat? Cùm enim tenuissimæ sit naturæ, ingens illius moles non nisi exiguam admodum aquæ efficiet, adeo ut omnis ista aeris profunditas, quæ ab ipso Terræ globo ad usque ignis locum pertingit, non satis materiæ in se habere videatur, quæ si in aquæ crassitudinem condensetur, paris foret molis isti aquæ, quæ diei spatio omnibus terrarum orbis fluviis emittitur. Quod vero aiunt nonnulli Cryptas subterraneas Alembicis similes esse, in quibus humor vapidus sursum coactus in exiguos aquæ rivulos se colligit: An non tandem magna Artis vis est quam adhibent? Si enim eo artificio extruatur Terræ Globus, ut fornices habeat quosdam vaporibus colligendis, quosdam condensandis idoneos; Si canaliculos, & syphones innumerabiles eâ solertiâ ab iis ubique perductos, ut aquam contra naturæ suæ vim sursum alliciant; Si juxta Terræ superficiem, alia sint conceptacula, in quibus omnis aquarum copia deponatur; Si ex iis etiam sursum alii ducantur Canales per quos aqua in montium juga, locosque altiores feratur, ut cùm eò pervenerit, erumpat, seque in omnem declivitatem sensim exoneret, dicant, quâ præclariori artis ratione, totam constructionem Artifex fabricare potuisset.

tuiſſet. Atqui ſi tanto artificio Natura, quanto Artifex, operetur, quid ſequitur niſi eſſe Artificem? Et quidem niſi ad aquæ aſcenſum Artificis adjumentum adhibeant, ſemper hærebit: cùm enim perſpicuum ſit, eam, niſi è locis altioribus, in decliviores fluere non poſſe, tum deinde cùm ſuâ Naturâ gravis ſit, neque eò ſuâ vi aſcendere potuiſſe, Artificii auxilio opus eſt, quo quâdam aliâ, quàm Naturæ ratione, ſurſum evehatur. Neque enim, qui Artificis loco, igne ſubterraneo utuntur, rem melius conficiunt; ſi enim aqua illius impetu in altum impellatur, calida Thermarum ad inſtar exiliret, niſi forte deficiat caloris impetus antequam ad terræ ſuperficiem pervenerat; at ſi defecerit, deficeret quoque & aqua, cùm ſemper, ſi penes ſe fuerit, gravitate ſuâ deorſum feratur. Quanquam itaque quo cauſarum naturalium Artificio ſummus Opifex terræ interiora diſpoſuit, neſciamus, eo tamen artis mechanicæ apparatu extruxit, ut ipſe globus terræ Aqueum Automaton videatur, quo fiat in omnem partem perennis laticis circulatio: Id quod nulla ars humana quantumcunque imitari conetur, unquam aſſequi potuiſſet.

SECT. XXIII. Quanquam autem aquam, ex ipsâ Terræ profunditate, in ipſa montium juga nullo ſudore exantlaverit; ut tamen in Æthera tollat, lumbos, & brachia admodum exerceat, expectaveris. At machinas ſuas præſtò habet Philoſophus, quibus lacus, & ſtagna, & maria in ſublime ferre, atque in aere ſuſtentare valeat. Si cauſam (inquit) effectricem deſideretis, en, qui omnia poſſit, Sol adeſt, is radiis ſuis vapores è mari, lociſque humidis, in mediam aeris regionem evehit, ubi cùm eos deſeruerit, loci frigore in nubes denſantur, & ſuo demum pondere in guttas ſoluti, rurſus in terram deferuntur. Cùm de Solis mirabilibus Philoſopho dicere incubuit, an omnino fuerit nécne, penitus oblitus eſt, atque tantilli habuit, ut nil niſi nodum quendam, nullâ vi, nullâ vitâ præditum eſſe velit, cùm verò ad alia pervenerit, quandoquidem aliæ rationes deſint, Sole quid non efficiat? Omnium ipſe cauſa eſt, quicquid

Meteor. l. 1. c. 9.

nascitur, ipse genuit; quicquid interit, ipse interemit; homines procreat, quamque Universi partem incolis, terram bestiis, cœlum volucribus, oceanum piscibus replet; immensam aquarum molem, sine quâ nihil salubre esse possit, à putredine conservat; ingentes aquarum lacus in altum tollit, quibus rursum in pluvias dissolutis, quam genuit sobolem alit & tuetur. Hunc divûm hominumque Patrem, qui Cœlum, qui Terram moderatur, maximum quoddam Numen esse quis dubitaverit? Cùm verò nil, nisi nodum quendam crassiorem esse velit, qui fortè è rotâ suâ aliquantulum extuberet, si audiret muscas, & ranas procreare *Democritus*, Oh quam latera, venas, vultus, oculos risu exerceret vir facetiarum plenus!

Quibus autem situlis, & funiculis aquas tam sublime trahat magnus iste exantlator? Radiis, inquit. Qui vero radii? An vapores rapiunt, & captivos secum ducunt? Non enim intelligo, quî in tantam aëris altitudinem asportarent, nisi suum quisque radius vaporem apprehendat, eoque apprehenso, in altum redeat, & cùm ad mediam aëris regionem pervenerit, tanquam in carcerem conjiciat. Obtusè (inquit) neque cum Philosophi acumine disputas. Quid ita? Nunquamne (inquit) de vacuo audiisti? Immò quidem sæpissimè, & inter Philosophos de nullâ re sæpius. Quid ergo, quicquam-ne in hoc negotio adjumenti adferat? Quam simplices, inquit, estis omnes, qui rationes mechanicas nesciatis! Alioqui radios solares, calore suo dum aërem extenuent, vacuum efficere, eoque facto, vapores, ne diu supersit, avolare quis nesciverit? Vacuumne ades! Jupiter cœlo delapsus est, præsentem tanti Numinis dignitatem colo & veneror. Tu nullo sudore, nullis machinis terram, ut placet, ad Cœlum effers, cœlumque ad terram deducis; & quicquid fieri imperaveris, quid in omni rerum naturâ usque adeo contumax reperitur, quod tua mandata non exequatur? Cùm itaque particulas aqueas solo nutu evocaveris, cur non obtemperaverint salinæ? Quicquid enim sive jubeas, sive mineris, pervicaces istæ loco suo moveri

ri nolunt. Non autem quòd nolint, fit (inquit,) ſed quòd non poſſint: Cùm enim leviores ſint aqueæ, quàm expeditè primo juſſu qualecunque iter conficiunt; ſalinæ autem graviores cùm fuerint, ſe tam promptè expedire nequeunt, ut quantumcunque nitantur, particulis aqueis res prorſus confecta ſit, priuſquam ipſæ vel quidem ſarcinas collegerint. Atqui ſanè non tam imbelle putaveram Vacui imperium, ut particulas tam minutas ſuo *Sacramento* cogere non poſſit; quin potius putaſſem, id ut deſcripſerunt Philoſophi, præſertim ipſe *Stagyrita*, lapides molares momento, ſi juſſerit, ſidera ferire. Quot autem pondo particulam ſalinam aqueæ præponderare putas, ut quæ cauſa alteram tantâ facilitate moveat, nullo labore alteram ciere poſſit? Cùm enim tam exigua ſit utriuſque moles, ut omnes hominum ſenſus præ exilitate effugiant, non admodum diſparibus ponderum momentis diſcrepare, opinor, exploraveris: ſaltem non tam diſparibus, ut cùm una facilius quâvis plumâ circumferatur, citius montes, & ſcopulos, quàm in aerem alteram ſuſtuleris! Annon potius planè admirabili Providentiæ ſolertiâ rem conſtitutam eſſe vides, cùm in rebus tam exilibus, tantam tantâ cum rerum utilitate diſcrepantiam inveneris? Niſi enim ſurſum evehantur aqueæ, ſalinis à tergo relictis, particulæ, imbres & pluviæ, quibus omnis enutritur natura, certiſſimas omnium ſtrages, & cædes ſecum attulerant, & potiſſimum animantium generi, qui ſolo aquæ dulcis potu nutriuntur, dum fontes, & flumina ubique nimio ſale aſperſiſſent.

Cùm verò vapores, & halitus tam tenues primùm prodiere, ut ſint prorſus inviſibiles, quomodo in tam denſas nubes coiverint? Cur potius per omnem aëris immenſitatem non avolarent? Aut ſi coaleſcant, quid eſt, quod tantam aquarum copiam in aëre ſuſtineat? Ventorum, inquiunt, flatibus ſubvehuntur. At unde ſemper præſtò ſint venti? Egregium iſtuc Providentiæ opus videtur eos, ut ad nubes ſuſtentandas adjuvent, ſemper in promptu habere. At cum adſint, quî ipſi ſoli ingentia flumina in aëre pendentia ſuſtineant? Magnâ enim aquarum copiâ, & profunditate nubes eſſe novimus, non

modo

modo pluviis, quas in terram immittunt, ſed ipſarum craſſitudine, quâ nobis cœlum & ſolem eripiunt. Aut, cum in tantam molem coacerventur, cur guttatim deorſum, & non torrentis inſtar, decidant, non aliter, quàm ſi lacum in aëre pendentem fingamus, qui totus ſimul, ſi fortè decidat, proruerет? Neque ſe quicquam adjuvant recentiores nonnulli, qui, cùm quemadmodum nubes, ut lacus in aëre pendeat, non intelligant, pluvias non guttarum diſſolutione, ſed coalitione fieri finxerunt, quaſi nunquam grandior aquæ moles coiverit, quàm quæ guttulam conſtituat quæ quoque gravitate ſuâ decidit. Idem enim de ipſo mari, atque fluminibus, ſimili ratione comminiſci liceret, ſcilicet non plus aquæ cohærere, quàm quæ ſingulas guttas conſtituat; eâdem enim craſſitie confertas eſſe nubium particulas indicium eſt, quòd non minus viſum intercipiant. Si verò tam arctè nubes, quàm flumina coacerventur, dicant, quî magis, quàm lacum, aut ſtagnum, in aëre ſuſpenſum hærere intelligant? Et quî, ſi deorſum ferri contigerit, tam lentè in guttas diſſolvatur, & tota aquæ moles non illicò uno Torrentis impetu proruat? His autem omnibus ſatis feciſſe ſe cenſet Philoſophus, ſi nubium, & pluviarum, Solem, cauſam effectricem, Vapores materialem dixerit, quos ſurſum, neſcio quî, in aëris regionem tollit, quò cum pervenerint, in nubes forte denſantur, quæ, in aquæ guttas ſponte ſolutæ, rurſus in terram decidunt, quaſi cùm rem factam eſſe ſimpliciter narraverit, omnes cauſas quibus, & quemadmodum fiat, exploraſſet. Eodem planè modo, quo eandem rem confecit Lucretius;

Lib. 6.

*Nubila concreſcunt, ubi corpora multa volando,*
*Hoc ſuper in cœli ſpatio coiëre repentè*
*Aſperiora: modis quæ poſſunt indupetita*
*Exiguis, tamen inter ſe compreſſa teneri:*
*Hæc faciunt primùm parvas conſiſtere nubes:*
*Inde ea comprehendunt inter ſe; conque-gregantur;*
*Et conjungendo creſcunt, ventiſque feruntur,*
*Uſque adeo, donec tempeſtas ſæva coorta eſt.*

Et

Et sic suis rationibus semper defunguntur Mechanici, ut cùm rerum eventus, quomodocunque fiant, solùm narraverint, omnes eorum causas investigavisse se insolenter gestiant.

SECT. XXIV. De rationibus, quibus in utramque partem disputatur, æternúsne fuerit mundus, an aliquando cœperit, nihil opus est dicere, cùm aut meris conjecturis, aut levissimis argumentis utrinque pugnetur. Qui mundi adolescentiam asserunt, vetustissimæ historiæ novitatem urgere solent. Si enim, inquiunt, innumerabilibus sæculis extiterit humanum genus, quamobrem supra paucas ætates nulla omnino rerum monumenta supersint?

*Cur supra bellum Thebanum, & funera Trojæ*
*Non alias alii quoque res cecinere Poetæ?*

His autem respondetur, rerum præteritarum memoriam oblivione obrui & deleri posse, aut gentium migrationibus, aut diluviis, aut incendiis, aut aliis quibuscunque ejusmodi cladibus. Quibus quæcunque in Respub. collectæ fuerant hominum socïetates, novas sedes exquirere, &, primis à migratione sæculis, magno labore terram subigere, atque victum parare coguntur. Quo solo casu facilè in oblivionem venire censent, quicquid ante migrationem contigerat. Cujus conjecturæ verisimilitudinem prolixâ disputatione disseruit Aristoteles: Quanquam temporum antiquiorum oblivionem nulli casui tam æquè, quàm seræ literarum inventioni imputari posse putarem, cùm solo earum usu rerum æternitas fulciatur. Eas itaque quamdiu nescîverint homines (quas tamen semper nescire possent) monumentis nihil mandare potuissent, &, si non potuissent, neque rei cujusque memoriam diu conservare, cùm, quæ ore duntaxat fiat, citò pereat rerum *traditio*. At, inquies, si sempiterni fuerint homines, quamobrem literas non priùs invenirent? Id autem de Arte Typographicâ, de Pyxide nauticâ, de Tormentis bellicis cur non percontaris, cùm scilicet sex

Meteor. l. 1. c. 3.

mille annis extiterit hominum genus, ea non ante pauca secula inveniri contigit? Multæ fortasse futuræ sunt artes, quæ, nisi tempus defecerit, innumerabilibus ab-hinc sæculis inveniantur, & multæ fortasse esse possent, quæ nunquam. Et fieri quoque potuit, ut in literarum usum, aut artem typographicam nunquam incidissent. Quod si fortè contigerat, certò perierant rerum omnium antiquiorum monumenta. Cùm itaque sine literis diuturnæ memoriæ nihil tradatur. Et cum prorsus fortuita fuerit illarum inventio, fieri quoque potuit, quantâcunque ætate fuerit Mundus, novam & recentem esse rerum Historiam. Non aliter quàm quidam novi orbis incolæ, qui nullam rei cujusque retrò actæ memoriam, supra avorum, & proavorum ætatem, habuerunt. Cùm itaque conjecturas, nequidem probabiles, in tam præclaro argumento nihili habeamus, hujusmodi disputationes viri docti sequantur, ipse solâ ratione veritatem exquiro, neque cum quovis, nisi qui physicis argumentis pugnet, quicquam controversiæ habere volo. Quanquam tam levia sint, quæ affert *Aristoteles*, ut res jam planè confecta videatur. Quem enim morentur putidissimæ istæ de motus & temporis æternitate rationes? Aut quenquam sibi largiri putat sempiternum esse motum, & nullam esse durationem, nisi quam sempiternus motus metiatur? Cùm enim sempiternum esse motum sumpserit, annon sempiternum quoque mundum fuisse sumpsit? adeo ut si ipsius Mundi æternitatem sumpsisset, postulatum nihilo magis emendicatum usurpasset, quàm cùm, ut æternus sit motus sibi detur, postulaverit. Et cùm deinde durationem omnem, motûs effectum esse definiverit, quid aliud quàm ipsam rei notionem anticipatæ suæ opinioni accommodavit? Cùm prius motum & mundum semper fuisse statuisset, atque igitur nullum unquam esse potuisse tempus, nisi quod motus, cùm sempiternus fuerit, metiatur. Et denique, cùm *Anaxagoram* interroget, si *Mens divina* mundum aliquando extruxerit, quid isto temporis momento moverit, quod per innumerabilia sæcula movere non potuit? A causâ liberrimâ interrogandum non esse superius diximus, & cuique sat esse dici-

mus,

mus, si optimo consilio extructum fuisse viderit, id etiamsi quâ ratione ineatur, non intelligat. Nunc verò, cùm quemadmodum sine Conditoris arbitrio, Mundi structuram conficere Philosophus ipse potuit, viderimus; ipsum eâdem difficultate, quam nobis exprobravit, urgeri, & quidem obrui videbimus, quòd quamplurima in mundo fuerint *Phænomena*, quæ à nullâ causâ, nisi arbitrii libertate provenire potuissent; ut ex istis solis rerum naturam nullâ brutâ necessitate, sed causâ, quam intellectu pollere, quòd libertate polleat, fieri intelligamus. Quid enim aliud Universi locum, in omni spatii immensitate, definire potuit? Quid cœlestium orbium numerum? Quid figuram? Quid motûs rationem? Quid stellarum copiam? Quid situm? Quid Solis orbitam, ut ab Ortu in Occasum jaceat, potiusquam à Septentrione in Meridiem, aut ab Occasu in Ortum, aliaque hujusmodi innumera, quæ nullâ causâ, nisi quæ libertate prædita sit, definiri possent. Quanquam enim, summus Mundi Opifex, in omni opere, ad finem collimaverit, tamen cùm eundem variâ & multiplici ratione obtinere possit, ex omnibus unam suo solo Arbitrio elegit. Ita quanto omnium emolumento Solem extruxit, diximus, atque istuc consilii opus est. At quòd ejus cursus ab Ortu in Occasum potiusquàm ab Occasu in Ortum; quòd non à Meridie in Septentrionem, aut à Septentrione in Meridiem feratur, solâ arbitrii optione definivit, cum utrâcunque viâ consilii sui finem pariter assequi potuisset. Atque hâc demonstrandi ratione, Judæus olim Philosophum adortus est: Mundum ipsum docere se, non modò *ex intentione intendentis*, sed (ut ipse loquitur) *ex appropriatione appropriantis*, proficisci, *i. e.* causam habuisse, quæ non modo consilio operatur, quatenus ad certos fines respexerit, sed electione, quatenus proprium cujusque rei modum decreverit. "Videbis (inquit) in libris ejus (Aristotelis) il-"lum conari nobis disponere, & ordinare existentiam "orbium cœlestium, ita ut omnia sint per consecutio-"nem, & necessitatem naturalem, non autem ex libera "voluntate, sive ex intentione intendentis, & appropriati-"one appropriantis, Verùm nequaquam adhuc perfe-

Maim. more Nevoc. part. 2. cap. 19.

"cit, quod quæsivit, neque etiam in sempiternum id
"faciet. Nam conatur causam addere, cur Cœlum mo-
"veatur ab Ortu, & non ab Occasu? Cur item quidam
"orbes velociorem, quidam tardiorem motum habe-
"ant? quòd videlicet id proveniat ex adversâ, à su-
"premâ sphærâ, distantiâ. Denique cur septem Pla-
"netæ tot habeant sphæras, & reliquæ stellæ fixæ om-
"nes tantùm unam? Horum, inquam, omnium causas
"conatur reddere Aristoteles, eaque secundùm ordinem
"naturalem, & necessarium disponere; verùm, prout di-
"ctum, nequaquam rem perfecit. Nam videmus quan-
"dam sphæram velociorem motum habentem, aliâ supe-
"riorem esse tardiorem habente; & vice versâ, aliam
"tardiorem motum habentem, superiorem aliâ velocio-
"rem motum habente; alias item motus habere æqua-
"les, etiamsi una altior sit, quàm altera. Majori au-
"tem admiratione digna est ratio Stellarum illarum in-
"numerabilium, quæ sunt in sphærâ octavâ, quæ omnes
"sunt globosæ, & earum quædam parvæ, quædam mag-
"næ, una hic, alia alibi, cubiti quasi distantiâ ab illâ
"remota, ut quidem nobis videtur: hic decem unà con-
"junctæ, & coacervatæ, alibi in spatio magno nulla pla-
"né. Quænam enim hìc causa est, quæ huic spatio de-
"cem stellas assignavit, & aliud spatium vacuum, om-
"nique stellâ destitutum reliquit? Præterea, cùm Cor-
"pus sphæræ totum sit unum, simplex, & sine omni dif-
"ferentiâ, propter quam causam hæc illius pars magis
"conveniens fuit huic stellæ, quæ in eâ existit, quàm
"alia? Hæc omnia, & quæ alia sunt hujus generis, dif-
"ficilia sunt admodum, quinimo propè & impossibilia,
"si credantur esse de necessitate à Deo Opt. Max. si-
"cut videtur Aristoteli. Si verò credatur illa esse ex
"intentione intendentis, qui ea sic fecerit, nihil quic-
"quam sententiæ inerit vel miri, vel absurdi.

Atque alia istiusmodi quamplurima loco allato vi-
dere licet. Quo quidem Argumento Græculis omnibus
plus sapuit unus Judæus, & quidem tam arctè urget, ut,
alias quascunque finxerint hypotheses, uno ictu evertat,
cùm mundi ordinem nunquam ita conficiunt, quin mul-
torum

torum rationem soli Conditoris libertati reliquerint, ut quidem summa ista Arbitrii libertas, quâ res quasque, quæ aliter disponi poterant, suo disposuit modo, non multò minus divinæ Providentiæ argumentum videatur, quàm admirabilis ista sapientia, quâ omnia tam commodè, tamque pulchrè in emolumentum cùm Universi, tum cujusque ejusdem partis conspirare fecit. Si verò penes Providentiam, quæ summâ & sapientiâ, & libertate polleat, sit mundi regimen, & imperium, tali certè Numine gubernamur, cui omnis cultus, & obsequium debeatur.

SECT. XXV. Jam verò, si varias mechanicorum opiniones contulerimus, omnes in unam, eandemque sententiam consentire videbimus. Quanquam enim *Aristoteles*, & *Epicurus* in maximè diversas, & quidem contrarias sententias abiisse videantur, cùm hic omnia *casu & fortunâ*, ille *fato & necessitate* fieri statuerit, in eandem tamen disciplinam planè conspirant utrique, quòd solâ cæcâ & brutâ materiæ *necessitate* omnia conficiant; Cùm enim *Epicurus* rem solo casu confecerit, tales ubique casus attulisse gestit, quales inevitabili necessitate, ab ipsâ atomorum naturâ, eventuros esse demonstrare se putat. *Aristoteles* autem, cùm fato omnia stare dixerit, eam causarum, & effectuum seriem, quæ ex ipsâ rerum naturâ nascitur, intellexit; & propterea, sicut *Epicurus* omnia naturalibus atomorum motibus, ita hic similibus Elementorum mutationibus rerum omnium ortus & interitus conficere voluit. Atque ut ille eo modo mundi Ordinem constitutum esse voluit, quo naturæ indole ipsæ se atomi collocarent; ita *Aristoteles* eo, quo sua Elementa insitis suis viribus seu sponte se conferrent. Et quanquam *Cartesius* mediam inter utramque viam calcare visus sit, utrique tamen accessit. Cùm enim mundum solo materiæ motu factum esse vellet, *in hortis* somniavit; cùm certis, & fatalibus mechanismi legibus, *in Lyceum* transit; sive vero factum, sive infectum esse statuerit, dum solis materiæ legibus constitutum, & designatum esse censeat, cum utroque convenit. Adeo ut eadem sit omnium instituti disciplina & ratio, nisi quòd sibi suâ con-

jecturâ quisque placeat, quibus non longiùs, quàm cujusque sectæ discipuli, quorum quisque peculiare suum dogma habere solet, ab invicem abire videantur. Utcunque autem in cæteris dissensisse contigerit, si in hâc opinione conspirarint omnes, solis materiæ viribus, omnem Naturam & fieri, & gubernari, eandem omnes impietatis disciplinam docere, & adornare moliuntur. Quàm autem bellè, & mechanicè, suam quisque fabellam expedivit, satis jam dictum esse arbitror, quanquam summa tantum rerum capita secutus sim, multoque plura, quàm dixi, omiserim, quòd tam putidis, & futilibus, sine nauseâ diutius hærere nequirem: Quicquid enim dicunt, dixerunt, dicturi sunt, tam gravem fatuitatis fœtorem olet, ut nemo sit, qui mediocriter sapiat, cui fastidium, imò & bilem, non commovere debeat. Cùm enim homines, qui summam gravitatis speciem simulant, fabulas tetriores, quàm quas per lusum, & jocum decantant Poetæ, maximâ cum insolentiæ indignitate orbi obtrusisse videamus, de tanto humani generis contemptu, tantâque eruditionis labe non indignemur? Atque soli sunt insolentes isti Sophistæ, qui impias suas disciplinas vænum exposuere, nullo pretio nisi ut suæ Sectæ ipsi Magistri, & principes habeantur. Neque spe suâ vani homuncionum utres omnino ceciderunt, cùm discipulorum turmas semper habuerint, qui eos aut impietate, aut (quod plerumque fit) levitate sequantur. Et quidem fatuo cuique facilius nihil est, quàm sui nominis sectam exordiri, modo quicquam, aut impium, aut novum, aut seditiosum docuerit; cùm desit nunquam ignavum hominum genus, qui, ut ipsi quoque sapientes videantur, per omnem ætatem nil, nisi magistri sapientiam mirari, & deprædicare nituntur. Sic olim tota pæne Græcorum natio hâc vecordiâ capta prorsus insanire videbatur. Nil, nisi circumvolitabant, ut quid novi audirent, & si quid à Vitilitigatore quovis fortè accepissent, cuique qui obviam iret, narrare, &, nisi assentiebatur, rixari, & si contraveniret, pugnare: ut profecto Philosophorum scholæ nil, nisi tot, hominum non dicam, sed bajulorum pugnantium palæstræ videantur. Potissimum si Athenas perambulaveris, ur-

bem

bem bello civili flagrare putares, cùm totam tumultu, & discordiâ fremere, cùm cives ubique se mutuò conviciis insectari, cùm vultu incenso, & compressis digitis minari, cùm denique se invicem pugnis, & calcibus proscindere vidisses. Et primùm si ad Philosophorum scholas (ut solent eruditi) profectus fuisses, hinc Epicureos Stoicis, barbis prehensis, colaphos impingere, inde Stoicos baculorum, & fustium ictibus Epicureos repellere inveneras. Si inde perterritus in triviam confugisses, *Protagoram*, collectâ è macello fæce comitatum, in *Socratem*, & *Platonem* qualia solent bajuli, convicia facere, audiveras. Mox si è latiore viâ in angiportum flexisses, *Diagoram*, servulorum turmâ stipatum, iisdem conviciis, quicquid sit Numinis lacessere: atque inde si fortè in forum olitorium te contulisses, *Areten Aristippi* cùm suâ linguaci & garrulâ *Amazonum* legione obscænè in omnem virtutis, præsertim modestiæ cultum debacchari. Immò si quæ in urbe loquacitate antecellerent mulierculæ, relictis acubus, & speculis, omne tempus ætatis in scholis conterere videras, cum Philosophis controversia collisis manibus inire, silicerniis in barbam contradicere, & nisi antevenerit ætas dentes excutere seu (ut loquitur Plautus) ipsum os exossare. Et si è Scholis domum calentes secutus fuisses, matres-familias cum ancillis, & pedissequis concertare jurgiis audiveras, non de neglecto penso, non de cubiculi sordibus, non de malè abstersis patellis, non de culinæ purgamentis; sed an mundus aliquando ortus sit; & si ortus, an è nihilo, an è principiis; & si è principiis, an Atomis, an Elementis; si ex Atomis, è similibus, aut dissimilibus; si ex Elementis, quot sint, quî misceantur, quasque habeant qualitates? Inter quos clamores, non audiuntur puerulorum lacte carentium ploratus, olla in focum exæstuat, sistitur veruculum, esculenta assata torrentur, mensa linteis non sternitur, non verritur cubile, non componuntur stragula, omne denique rei familiaris ornamentum, omneque nitoris, & munditiei studium negligitur. Atque sic omnia pessum ire sinit fœmina literatrix, donec infælix maritus, cùm nec prandium, nec cœnam, nec lectum paratum,

tum, ut oportet, habeat, eam cum totâ suâ ambulatricum caterva rursus colo, & stamini alligaverit. Atque nobilem hunc exitum, fructumque habuit otiosa, & loquax ista Græculorum Philosophia, ut perennem muliercularum garrulitatem exerceret. Et quid mirum? cùm ipsi Philosophi, abjectâ omni veritatis curâ, solam contentionem conquisiverint: adeo ut alter ab altero verbis quibusdam dissentire visus sit, solùm ut uberiorem disputandi campum, & copiam haberent. Ne verò quicquam de *Peripateticis*, *Cyrenaicis*, & *Epicureis* dicam, quos nullâ nisi inanis arrogantiæ causâ à *Socrate* in impiam sententiam abiisse diximus; nonne *Stoici* morali Philosophiâ ab omnibus totâ Sententiâ abire, & prorsus novam, atque antea inauditam, de ratione boni, malique, disciplinam ferre profitebantur, ut nihil bonum, nisi quod honestum, malum nihil, nisi quod turpe censuerint. Atqui tamen cum innumerabilibus quæstiunculis, & distinctiunculis se torserint gravissimi pueri, aliis verbis in eandem sententiam cum aliis omnibus consensêre. Sic enim corporis robur, amicos, divitias, cæteraque vitæ commoda, quæ alii *bona* appellare solent, ipsis προηγμένα, sive *præposita* appellare placuit; atque inopiam, ægritudinem, inimicitias, aliasque fortunæ ærumnas, quas alii in *malis* habuere, ipsi ἀποπροηγμένα, sive *rejecta* haberi vellent. Atque inusitatis istis verbulis, quæ quid sonent, nemo intelligit, vertitur maxima ista de boni, & mali finibus, inter *Stoicos*, aliosque omnes controversia.

Sect. XXVI. Cùm itaque tam inani levitate *Græci* omnes Philosophiam susceperint, nollem eorum autoritatem tanti, in re quaque, inter eruditos haberi, ut eâ solâ quid verum, quid falsum, judicetur. Cùm, paucis exceptis, qui *Patrem Socratem* secuti sunt, alii omnes solâ aut impietatis, aut vanitatis causâ Philosophiam coluêre. Atque potissimum *Aristotelis* autoritatem, quam maximam inter Theologos obtinuit, non modo, imminutam, sed funditus eversam esse vellem, ne (quod plerunque contigit) ea decreta in suam Theologiam asciscant,

ſcant, quæ ipſe eo duntaxat fine, rata vellet, ut iis omnem pietatis cultum labefactaret. Atque hinc nata in Scholis horrenda, & fatalis iſta Theologia, quæ omnem Providentiæ vim, & imperium tollit. Cùm enim ab *Ariſtotele* acceperint, Deum, cùm ſit immobilis, actum purum, omniſque potentiæ expertem eſſe; nunquam in potentiâ ad quippiam agendum fuiſſe, quiquid egerit, actum potentiam anteceſſiſſe, atque actu ſemper egiſſe, aliaque ejuſmodi quam plurima, quibus docere vellet Philoſophus, Deum nihil conſilio aut electione, ſed ſempiternâ neceſſitate operari, neque quicquam in omnia ſæcula cogitare, aut velle poſſe, niſi quod ab æternis ſæculis cogitaverit, & decreverit; denique quicquid agat, eâdem agere neceſſitate, quâ ipſe exiſtat. Quibus, quid ſequitur, vidit Philoſophus; Theologi verò, illius autoritate cæcati, videre aut nolunt, aut nequeunt. Atque ſceleſtiſſima hæc dogmata, ſic ut caput, & vitam, defendenda putant, ne (ut aiunt) divinæ ſimplicitatis, & immutabilitatis perfectiones non tueantur. Si enim, inquiunt, quicquam quod ab omni æternitate non egerit, agat, neque ſimplex, neque immutabilis eſſe poſſit: non ſimplex quòd (ut inquit Philoſophus) ex actu, & potentiâ componatur; non immutabilis, quod cùm agat, à non agente in agentem mutetur.

Met.l. 14. c.6.

Quid autem noxæ Dei ſimplicitati afferat? an quòd quævis actio ſuæ naturæ pars fiat, atque intimam illius eſſentiam ingrediatur? Id verò quâ neceſſitate, niſi quòd Ariſtoteli ſic placuerit? Ipſe enim Deus, quicquid eſt, ſempiternâ neceſſitate fuit, quaſcunque itaque actiones eliciat, cùm ſint liberi duntaxat voluntatis effectus, alienæ ſunt prorſus ab ipſo naturæ, qui ſemper, & neceſſariò totus extitit. Neque refert, quicquid nugantur, ſit actio *immanens*, an *tranſiens*; licet enim in ipſo efficiente maneat, non tamen in illius Naturam tranſit. Sic cùm quicquam quiſque velit, iſta certè optio animæ ſimplicitatem non imminuit; neque cùm quis Peripateticus quicquam elegerit, ſibi aliquid novi Naturæ ſuæ acceſſiſſe perſuadeat: atque adeo ſummi Numinis decreta cùm ſint ſolius arbitrii, & voluntatis opera, ad illius naturam

non magis attinent, quàm quæ extra se efficiat. An verò aliquid in Deo sit, inquies, quod non sit ipse Deus! Immò certè (quicquid Aristoteles atheus statuat) si quicquam velle, aut cogitare valeat, actiones suas à se ipso distinctas in se habere necesse est; si in quâ re esse dici possint, quæ cùm, ut fiunt, transeant, neque diutius, quam fiant, permaneant. Saltem verò, inquies, Deus è *potentiâ*, & *actu* compositus foret, à quâ Opinione abhorrendum docet Philosophus. A quibus autem opinionibus abhorreat, novimus; quis verò illius autoritate tam ineptos, & fatuos homines fieri putaret, ut potius omnem Providentiæ vim, & potestatem sublatam esse vellent, quàm de futili & stulto impii Philosophi Axiomate dubitare? Si quæ enim sit omnino Numinis Providentia, potestatem aut decernendi, aut faciendi, quod sibi visum erit, habeat necesse est: at tamen (proh Deum immortalem!) ne qua omnino in te sit *potentiâ*, nihil te agere posse, nisi quod ab omni æternitate egeris, cautiores quique dicent Theologi! Atqui porrò insistunt, si actio, etiam & passio Deo inesset, cum doceat Philosophus omni actioni suam passionem comitari. Primùm esto, an non itaque cùm æterna sit Dei actio, æternùm quoque pateretur. Deinde fallit vir impius, & fallitur, qui nulli instituto omnia disciplinæ suæ axiomata accommodavit, nisi ut omne Providentiæ regimen, & imperium tolleret. Tu itaque Lector, ipse in te experiare, an quid cum de re quâvis cogites, aut decernas, patiaris, atque ut expertus fueris, de Philosophi effato judices. At postremo, inquiunt, si quid perficiat Deus, quod antea non fecerit, mutabitur. Quid? an mutabitur Natura? Nequaquam, inquiunt. Itáne? ista autem mutatio est, à quâ ut Deum vindicaret vester Philosophus, Providentiam sustulit. An mutabitur Voluntas? Quid, an ut quicquam velit, contrà quam antea voluerit? ista quidem mutatio quandam suæ sapientiæ labem afferret, at nullam aliam, etiamsi mille subierit, quæ noceat, ipse novi. Ut verò quid agat, quod antea non egerit, ejusmodi mutatio est (si mutatio dicenda sit) quam, si quâ omnino arbitrii potestate polleat, subire necesse est. Cujus,

jus libertatis facultatem nisi summo Numini, atque illius usum nisi Numinis Providentiæ tribuamus, inane est utriusque nomen, omniaque eodem modo eveniunt, quo Athei evenire statuunt. Ut quidem unica sit in omni religionis negotio controversia, an necessitate fiant omnia, necne? fieri ipsa Atheorum sententia est, sin aliter, jacta sunt Virtutis, & Pietatis fundamenta; Quæ quanquam tam perspicua sint, ut nihil magis, tamen quanta, Deus Bone! Theologorum cohors divinæ Providentiæ libertatem labefactari mallet, quàm ut periclitetur fatalis istius Disciplinæ authoritas, quam solâ impietatis causâ conquisivit Philosophus. Quàm autem non modò impius, sed & futilis disputator fuerit, jam satis diximus.

DIS-

# DISPUTATIO QUINTA.

## *A Generis humani Ortu & Corporis humani structurâ Deum esse demonstratur.*

SECT. I. HActenus summam Divinæ Providentiæ sapientiam, quam cùm in pulcherrimâ totius Mundi fabricâ, tum in quâque ejusdem parte, exhibuit summus omnium Opifex, explicuimus. Atque tanto cum fructu & utilitate ipsum Mundum, quæque in eo sunt omnia parata esse tam clarè demonstravimus, ut simul nullâ fortunâ, nullâ necessitate, nullâ causâ nisi quæ summo ingenii mentisque acumine enituerit, effici potuisse demonstraverimus. Et quidem tam varia tamque præclara sunt ubique optimæ & solertissimæ Providentiæ spectacula; ut qui aliò referre laborent, planè non minori impudentiâ stupore se expediant, quàm si Solem, Lunam, & cætera astra in Cœlo esse negaverint, cùm non tam illustre sit illorum Lumen quàm sit rerum Naturæ usus. Atque in quàm incredibiles delirationes præstantissimi quidam Philosophi, saltem quorum potissimùm viguére nomina, quique alios ingenio anteire putantur, solummodò quòd id vellent conari, præcipitaverint, superius vidimus. Ut nulla stultitia, nulla superstitio magis credula esse possit, quàm sit ista quæcunque Philosophiæ ratio quæ sine Numine adornatur. Cùm verò ab Universitatis ad Animantium fabricationem venerimus, quàm exultare, quàm triumphare debet oratio! Ea enim est Argumenti copia, ea ubertas, ut etiamsi nihil exaggeremus, omnia dicendi ornamenta, verba omnia, quæ in admirationem rapiant efflagitet. Quanquam ea quoque sit illius perspicuitas ut omnem orationis ornatum aspernari videatur: Majora enim & clariora sunt

Providentiæ phænomena, quæ in vilissimo quovis animalculo, quàm quæ in Sole, Lunâ, Cœlo, Terra, Mundo denique universo cernuntur. Sume formicam, & contemplare paululum quanta contineatur in istâ cuticulâ partium varietas, quantus organorum apparatus, quam commodam molem, connexionem, situm quæque pars obtineat, quàm promptè suo usu ac munere perfungatur, quàm mirabilis sit membrorum structura, quàm utilis intestinorum dispositio, quantus sit oculorum vigor, quanta pedum celeritas, quàm commodè articulis crura distinguantur, quàm incredibili subtilitate venter, cor, venæ, arteriæ, nervi, musculi disponantur, quàm abundè suis functionibus inserviant, quantam spirituum copiam gignant, quæ ad generationem, nutritionem, appetitum, motum eumque celerrimum & ferè perennem, omnesque vitæ usus & opera semper præstò sint, quanta denique vitæ vis, quanta agendi facultas tam exiguæ moli insit & vigeat, si inquam hæc omnia perspexeris, & nisi exquisitissimam istam Opificis solertiam, quam nulla ars humana, nulla ratio assequi potest, mireris & obstupescas, truncus es, non cute non corio obductus, sed cortice obducendus.

Si quæ itaque à Philosophis spolia superioribus disputandi locis ceperimus, tantum abest de iis quicquam triumphi agamus, ut priusquam insignem hunc locum aggrediar, quicquid obtinuerim ex ipsâ memoriâ abjicere atque deponere non recusem, cùm, ut dixi, ipsa Argumenti perspicuitas quicquam adjumenti mutuari aspernetur. Atque igitur Philosophi in suam quique hypothesin restituantur. Et primùm Epicuro dabimus non modo hunc quem videmus mundum sed & alios innumerabiles fortuitis Atomorum concursionibus factos fuisse; & ne non fiant, atomos prudenter admodum paululum à naturali gravitatis pondere deflexisse; dabimus immensum Cœli complexum corpusculis è Terrâ expressis atque nullâ causâ in sublime elatis extructum esse: Dabimus atomos terrestres quàm primum in Terræ globum coiverant, insitam suam gravitatis vim dimisisse: Dabimus varios ratos & constantes cœlestium cursus fortuitis ventorum flatibus gubernari: & ne omnia sequar, quicquid ipse præterea somniavit ultro concede-

cedemus. Dabimus Cartesio, si modò Deus materiæ motum impresserit, ipsam eas movendi leges sibi præscripturam esse, quibus tandem sine cujusvis Artificis consilio se in pulcherrimum hunc Mundi ordinem fabricaret. Dabimus nullas omnino esse rerum qualitates, quanquam esse sentiamus. Dabimus Terram Planetasque omnes eâdem facilitate quâ in aquâ ebulliente spuma nasci & interire. Dabimus sidera omnia ratos suos cursus eâdem ratione conservare quâ suos in aquarum vorticibus innatantes festucæ. Dabimus aquam Terræ idcirco supernatare, quòd oblongæ illius particulæ è Terrâ expressæ, ne redeant, in situm transversum se mutaverint. Dabimus Terram fornicis ad instar pulvisculis in aquam depluentibus exortam esse, & rursum fornicem istum aliquando, ne fiat vacuum, lapsum esse, atque illius ruinas in eam orbis terrarum faciem quam videmus fortè contigisse. Dabimus denique fontes & flumina fieri, quòd cùm vapores vi subterranei caloris in altum ferantur, & per easdem vias redire nequeant, in summa montium juga ascendant nullâ aliâ mechanicâ causâ, nisi quod ibi vias aliquantò latiores invenerint; & ne omnia sequar, sumat quoque quicquid præterea ipse somniavit. Postremò etiam Aristoteli dabimus Naturam quæ nihil intelligit, semper tamen sapientissimè operari, atque idcirco Cœlum in Orbem ferri, quòd cum motus circularis sit omnium perfectissimus, corpori omnium perfectissimo convenire oporteat. Deinde plures & varios fieri cœlestium motus, ne, si unus duntaxat foret, nihil nascatur. Tum Cœlum figuram rotundam sibi sumpsisse, partim quòd sit perfectissima, partim ne à tergo vacuum relinquat. Atque etiam ab Ortu per Meridiem in Occasum movere quod magis decora sit ista movendi ratio quàm contraria. Imò & solem atque sidera omnia neque lucem neque calorem in se habere, sed cùm sint nodi extra sphæras suas protuberantes, motûs impetu in aëre incendia ciere. Denique Cœlum primum innumerabilibus stellis exornari, reliqua omnia singulis, quod quantum dignitate antecellat, tantum pulchritudine anteire oporteat. Et reliqua omnia dabimus quæ de Elementis, de Elementorum qualitatibus, de terræ situ, de mari, de fontibus, de pluviis, de uni-

versâ rerum Naturâ lusit vir profanus. Atque hæc omnia cùm tam liberaliter dederimus, (& quæ major, ne dicam dissolutior esse possit liberalitas?) eos nihil nisi homines nasci nobis redhibere postulamus, quod si fecerint, eo solo causam obtinuimus; si negaverint, ipsi esse se negant. Inde igitur incipiam, homo cùm sis an sempiternum an aliquando natum esse te putas? Ne verò sempiternum dicas, ne risum moveas, parentum enim qui sint meminimus, dies natalis tabulis publicis perscribitur; sin verò contumax fueris, mors ingruens te refutabit, quòd si principio caruisses nunquam interire posses. At cùm tanto stupore esse nequeas, ut natum esse te tibi probem, te ergò non ita pridem natum esse confiteberis. At quibus Parentibus? Nos inquies eorum meminisse diximus. Rectè, at quibus isti? Suis inquies, & isti suis, atque sic retro in secula sempiterna. Sempiternum ergò inquis fuisse hominum genus, neque à quovis factum sed homines se æternâ serie genuisse. At istâ ratione non modò hominum genus, sed & singularem quendam hominem sempiternum, qui neque creatus neque genitus fuit, esse ais. Cùm enim non existat humana natura nisi in singulis hominibus, nisi sit singularis quidam qui ab æternis seculis fuisset, ipsum hominum genus sine initio esse non potuisset. Primus itaque iste humani generis parens, cùm genitus non fuit, aut creatus aut infectus; si creatus, ad Deum qui omnium sit Author pervenimus; si infectus, ergò & immortalis. At naturæ lege omnis homo mortali conditione nascitur, & nemo est qui mortalem se non sentiat. Si ergò quis immortalis sit, adeo ut neque ortum habuerit neque interitum habiturus sit, non homo sed Deus appellandus est, qui & ipse solâ præstantissimæ suæ Naturæ virtute semper vivit, atque humanum genus procreavit. At sit homo immortalis, quî genus suum in alios propagare poterat? Quî inquies? ut nunc quotidie hominem homine genitum videmus. Quî verò & istuc, cùm liberi nullo parentum consilio nascantur, imò cùm tantum absit quovis consilio in eorum fabricatione utantur, ut, quemadmodum omninò fiant, ipsi nequaquam intelligant. Et si fortasse vos Philosophi intellexeritis, vos quoque nullam artem adhibuisse intelligitis. Cùm itaque tantâ arte, nullâ autem

humanâ fiant homines, quis ſit iſte artifex qui eos tanto artificio conſtruxit quærimus, non ipſe homo qui quid ſit neſciat, ergo cauſa quædam homine ſuperior. Sive itaque ſempiternum hominum genus ſive aliquando ortum ſtatuas, eodem modo rem perfeciſti? Si ſempiternum, ſempiterna fuit generationum ſeries. Iſta autem quâ causâ inſtituta fuit? Si nullâ dicas, iſtuc eſt quod quærimus, quî tam præclara quæ in corpore humano cernuntur phænomena ſine causâ fiant; ſin quâvis, aut cæca, aut intellectrice. Si cæcâ, eadem eſt quæſtio. Si intellectrice, Deus eſt. Cùm verò æterna ſecula eſſe non poſſit hominum genus, niſi ut diximus ſit ſempiternus quidam homo, qui neque naſcatur neque intereat, ejuſmodi autem cùm eſſe nequeat, aliquando ortum eſſe dicendum eſt. Et ſi ortum, eadem eſt diſputationis controverſia, An causâ cæcâ an intellectrice? Cæca autem tantarum utilitatum quas dicturi ſumus eſſe non potuit; ſin intellectum habeat, rurſum Deus eſt. Qui itaque generis humani æternitatem ita aſſeruere, ut à nullâ causâ ortum habuerit, primum hominem quendam eſſe, qui nunquam aut natus aut interiturus ſit, aſſerere coguntur; quod cùm fecerint, deinde de cujuſque ab eo nati ortu nihil dicere poſſunt, niſi cuidam cauſæ intellectrici aſcripſerint. Cùm itaque tum totius generis tum cujuſque hominis cauſa ſit, ſi ſit Providentiâ prædita, Numen eſt; ſi ſit expers, quemadmodum efficiat, diſputemus.

SECT. II. Dicite igitur ô boni, quî primùm humanum genus naſcatur: Diximus, inquiunt. Qui verò vos eſtis: Olim inquiunt dixerunt tam Poetæ quàm Philoſophi. Ita quidem, atquî utri melius dicatis. Dicunt Poetæ è ſaxis à Deucalione & Pyrrhâ poſt terga jactis mares & fœminas naſci:

*Paulatimque animâ caluerunt mollia ſaxa,*
*Et maribus nudas oſtendit Pyrrha puellas.* — Juv. Sat. 1.

Dicunt Promethea primum è Terrâ finxiſſe.

*Quam ſatus Iapeto miſtam fluvialibus undis*
*Finxit in effigiem moderantûm cuncta Deorum.* — Ovid. Met. l. 1.

 Dicunt

Dicunt Jovem Æaci filii virique optimi precibus commotum formicas, quæ in annosâ quercu vagabantur in homines mutavisse.

Ovid. Met. l.7.

> *Vota Jovi solvo, populisque recentibus urbem*
> *Partior, & vacuos priscis cultoribus agros,*
> *Myrmidonasque voco, nec origine nomine fraudo.*
> *Corpora vidisti, mores quos ante gerebant,*
> *Nunc quoque habent, parcum genus est, patiensque laborum,*
> *Quæsitique tenax, & qui quæsita reservent.*

Dicunt denique homines glandium ad instar è quercubus *excidisse*:

Papin. Theb. 4

> *—Quercûs laurique ferebant*
> *Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit*
> *Fraxinus, & fœtâ viridis puer excidit orno.*

An hæc tu credis? Adeone inquis delirare me censes, qui talia Poetarum portenta credam? Quæ ergò meliora attulerunt Philosophi videamus. Non alias profectò quàm quas Poetæ fabulas finxerunt. Sententias itaque recites. Complures autem narravere. Nemo verò uberiùs quàm *Diodorus Siculus* & *Censorinus*. Diodoro duæ memorantur sententiæ, aut eorum qui sempiternum hominum genus extitisse, aut eorum qui fortè aliquando ortum fuisse statuunt. De priori diximus, non ita sempiternum esse, ut quoque infectum sit, nisi sit primus omnium parens & ingenitus & immortalis. Sin ab æternis seculis gignatur, vel à causâ rationis compote, quam Deum appellamus; vel experte, atque adeo ad alteram Physiologorum sententiam devolvimur, qui ut ibidem refert Diodorus, hominem è terrâ fortuitò & sine Architecto prodiisse statuunt in quâ, cùm mundi initio mollis & lutosa fuerit, atque post inflatam ac quasi fermentatam Solis calore superficiem, pustulæ quædam subtilibus pelliculis circumdatæ intumuerunt, è quibus tandem, cùm maturum accepissent incrementum, omnia animantium genera eruperunt. Cùm verò Terra subinde magis ab igne Solis constiparetur, nihil amplius majorum

Lib. 1.

jorum animalium in vitam producere potuit; ſed ex mutuâ commiſtione ſingula, generari cœperunt. Quæ quidem inter μυθολογούμενα meritò recenſet Diodorus, atque fabulæ ſimilia, quam de Sole Rhodi amore capto & ſeptem ex eâ αὐτόχθονας progignente memorat. Neque alia eſt, quam refert Sanchuniatho Phœnicum fabula, niſi quòd inſuper animantes fortè in Terræ utero efformatos tonitruum fragore è pelliculis excuſſos fuiſſe addant. Cenſorinus autem repetitis prius Poetarum fabulis ſic pergit. *Quidam ex ipſis ſapientiæ Profeſſoribus, neſcio an magis monſtruoſas, certè non minus incredibiles rationum ſuarum proferunt opiniones. Anaximander Mileſius, videri ſibi ex aquâ terrâque calefactis exortos eſſe ſive piſces, ſive piſcibus ſimilia animalia; in his homines concreviſſe, fœtuſque ad pubertatem intus retentos, tunc demum ruptis illis, viros mulieresque, qui ſe jam alere poſſent proceſſiſſe. Empedocles autem primò membra ſingula, ex terrâ quaſi prægnante, paſſim edita, deinde coiiſſe, & effeciſſe ſolidi hominis materiam, igni ſimul & humori permixtam. Hæc eadem opinio etiam in Parmenide, pauculis ab Empedocle diſſenſis. Democrito verò Abderitæ ex aquâ limoque primùm viſum eſt homines procreatos.* Seu (uti refert Lactantius) *vermiculorum modo de Terrâ nullo ductore, nullâque ratione effuſos. Nec longè ſecus Epicurus. Is enim credidit limo calefacto uteros, neſcio quos, radicibus cohærentes primùm increviſſe, & infantibus ex ſe editis ingenitum lactis humorem materiam miniſtrantem præbuiſſe, quos ita educatos & adultos genus hominum propagaſſe.* Id quod quoque cecinit Lucretius.

Euſeb. προπαρασκ. Lib. 1. Cap. 10.

De die natali. Lib. 1. Cap. 4.

*Creſcebant uteri Terræ radicibus apti,*
*Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas*
*Infantum, ſugens humorem, auraſque petiſſens,*
*Convertebat ibi Natura foramina Terræ,*
*Et ſuccum venis cogebat fundere apertis*
*Conſimilem lactis.*

Hæccine credis? Mallem profectò per jocum cum Poetis ſentire te diceres, quàm cum Philoſophis uſque adeo delirares; quam ergo malis ſententiam eligas. Quid de Empedocle

pedocle censes? Credisne membra singula primùm è Terrâ edita fuisse, tum deinde in corporis humani figuram coivisse? At quo semine orta sunt, aut quis cujusque membri fabricationem perfecit? Quis enim in brachio tam commodè musculos extruxit, ut omni motûs rationi inservirent? Quis ejus extremitatem in digitos distinxit: Quis digitorum internodiis musculos perforantes & perforatos inseruit? Atque cùm è Terrâ emerserit, cur potius humero se applicuit, quàm capiti aut coxendici? Et denique quî cùm magno illius osse articuletur? At tam excors esse nequis, qui credas singulis membris vitam aut motum aut quamvis functionem inesse posse antequam totius fabricæ aptentur. Quid ergo de Anaximandro? Quicquamne lucri fieri putas cùm è mari nos potiusquam è terrâ emersisse dixeris? An facilius Tritones quàm homines gigni arbitraris? Humani corporis fabricationem intueare, nihilque referre intelliges ubi extruatur, sed an quoquo modo sine Opifice extrui potuisset. Quorsum itaque fabulas fabulis accumulare pergas? Cur enim non ab initio terræ incolæ gigantur? Novum monstrum est ut è bestiis aquatilibus fiant terrenæ, atque ut pisces dum Terræ se assuescunt, tandem in homines mutentur. Missis itaque hujusmodi rebus nimium commentitiis, de solo ipsius hominis, quale animal eum nunc aspicimus, exortu perquiramus. Quid ergo tandem de Democrito & Epicuro, an homines vermiculorum more primùm è Terrâ fuisse procreatos? Te verò Epicure, qui ipse cùm fungus sine acumine, sine doctrinâ fueris, qui quæ sit interior corporis humani fabricatio, seu an quæ omnino sit nequaquam intellexeris, & quanquam omnes vitæ beatæ rationes in ipso ventriculo posueris, tamen quæ sit cœlestis ista fœlicitatis sedes, homo oscitans, ut fuisti, explorare nunquam cogitaveris. Te inquam si tam fatuè & quovis porco ineptius balbutieris, mirari nequeo. Quis enim à te qui Diis tuis membra humana sive externam corporis humani speciem sine quovis membrorum usu aut interiori fabricâ tribuisti, meliora efflagitaret? Sed miror potius hominem infantissimum, ut nobis pueris nutrices persuasisse memini, in hortulis Infantes nasci non credidisse. Tu verò Democrite, quem non modò virum doctum & acutum, sed & anatomicis dissectionibus

ſectionibus maximè exercitatum aiunt, tu inquam qui omnium animalium viſcera inſpexiſti, tu qui venas, qui medullas, qui abditas quaſque partes perſcrutatus es, nihilne tu videre poteras quod opificis rationem efflagitaret? An quid imprudenter, quid non concinnè, quid non affabrè, quid non optimè conſtitutum reperias? Quot ſunt in minimo quovis animalculo machinæ, quàm præclara cujuſque officia, quàm innumerabilis partium varietas, quantus organorum apparatus, quàm congrua ſingulorum magnitudo, figura, ſitus, & diſpoſitio, quàm apta ad invicem connexio, ut tametſi in exiguâ mole innumerabilia unà claudantur Organa, tamen tantum abeſt eſſe alterum alterius impedimento, ut quodque mutuo cujuſque auxilio adjuvetur. Quid ergò Artificis ſolertiam laudare poſſet, quod in animalium corporibus non reperitur? Quid tu ipſe deſiderares? An elegantiam, an utilitatem, an varietatem, an ſymmetriam? Dicas ergò quî tu ipſe quicquam niſi in deterius immutare poſſis. Ne itaque Anatomicus cùm fueris Epicuri more de mirabilibus Animantium machinis, quaſi nil niſi Offæ carneæ fuiſſent, nobiſcum agas, ſed ſingulas totius partes ut Anatomicum decet, percurre, & tum dicas quemadmodum omnium viliſſima quâvis causâ quæ ratione caruit, fabrefieri potuiſſet. At Lumbricorum more omnia è Terrâ effuſa eſſe inquis. Quanquam autem præclara multa ſunt in majorum gentium animantibus quæ in Lumbricis non reperiuntur, ſolùm viliſſimi iſtius Animalculi compagem, præſertim viſcera, inteſtina, & organa vitalia aperias, & quî fiat ſine Artificis ſolertiâ dicas; quod ſi dixeris, omnia quoque ſic fieri concedemus. Primùm ergò totam compagem muſculorum annularium catenâ conſtare reperies, qui fibris ſuis ad motum perficiendum contrahuntur & dilatantur: Deinde varios pedunculos inferiori parte ſortiri, quibus obambulare & perreptare valeat: Tum in ſummitate dorſi varia foramina, quæ pulmonum & trachearum ad inſtar inſpirationi inſerviunt. Si verò ab externâ compage ad inteſtina progredieris, primùm Proboſcidem, quâ Terram perforat, deinde oris hiatum omnibus ſuis ſe alendi inſtrumentis inſtructum, invenies, ſuperiùs cerebrum, inferius œſophagum, huic proximum cor, cordi vaſa

V. Cl. Williſ. de animâ Brut. C. 3.

vaſa ſpermatica, his ventriculum in tres regiones diviſum, horum infimo, inteſtinum ad caudam uſque exporrectum, à caudâ tubum quendam, qui hepatis munere fungitur, ad ventriculum perreptantem, ne quid de venis, de arteriis, de nervis dicam, quæ per totum corpus ad ſua quæque munia obeunda diſponuntur. Hæc omnia cùm perſpexeris, de bove, de elephanto, de homine nullâ te ſolicitudine urgebimus. Nobis itaque animalium iſtiuſmodi viliſſimorum ortum exprobrare deſinite, neque quod eorum Natalibus non adfuerunt Nutrices, nullius curâ edita fuiſſe putetis. Sed ab iis exordium ducentes ſi eorum ortum ſine ratione explicare poſſitis, ad noſtrum genus progrediamini. Denique cum *Myrmecidis* opuſcula abſque Opifice perfeceritis, tum, neque ante, quî *Dædali*, *Zeuxidis*, & *Polycleti* opera ſine artificio fingi poſſent dicere pergatis.

SECT. III. Ne verò vobis hâc durâ conditione nimium devinctis præripiatur omnis diſputandi facultas, è vinculis eximemus, atque igitur ſolum quemadmodum homines gignantur dicite. Mundi ergo initio locis quibuſdam paludoſis tumores ſive uteros quoſdam è limo calefacto increviſſe, quibus tandem perruptis omnium Animantium genus, etiam & homines editos fuiſſe dicitis. Cur verò ſolo Mundi initio? Cur non poſtea? Cur non hodie? Cur quæſo tam ſubitò deferbuére Naturæ vires, ut quæ primo ſeculo omnia animalium genera procrearet, omnibus, quæ ſecuta ſunt, nulla poſſet. Quæ enim ſponte (ut ipſi opinantur) inſecta, arbores, plantas atque id genus alia genuit, nunc quoque eadem gignit: Cur igitur in homine tantum deficeret ut per tot ſeculorum ſeries, nullum ſui Operis veſtigium, ſpecimen nullum exhiberet. Neque ſolo in homine, ſed in omnibus aliis animalium ſpeciebus obtorpuit vis illa procreatrix. Num enim non mirum videatur Equos, Boves, Elephantos, aliáque immenſæ molis animalia adeo ubertim è Terrâ olim effundi, per tot tamen ſeculorum ſeries ne quidem aut felem aut canem aut paſſerem inde erupiſſe. Quæ inquam tam ſubitæ mutationis cauſa eſſe potuit? Aut ſi tantum primâ Mundi ætate Natura fortè defecerit, cur quæſo ab eo tempore nihil magis

magis etiam nunc consenescens deficiat? Idem enim quolibet anno in Terræ frugibus procreandis valet, quod ante quinque millia annorum valebat; cur igitur, si ante complures annos homines genuisset, nunc quoque non annuatim gignat? Cum verò binos omnium parentes esse statuunt, Solem & Terram, uter quæso eorum consenuit? An Terra? Ita; Terra inquies olim omnium fœcunda sit temporis longinquitate effœta, ut quæ olim Animantia magna, nunc tandem nisi parva parturire nequeat. Sicut ager recens subactus suas fruges multâ luxurie effundit, qui tamen postea exhaustis viribus magis magísque languescit. At vos docebit quivis rusticus agrum, si à semente paululum requiescat, vires resarcire: Cur non igitur & ipsa Tellus? Quamvis enim Mater omnium appelletur, non tamen senectute ut solent mulieres sterilescit, sed eandem, quam ab initio habuit, sui constitutionem conservat: Perenni enim noctis & diei, hyemis & æstatis vicissitudine eadem conservatur calidi & frigidi, sicci & humidi temperatio, quâ solâ omnes fœcunditatis rationes continentur. Adeo ut eâ duntaxat sublatâ interiret omnis Naturæ vis prolifica; si enim aut calore superetur frigus, aut frigore calor, prorsus tolleretur debita ista temperatura quâ solâ rerum ortus perficiuntur. Cum itaque eadem sit semper Cœli temperies eadémque Telluris dispositio, cur non iisdem in locis quibus olim, exoriantur magni puerorum proventus. Quam quoque sempiternam Telluris juventutem (referente Philone) sic demonstravit Critolaus; Οὔπω καὶ ἡ γῆ γεγήρακεν, ὡς διὰ χρόνου μῆκος ἐστειρῶσθαι δοκεῖν· ἀλλ' ἐν ὁμοίῳ μένει νεάζουσα ἀεί· πίστις δὲ ἐναργὴς τοῦ ἀδιαστάτου καὶ ἀϊδίου περὶ γῆν ἀκμῆς, τὰ φυόμενα· καθαρθεῖσα γὰρ ἢ ποταμῶν ἀναχύσεσιν, ὥσπερ φασὶν Αἴγυπτον, ἢ τοῖς ἐτησίοις ὄμβροις, τὸ ἐκ τῆς φθορᾶς κάματον ὑπανίεται καὶ χαλᾶται, κἄπειτα διαναπαυσαμένη, τὴν οἰκείαν δύναμιν ἀνακτᾶται μέχρι παντελοῦς ῥώμης, εἶτ' ἄρχεται πάλιν τῆς τῶν ὁμοίων γενέσεως τροφὰς ἀφθόνους ἁπάσαις ζώων ἰδέαις ἀναδιδοῦσα, &c. *Terra certè nondum consenuit, ut præ senio effœta videri possit. Viget enim illa sui semper similis, ut ex indefessâ continuâque illius fœcunditate liquet. Irrigata enim vel fluminum restagnationibus, sicut Ægyptus, vel annuis imbribus exhaustas feracitate vires reficit, & quiete modicâ se refovet, móxque ut ante alimenta ubertim animantibus suppeditat.*

Περὶ ἀφθαρσίας κόσμου.

*Ita certè cui daretur pinnas aláſque ſumere, & è ſublimi campos colléſque inſpicere, quomodo herbas ferant & pabulum, hordeum & triticum, aliáſque ſpecies varias, vel agricolarum induſtriâ ſatas vel ſua ſponte provenientes. Præterea ſuaves auras è floribus iiſque divinâ arte pictis exhalantes; móxque deflexis ad arbores ſilveſtres oculis contemplari populos, cedros, piceas, abietes, procera quercuum robora, quæ tum montes maximos tum pleróſque agros eorum radicibus ſubjectos opacant; agnoſceret Terræ ſemper juveneſcentis vigorem, quàm nihil diminutum ſit è priſtinis ejus viribus, ergo nunc quoque homines pareret, ſi unquam antea paruiſſet.*

Quid ergo ſi non Terra fatiſcat? An Sol conſenuit? Sole autem nihil immutabilius: ipſe enim per omnia ſecula eâdem ad momentum uſque incitatione fertur; eodem lumine collucet; eaſdem tempeſtates efficit, atque in aliis omnibus eâdem vi, quâ ab initio operatur. Cur itaque in ſolis Animantibus deficiat? Quod inquiunt Pomponatius & Vaninus, non eadem ſit corporum cœleſtium diſpoſitio. Atquî corpora cœleſtia non ſitu ſed vi & calore in inferiora operantur; ſi igitur eadem ſit virium poteſtas, cur non & iidem effectus? Utut verò Solem & Lunam, qui omnium principatum obtinent, ad eadem Cœli puncta quovis annuo curſu redire conſtat, atque adeo eodem planè modo diſpoſitos fuiſſe. Reliquorum autem ſiderum influxus uſque adeo perexiguus eſt & loci varietate tam parùm immutatus, ut in rerum naturâ perexiguum poſſit efficere, ſi quam omnino mutationem. Ita quanquam ſydera fixa propter eorum in Orientem motum aliquot menſium ſpatio tardius quam anteà oriantur & occidant, nihilominus Anni tempeſtates Solis utique per Zodiacum curſui allegatæ nihil omnino variantur. Atque igitur cum rerum inferiorum generatio, non à remotis iſtis, qui noſtro Mundo non præſunt, perficiatur, cætera omnia pariter omnibus ſeculis naſcuntur: atque eoſdem fructus & arbores quas Terra olim, nunc ubique profert, idque iis in locis quos Cœli facies prorſus contraria intuetur. Cùm igitur alia omnia etiam in oppoſitis Terræ plagis eodem ſemper modo oriantur, unde quæſo tam inſignis virtutis animalium procreatricis mutatio eveniret, ut ne quidem rudia eorum tentamenta, quæ olim

olim tantâ ubertate procreaverat, nunc fit procreando. Fac autem diversam Cœli posituram id effecisse, ut quæ animalium genera olim orta fuerant, nunquam iterum oriantur: cur non alia aliis formis gignat? An non mirum videatur cùm tot tam mirifica olim protulerit, atque sit eadem agendi virtus, ut jam nihil aut tale aut simile valeret. Quid autem multis, cùm omnium nugarum nugacissimæ sint Astrologorum nugæ? Nullâ enim ratione nituntur, nullâ experientiâ confirmantur, sed se solâ impudentiâ & anicularum superstitione tuentur. Et quidem omnem Artis stultitiam eo & acumine & judicio redarguit magnus iste vir Petrus Gassendus, ut posthac Athei, si quicquam sapiant, in impietatis suæ defensionem accersire prorsus desierint; cùm quidem propriæ ipsorum Hypotheses, quantaeunque sint fatuitate insignes, Astrologorum fabulis longè superentur.

Phys. sect. 2. lib. 6.

SECT. IV. At si (ut loquuntur Poetæ) Cœli amplexu gravida fiat Magna Mater, quî tamen ad partum conceptiones pervenirent? Materia enim seminalis, quæ ad hominem fabricandum apta est, nullam aut caloris aut frigoris inclementiam ferre potest. Quî ergo insignem istam utriusque inæqualitatem, quæ inter medium diem mediamque noctem intervenit, impunè pateretur? Præsertim cùm in locis ipsi Solis viæ subjectis, ubi Terram hisce filiolis auctam fuisse fingunt, non minor sit diei & noctis, quàm sit apud nos hyemis æstatisque inclementia: Die enim maximo Solis ardore uruntur, nocte summâ frigoris extremitate algent. Quî ergo tantâ caloris & frigoris inæqualitate non labefactetur debita materiæ seminalis fermentatio, quâ aut impeditâ aut perturbatâ mox deletur omnis fœtûs fabricatio. Ne quid dicam de roris delapsu, de pluviarum frigiditate, quæ facillimè, præsertim conceptionis initio, innatum semini calorem everterent. Quid deinde cùm ad partum pervenirent Infantes? Quo cibo vescerentur? Lactis humor (inquiunt) unà cum iis è vesiculis erumpebat. Cur non etiam simul & Nutrices, fasciæ, & crepundia, & quicquid præterea eorum aut saluti aut voluptati inserviret? Quam breviter & argutè infantes lacte ali respondent!

Unde verò ministretur illos quid interrogas? semper enim si quid evenire dixerint, de physicâ illius causâ satis dixisse se arbitrantur. Cùm puer nascitur, lactari necesse est, unde autem lactis humor de die in diem suppeditabitur? fontes lactis scaturiunt ut in fœminis mammæ.

Lucret. lib. 5.

*Convertebat ibi Natura foramina Terræ,*
*Et succum venis cogebat fundere apertis*
*Consimilem lactis, sicut nunc fœmina quæque*
*Cùm peperit, dulci repletur lacte, quòd omnis*
*Impetus in mammas convertitur ille alimenti.*

Ritu profectò vestrûm veteri, ut quicquid fieri expedit, id fieri sine causâ necesse sit. Si lacte caruerint Epicurei, illius copiam effundet Terra; vinum quoque & oleum si opus fuerit credo effusura. At Natura paravit. Ergo non tam dura noverca est, quàm tu esse conquestus es, cùm in suæ sobolis alimentum nutritii humoris fontes ex ipsis Terræ venis in agros induxerit. At quænam est ista tam provida solersque Natura, quæ tanto Artificio omnibus, quæ genuit, cibos tam commodos, tam uberes, tam parabiles comparavit, nisi quòd Naturæ nomine hic, quod & ubique fit, optimam Providentiam inducant? At sic in Terrâ contigit, ut nunc in fœminis. Id quoque veteri vestrûm comparandi ritu, si quid quod casu vos factum esse dicitis, cùm quovis quod solertissimâ Providentiâ effectum sit contuleritis, eandem fuisse utriusque rationem concluditis. Sic vos de constanti Maris æstu interrogatos eodem modo quo conservantur æquabiles cœlestium cursus dixisse memini, quasi isti, quibus in Naturâ mirabilius nihil reperitur, nihil mirabile in se haberent. Ita nunc si quemadmodum Terra Lactis succum fundat, quæratur, eodem inquitis modo quo animantia prægnantia fundere solebant, quanquam id solâ nec nisi solâ Providentiâ factum esse posset, quò quæ genuit Natura, eadem in vitâ conservaret. Vos verò si solùm comparationem feceritis nullâ interim habitâ ad eam ratione, an conveniat, an toto genere discrepet, rem præclarè gestam esse putatis, ut demum eò redeat totius ratio, sic in Terrâ Lac nullâ, ut in animantibus summâ Providentiâ com-

comparari. At si unà cum pueris fortè nascatur lactis humor, deerunt Nutrices quæ iis in os inserant, cùm ipsi nisi aliorum ope se nutrire nesciant. Atque etiam cùm perruptis vesiculis sit omnis Lactis humor in Terram effusus, unde iste illius penus conservari potuit, quo aliquot menses, quibus Infans projectus aleretur. Atqui hanc rem acutè satis disseruit Lactantius. *Videamus* (inquit) *an idipsum quod dictitant, fieri potuerit, ut homines nascerentur è Terrâ. Si consideret aliquis quandiu, & quibus modis educetur Infans, intelliget profectò non potuisse Terrigenas illos pueros sine ullo educatore nutriri. Fuit enim necesse quampluribus mensibus jacere projectos, donec confirmatis nervis movere se, locumque mutare possent; quod vix intra unius anni spatium fieri potest. Jam vide utrumne Infans eodem modo & eodem loco, quo est effusus, jacere per multos menses valuerit. An non humore illo Terræ, quod alimenti gratiâ ministrabat, & sui corporis purgamentis in unum mistis obrutus, corruptusque moreretur?* Deinde quomodo vim immoderatam diurni æstûs & nocturni frigoris ferre possent? Nisi quòd ut inquit Lucretius

De Origine erroris, l. 2. c. 12.

> *Novitas Mundi nec frigora dura ciebat,*
> *Nec nimios æstus, nec magnis viribus auras.*

Lib. 5.

Quasi noctis dieique vicissitudines Solis ortu & occasu non semper eodem quo nunc modo redirent. At sic semper philosophiam tractant asoti isti, quasi Solem nec occidentem unquam viderant, nec orientem, quî enim aliàs cùm Sol adesset, non eundem semper caloris impetum, neque eandem, cùm abesset, frigoris inclementiam fuisse putarent? Cuiquam verò, quem unquam ussit nocturnum frigus incredibile videretur ut puer nudus atque frigido luto volutatus, totius anni spatio noctium ne quidem hyemalium inclementiâ enecetur. Adeo ut etiamsi primus iste generis humani parens sine parente nasci posset, tamen sine educatore mox à partu tot periculis & difficultatibus conflictatus nutriri non potuisset. At denique si sic nata & educata fuerint animantia, quî cùm adoleverint suum quodque genus propagare possent? Quod inquiunt cùm Terra nimio Solis igne constipata tandem fatisceret, ex mutuâ commistione

singula

singula gigni cœperunt. Hoc etiam, ut soletis, arguté! Quid enim num prospexit Natura ista quæ primùm procreavit, ut effœtâ Terrâ ipsa se in suo quodque genere procrearent? An non ergo optima Providentia est, quæ istâ ratione omnia quæ genuit in omnia secula conservaret? Num nulla causa rationis particeps effecit? Id autem est quod quærimus quî tam providè & solerter fiat ut omne animal suam in suo quodque genere familiam propagaret? Cùm enim incredibili arte fiant omnia, parentum autem nullâ, an non planè sequitur aliâ quâdam causâ, quæ ipsa & sapientissima sit & summâ artis peritiâ prædita fabricari? At vestri moris non est in causarum rationibus explicandis ad effectuum solertiam intueri, sed si quemadmodum fiant simpliciter narretur, quamobrem interim sic fiant nihil soliciti vos satis expediisse putatis. En ergo quàm præclarè rem agitis: interrogantibus quî tam mirabili arte animantia suam sobolem procrearent, responsum est quòd gignendi facultate prædita esse contigerit. At unde ista gignendi facultas,unica res est quam quærimus. Quis enim cuique animali membra isti muneri inservientia donavit? Quis cujusque generis sexum duplicem effecit? Quis utriusque organa ita accommodavit, ut cùm in variis generibus varia sint, in unoquoque tamen altera alteris aptentur? Quis ea intus vasa fabrefecit, quæ materiam seminalem per multos longosque ductus elaborarent? Quis denique eam eidem facultatem dedit, ut se sponte in perfectum animal fabricaret? Istæc ergo omnia quî contingant sine Providentiâ dicite. Quid autem secum pugnantius dicere possitis, quàm ut nullâ causâ consultrice fiant, eâ tamen solâ ratione fieri ut animantium conservationi consulatur? Quod etiam cùm dixeritis, adhuc tamen superest dicendum quâ viâ & ratione res tota perficiatur. At ista vestræ Philosophiæ summa est, rem quamque sic fieri quod sic fieri contingat. Quâ verò physicâ causâ & quemadmodum quodque fiat erudita vestra natio, quæ ista imprimis pollicetur, & de istis maximè gloriatur, tam thrasonicis promissis se quicquam devinctam esse non putat.

SECT.

SECT. V. Quorſum verò de his plura? cum ſint ipſa per ſe putidiora, quàm ut redargui refellíque mereantur. Neque equidem refutari quòd opus eſſe duxi, ſed ſolùm ut intelligatur quàm ridiculis & prorſus incredibilibus fabulis delectentur glorioſi iſti omnium ſcientiarum fundatores. Quo facto, pueriles eorum ampullas, quæ quovis halitu difflantur, non ulterius ſequemur. Sed cùm tam præclaræ tamque indubitatæ in omni corporis humani fabricâ reperiantur ſummi Artificii rationes, earum contemplatione admirabilem ſummi Opificis ſolertiam demonſtrabimus. Non quòd in animo habuerim omnem totius fabricationis uſum & ornatum explicare; iſtuc enim pro inſtituto noſtro opus nimis prolixum eſt, cùm ingens per ſe volumen efflagitaret. Atque igitur utinam cùm ætas noſtra viris doctis iiſque Anatomiæ peritiſſimis abundet, eorum aliquis idem nunc quod olim Galenus opus adornaret. Quanquam enim ille præclarè opere ſuo perfunctus ſit, adeo ut in omnibus philoſophorum ſcriptis nobilius fortè nullum extet philoſophiæ monumentum: Tamen cùm tam multa & prorſus ſtupenda miracula in omni pene corporis humani parte nudius tertius inventa ſint, ſi quis omnem illius deſcriptionem, qualis nunc habetur, per ſe exhiberet, præclarius certè nullum aut Numini aut ſibi monumentum condere potuiſſet. Quod cùm opus ſit magis jucundum quàm arduum, & plus ingenii quàm laboris poſtulet, pium aliquem Philoſophum aliquando ſuſcepturum non diffido. Interim verò ne argumentum tam nobile penitus prætercam, atque ut ſpecimen quoddam exhibeam, tum quàm inartificiosè ipſi Mechanici corporis humani ſtructuram expediant, tum quantâ Artificis arte expediantur in eo omnia, unam rem ſequar, de quâ hypotheſin minus fabuloſam ſe comminiſci arbitrantur; Corporis ſcilicet ductus & canales quos usûs causâ non extructos fuiſſe volunt, ſed liquore per eos fortè fluente excavari, non aliter quàm per agros aquæ ductus non naturâ parentur, ſed ipſis aquis, quæ, cum eo fortè ferri contigerit, temporis decurſu tandem ſibi cavitates efficiant. Cujuſmodi præcipuè ſunt Ventriculus & Inteſtina, Nares & Arteria Trachæa; venæ

De part. Anim. l. 1. c. 1.

& arteriæ; cerebrum & nervi. Sic de priscis aliquot Philosophis refert Aristoteles, ut Mundum inquiens casu temeritatéque generant, ita quoque de ortu plantarum & animalium sermonem instituunt. Οἷον ἐν τῷ σώματι ῥέοντος μὲν τοῦ ὕδατος κοιλίαν γενέσθαι, καὶ πᾶσαν ὑποδοχὴν τῆς τε τροφῆς καὶ τοῦ περιττώματος τοῦ δὲ πνεύματος διαπορευθέντος τοὺς μυκτῆρας ἀναῤῥαγῆναι. *Ventrem nempe alvum, omnéque cibi & excrementi conceptaculum, dum per corpus humor perlaberetur effectum fuisse: & nares ex rupto patuisse, cum spiritus sive flatus transmearet.* Quid ergo an talia ipse refellam? An quis ea refellere opus cogitet? si refellam, vereor ne ab iis ipsis, qui nisi refellantur de provinciæ fugâ jactabunt, otiosæ atque inutilis industriæ arguar. Si refellere recusavero, novi quantos sint de eâdem fugâ edituri triumphos. Refellam igitur non quod opus esse arbitror, pudet enim tam otiosa non prorsus fastidire, sed tum ut meipsum tam jucundâ contemplatione delectarem, tum ut admirabilem divini Opificis solertiam prædicarem: Nihil enim aut magis contemplari delectat, aut conditoris artem magis laudat, quam stupenda corporis humani in omni parte fabricatio. Dentur ergo vobis aquæductus vestri, quales humor quispiam nunc rectà fluens, nunc in sinus subinde flectens sibi excavare potuit. Quanquam quo fonte scaturiat, non intelligimus, neque quî oris aperturam effodiat, nisi viam suam dum projecti Infantes in lactis fontibus jacerent, effecisse putetis. Quod si fieri posse dicatis, an dentibus quoque adversis munire dicetis? An linguam variis musculis instructam fabricare? An asperam arteriam, ne quid cibi in pulmones fortè incidat, operculo tegere? An œsophagi tubum tam concinnè terebrare? An omni fibrarum genere, rectis, obliquis, transversis intertexere? An ventriculi ambitum tam aptè cibis excipiendis excavare? Cur non potius simplici rectóque cursu flueret? quinam obstitere obices, ut eò cum venerit, se in ambitum diffundere cogatur? Aut si quid fortè obstiterit, cur per œsophagum non reflueret? Aut si fortè Intestina aperiret, cur non in fundo ventriculi, in quem directo impetu delabitur? Et denique cùm per partem sinistram ingrediatur, cur sibi ad dextram exitum idque in elatissimâ illius regione aperiret. Quin & potuítne ventriculum tantâ fibrarum varietate

deli-

delineare, atque alias in orbem, alias in rectum, alias in obliquum ductas texere? An non dum unas radiaret, elueret alteras, aut potius qui recto cursu radios obliquos omnino delineare potuit? Potuitne utrique ventriculi orificio validum sphincterem circumduxisse? Potuítne animalibus, quæ tam perfectè molendi instrumenta non haberent, duplicem ventriculum comparare, ut cibus in altero aliquantum digestus, perfectè in altero excoquatur? Insuper quanquam aquæ defluxus canalem excavare potuit sinibus aliquot intortam, potuítne tamen intestina tot convolutionibus & gyris invicem complicata efformare? Quomodo toties supra se diverso canali redire potuit, nisi prius fistulæ, per quas remearet comparatæ fuissent? Quomodo per quam plurimos gyros ad imum pene delata non statim exeat, sed illico vestigiis versis, sursum ad usque ventriculum perreptaret? Potuítne solo præterlapsu tam numerosos lactearum meatulos in intestinis aperire, eósque eâ magnitudine juxta & figurâ, ut solas particulas tenuiores crassis relictis exugant? Potuítne numerosas valvulas, magnam præsertim illam colo juxta Ileum adnatam, in viam suo cursui contrariam apertas efficere? Potuítne motum peristalticum fæcibus deorsum per tot in sese redeuntes anfractus proliciendis ciere? Potuítne denique, ne omnia sequar, purior pars alimenti lacteis excepta sursum nullâ Providentiâ conducta recto meatu emergere longóque ductu per Thoracem ad usque collum & humeros perreptare, ut in alteram, venarum scilicet, Canalem exoneretur. An nondum mechanicæ vestræ de aquæductibus stultitiæ pudet? Me sanè tandiu irrisisse pudet. Aliam ergo rationem de his vobiscum disputandi inibimus. Quemadmodum igitur simplici nostrâ philosophiâ sit tota rei fabricatio confecta audiatis.

SECT. VI. Qui animalia in initio procreavit ipse idem sine nutritione ea conservari non posse intellexit, atque igitur ut quod fecit, quamdiu instituerat in vitâ permanere, conservaret, suis quodque nutritionis instrumentis instruxit. Atque primum os aperuit, quo alimentum intus susciperet, adversâ dentium phalange munivit, ut susceptum comminueret. Dentes duabus maxillis inseruit, quarum

ſuperior immobilis, inferior quæ priori articulata motu prædita eſt, ut dum accedat & recedat, molendi munere fungatur. Quibus autem unum tantum dentium ordinem dedit, alterius defectum, in aliis, prout uſus poſtulaverit, duplici ventriculo, in aliis multiplici, compenſavit. Deinde Linguam in cibi potúſque deglutiendi adminiculum adjunxit, guſtûs facultate donavit oſſi hyoidi tum ad firmitatem tum ad motûs gubernationem valido ligamento commiſit. Oeſophagum variis tunicis conflavit, & quamque tunicam variis fibris: Interiorem tranſverſis & circularibus variè ſportulæ ad inſtar è viminibus factæ intertextis tum ad ſenſationem tum ad robur, & quo magis grata fiat ſenſatio, lanugine quâdam ab uſque faucibus ad uſque ventriculum obduxit, ut guſtûs delectatio totâ gulâ ſentiatur: Mediam ſpiralibus ſurſum & deorſum contrario ductu tendentibus & veluti cochleis oppoſitis ſe mutuo interſecantibus, ut alteris deglutitionis, alteris expuitionis opus perficeret. Extimam, quâ ventriculo aliiſque viſceribus ad omnium ſtabilitatem connectitur. Variis deinde muſculis variâ ſe movendi poteſtate præditis, quorum juncto opere cibaria attrahit, circumvenit & deorſum pellit. Et quo facilius fiat deglutitio, ad Linguæ radicem glandulas poſuit, quæ totius fiſtulæ cavitatem leni & blando liquore irrigarent. Per Thoracem longo itinere & ſui ſecurum & aliis innoxium duxit; ſecurum, tum quod viâ undique oſſibus concluſâ incedat, tum quod ſine vertebris alligetur: Innoxium, cùm ut viſceribus Thoracis inquilinis præſertim Arteriæ magnæ locum cedat, ſe hoſpitis modeſtiâ à recto ductu in obliquum convertat. Dum Diaphragma mirâ ratione perforans in ventriculi regionem proficiſcatur, qui in loco nullis oſſibus circundato idcirco ſitus eſt, quo facilius, id exigente ſui officio, extendatur. Ventriculi cavitatem ut publicæ coctionis Culinam & Promptuarium paravit, & propterea illius orificium inferius non directè ſuperiori ſuppoſuit, ſed cum alterum parti ſiniſtræ connectatur, alterum non modo in dextro latere, ſed & elatiori illius parte ſitum eſſe curavit. Ne ſi in fundo, cibi incumbentis pondere ſeſe aperire ſtimularetur incoctúmque elabi permitteret, nunc verò cum nihil niſi per acclivem aſcenſum egredi-

Gal. de uſu part. l.6.c.5.6.

egrediatur, alimenta non niſi perfectiſſimâ concoctione elaborata ad Inteſtina tranſmittuntur. Utrumque inſuper fibris orbicularibus donavit, quibus ſe & occludere & reſerare valeant, ut ſtomachus utrinque clauſus ſuo munere commodiùs perfungatur; quippe ſi ſurſum apertus fuerat, calor & ſpiritus elevati ſurſum diſſiparentur, atque igitur Ollæ operculum impoſuit. Si deorſum, alimenta necdum ritè excocta Inteſtina ſubirent. Inferius tamen Orificium ſuperiori laxius conſtringitur, ut Chylo ſatis cocto leviter ſolicitatum, eum effluere patiatur. Meatum tamen arctiorem fecit, quòd cum per œſophagum alimenta dura, aſpera, magna nec multum contrita in ventriculum deferantur, hic οἷον πυλωρός τις δίκαιος (inquit *Galenus*) *ut Janitor quidam fidelis*, unde nomen traxit, alimentis niſi ritè excoctis & comminutis in Inteſtina tranſitum non concedat. Ipſum ventriculum, tribus, iiſque validis membranis contexuit, quo ad melius perferenda ciborum onera, & concoquenda robuſtus fiat. Primò lanuginosâ iſtâ, qua tum cibi particulæ, ad concoctionem faciliorem detineantur; tum deinde vaſorum extremitates à periculo quovis defendantur; tum denique ſuccus acidus quo præcipuè fermentatio peracta eſt, in eo hoſpitetur. Alterâ carnoſiori, quâ præcipuè ventriculi ſubſtantia conſtituitur, atque ad meliorem operis ſui functionem variis fibrarum ordinibus donatur, rectis quibus ſurſum aut deorſum contrahitur, tranſverſis quibus ad utrumque latus, utriſque autem, ut commodius alimentum excipiat, exceptum concoquat, concoctum supernè aut infernè, ut opus fuerit egerat, & cibo denique perfunctus ſe contrahat. Tertiâ craſſiori, quæ & totius ventriculi integumento ſit, & cum aliis partibus connectat; quæ etiam ſingulari quodam Artificio minor ſit interioribus, quâ ratione in fibras & ſulcos colliguntur, quibus Chylus hic illic in varias portiones diſperſus, multo facilius quàm in eâdem mole ſimul accumulatus concoquitur: ſic enim in bibonibus, qui nimiâ humiditate rugas iſtas eluunt, Medici concoctionem labefactari & penitus everti experiuntut. Denique ut in Ventriculi fundo quidam ſcateret liquor acidus proſpexit, cujus vis exolutrix concoctionis opus conficeret, atque igitur

De uſu. part. l. 4. c. 7.

eum pluribus circumquaque veluti foculis ſcitè admodum circumdedit; ſupra corde; ſubtus pancreate; anterius omento; poſterius aortâ venâque cavâ; dextrorſum hepate, ſiniſtrorſum liene; quorum calore in concoctionis negotio egregiè adjuvatur, iſtis enim malè affectis eo ſemper malè perfungitur. Inteſtina denique numeroſis convolutionibus circunduxit, tum ut prolixo tranſitu ſucci nutritii ſecernantur, tum ut ne continuâ fæcum expulſione interpellemur. Anfractus hoſce variis ubique plicellis tornavit, quò commodius chylum præterfluentem, remorentur. Atque igitur interiores tunicas exteriori triplò longiores fecit, quo cùm in quam plurimos ſinus & ſulcos corrugantur, Chylum impediunt, ne celeri nimis curſu pertranſiret, antequam ſuccus nutritius in venas lacteas ſatis tranſcoletur. Unde inteſtina cujuſvis hominis, cui inſunt, altitudinem Anatomici ſexies plus minus ſuperare conſentiunt. Fibras per omnes eorum convolutiones exporrexit, tum annulares tum rectas invicem ad angulos rectos ſecantes, quarum contractione dum aliæ in anguſtius, aliæ in decurtatius conſtringuntur, chylus in vaſa lactea exprimitur, atque fæces deorſum urgentur: dum enim ſuperior pars contrahitur, inferior ſimul relaxatur, quæ cibis ideo repleta uberiorem chylum in lacteas immittit; & ſimul ampliorem locum reliquiarum depulſioni præbet. Qui quoque motus Inteſtinorum proprius muſculis abdominis continuâ reſpiratione ſurſum deorſumque commotis maximè promovetur. Cùm enim quâvis inſpiratione contrahatur, abdomen inteſtina conſtringit, ut quæ in iis craſſa ſunt deorſum impellantur; quæ magis ſpirituoſa, in hiantia vaſculorum lacteorum oſcula abſorbeantur. Atque igitur quatuor muſculorum *paribus* diverſo ſitu poſitis inſtruitur; obliquis deſcendentibus, obliquis aſcendentibus, rectis, & tranſverſis, quorum motus ſic inſtitutos eſſe in ſe quiſque ferè experiri poteſt, ut *prima paria* quâlibet inſpiratione thoracis intumeſcentiâ contracta abdomen elevarent, quâ dum inteſtina contrahunt, alimenta deorſum propelluntur; *ſecunda paria* ſitu contrario poſita, cùm omnis muſculus verſus principium moveatur, deorſum comprimant; tertia denique & quarta cum ſecundis motu ſuo ſemper conſpi-

ſpirantia, ventrem quoties intumeſcit, fortiùs conſtringant. Adeo ut peritiores quidam Anatomici magis his quam innatâ Inteſtinorum vermiculatione ciborum concoctionem & reliquiarum expulſionem promoveri cenſeant. Tum porro inteſtinis omnibus mirabili arte Meſenterium intertexuit, ut invicem alligaret, atque ductus ſanguiferos ad illa deduceret, quod quidem arte tam mirabili comparatur, ut cùm ſex circiter ulnarum ſit Inteſtinorum longitudo, à peripheriâ iſtâ quæ à Centro ſpithamam tantum diſtat, comprehendantur: Quæ itaque in ſingulis palmis in multas plicas collecta duodecim circiter palmos inteſtinorum complectitur, quo fit ut in parvo & anguſto ſpatio tantæ Inteſtinorum convolutiones diſtinctim & ſine confuſione ſerventur. Omento deinde operuit, ut ea omnia blando ſuo calore & pinguedine foveret, quod idcirco, inquit Galenus, ſimul fit & denſum & leve & calidum; denſum quidem, ut intus includat innatam caliditatem; leve autem, ut ſine dolore & pondere calefaciat; calidum, quia tale oportuit eſſe quod calefaciendi causâ factum eſt, & propterea vaſis ſanguiferis densè conſitum & copioſo ſanguine perfuſum eſſe videtur. Adhæc, Inteſtina omnia innumerabilibus obicibus paſſim munivit, præſertim magnâ iſtâ valvulâ inter Colon & Inteſtinum tenue appensâ quâ omnis fæcum regurgitationi via obſtruatur. Tum omnium extremitatem rotundo muſculo circunduxit, ne alioqui impuræ cibi reliquiæ ſpontè, inopinatò, & continuò effluerent. Denique per omnes Inteſtinorum convolutiones innumerabilia venularum oſtiola circumquaque aperuit, quibus quicquid in Chylo ſit purioris Alimenti abſorbeatur. Quæ viis uſque adeo cæcis & obliquis inter Inteſtinorum tunicas occultavit, ut neque ullâ vi ſpiritus vini, neque aër follibus immiſſus (ut clarè expertus eſt vir ſolertiſſimus) per eaſdem viam invenire poſſint. His autem abſorptus cibus per varias glandulas de viâ attenuatus tandem ad magnum receptaculum tanquam ad commune promptuarium deferatur, quod, ut facilior ei cum ſanguine commeatus fiat, inter Diaphragmatis tendines conſtituitur, ut eo quâlibet inſpiratione contracto ſuccus lacteus ſurſum exprimatur. Unde igitur longo per Thoracem ductu ad uſque venam ſubclaviam

V. Williſii Pharm. rat. ſ. 1. c. 2.

De uſu Part. l. 4. c. 9.

Dr. Lower de Corde, c. 5.

viam delatus suum tandem sanguineæ massæ, ut mari flumina, vectigal persolvit, & ne itinere fatiscat, glandularum multarum lymphâ ubique diluitur, atque quo tutior & apertior sit eidem via, ductus per quem transit, duplici canali per totum fere tractum fertur, quæ etiam commercium inter se passim tuentur, ut si fortè alter obstruatur, Chylus per alterum viam inveniat, atque commercii beneficio obstructum aperiat. Denique ne uspiam chylus redire possit, exigua ista vasa valvulis ubique muniuntur, præsertim ductus thoracicus, cùm tramite propemodum recto ascendat. Neque magno hiatu, sed plerunque pluribus ostiis, tot inquiunt nonnulli, quot in mare Nilus, in subclavias exoneratur. Atque ne sanguis à venâ jugulari & axillari præterfluens illius influxum impediat, ab isto latere totus hiatus valvulâ præmunitur.

Sect. VII. Utcunque autem mirabilis sit longa & fere immensa ista aquæductûs fabricatio ut cujus ope humor nutritius per tot septa & anfractus ad tantam utilitatem deducatur, multo tamen majorem admirationem in se habere videntur variæ istæ, quæ juxta sitæ sunt, fermentationis scaturigines, quæ nisi in rivum hinc inde deductæ præterfluentem humorem amœnâ aciditate imbuerent, non iste, qui nunc, liquor generosus, sed vappa quædam omni spiritu effœta in venas effunderetur, aut potius in viis angustis & capillaribus nullâ lymphâ dilutus suâ crassitie concrescens stagnaret. Atque primùm ipsius Ventriculi fermentum, undecunque ministretur, sive à sanguine arterioso, sive succo salivali, sive Chyli reliquiis, sive spiritibus nitro-aëreis, sive ab omnibus simul, sive unà cum omnibus aliâ quâcunque ratione, mira est ista quam habet concoquendi facultas, quæ quanquam viscerum calore præclarè admodum adjuvetur, ipsa tamen præclariori quâdam ratione perficitur; cùm enim vehementi nullâ ebullitione, qualis est aquæ ebullientis tumultus, peragatur, cibi tamen qui super igne vehementi totius diei coctione emolliri nequeunt, in ventriculo paucis horis in cremorem exolvuntur. Quem chylificationis gradum adepti mox ad perfectiorem digestionem intestinis amandantur, quo simul

ac profecti ſunt, novis fermentis imbuuntur, bile ab hepate delatâ, & ſucco acido è pancreate, è quibus ſicut ſale & aceto commiſtis nova naſcitur effervescentia, quâ tum ulterior chyli provehitur ſeparatio, tum urgetur fæcum expulſio. Quâ itaque cauſâ hepatis ſubſtantia innumerabilibus acinis glanduloſis componitur, in quos materia ſubacida in Lienis glandulis (cujus quoque ſubſtantia nihil aliud eſſe comperitur quàm glandularum racemus) ſanguine per arteriolas & ſpiritibus per nervulos cuique infuſis confecta per venam ſplenicam ad hepar fertur. Ubi ſulphureis particulis ibidem excoctis affuſa, fit bilis ad Chyli in Inteſtinis fermentum idonea, quæ per innumerabiles venarum radices ad *folliculum* & *porum bilarium* delata atque inde in *ductum cholidochum* defluens circa *duodeni* finem inteſtina ingreditur, ibique *ſucco pancreatico* commiſta mox provinciâ ſuâ defungitur. Qui ſuccus in minuſculis Pancreatis nodis (cùm ſit iſte quoque uvarum racemus) non aliter ac fit in Liene è ſanguine arterioſo & ſpiritibus excoctus exiguo ab unoquoque rivulo in magnum ductum medio ſitum defertur, atque inde verſus inteſtina delatus cum *bile* commiſcetur. Utraque autem coeuntia tam promptè & celeriter ſuâ fermentationis provinciâ perfunguntur, ut Inteſtinum iſtud, *chylo* citiſſimè in *lactea vaſcula* propulſo, plerunque vacuum & jejunum reperiatur. Quæ vaſa, ne chylus in iis ob craſſitiem ſuam aliquando ſtagnaret per innumerabiles *Meſenterii* glandulas decurrunt, & pleraque per magnam iſtam in ipſius centro ſitam deducta tenui lymphâ diluuntur. Atque inde in Chyli receptaculum delata, in illud tanquam alvum communem ſuccum ſuum exonerant, ubi novâ ſucci lymphatici admiſtione attenuatur. Quem ſuccum accuratiores quidam Anatomici diligenti autopſiâ eâque microſcopio adjutâ edocti è variis glandulis per univerſum corpus undique diffuſis excretum eſſe aiunt. Atque primùm innumerabilia vaſcula ex hepate, è liene, è pulmone, necnon ex aliis omnibus glandulis conglobatis exoriri, iiſque acidiuſculâ quâdam qualitate donari, atque partem maximam in vaſa chylifera, reliquam in alias venas deferri. Ad illa, ut chylum Cor mox ingreſſurum ſalſis ſuis particulis attenuaret, ad has, ut ſanguinem venoſum longo

per corporis ambitum itinere spiritibus suis effœtum novâ fermentatione recrearet. Atque hâc ratione varios in visceribus istis fermentationis fontes comparatos esse præter oculorum fidem certissimâ Medicorum experientiâ comprobatur, cùm istis malè se habentibus miræ excitentur in sanguine tragœdiæ.

Nunc ergo, vos Aquæductuum Magistri, censetisne tam mirabiles atque opportunos laticis circuitus sine (sic inter Romanos appellabantur aquæductuum in Urbe Curatores) *Aquario* quodam confici potuisse? Si quas unquam vidistis *machinas hydraulicas*, nunquam certè pari artificio & solertiâ confectas vidistis. Saltem ne iterum singula totius machinæ artificia percurram, quid quæso vos de fonticulis istis existimatis, quibus tum à Cerebro tum à sanguine humores idonei ad varios fermentationis fontes devehantur? Nihilne est quòd nervi & arteriæ à diversis fontibus tracti & profecti in omne corpus eâ constantiâ eâque subtilitate ducantur? Nihilne est quòd tam mirabili surculorum varietate utrique ad singulas pervenirent, si enim nervi sine arteriis, aut arteriæ sine nervis eo usque pertinuissent, materiam nullam fermentationi aptam suppeditassent? Denique nihilne est, cùm innumerabili partium multitudine corpus fabricetur, quarum perexiguæ sint multæ, ad singulas nutrimentum deferri, idque non modo per subtilissimos canales, sed etiam à diversis fontibus; ita ut quanquam vasa sanguifera surculos suos ritè in partem quamvis emisissent, nisi etiam capillares nervorum ramusculi eandem succo nervoso irrigassent, & vicissim, periisset omnis animalium nutritio & incrementum. Inter Medicos disputatum memini Corpus latice nervoso an sanguineo nutriatur, atque à doctioribus conclusum ab utroque nutriri; at mihi satis est sine utroque nullum perfici posse nutrimentum, etiamsi enim nullus per nervos transeat succus nutritius, nisi tamen per eos spiritus animales in omnem partem ferantur, sine iis nulla confici posset actio vitalis, & nisi crassior quædam è sanguine materia suppeditetur, solis spiritibus fieri non posset, neque succo isto quo convehuntur debitum cujusque partis incrementum; cùm igitur utrique tantâ necessitate debeatur omnis animalium nutritio vitæque conservatio, hoc est, inquam

quam

quam, quod satis nunquam mirari possumus per utrosque in innumerabiles ramos & ramusculos ubique sparsos minimæ cuique parti alimentum impendi. Omni autem Aquæductûs apparatu confecto, periisset totius Artificium, si unum Instrumentum defuisset, quod nisi ut vestram fatuitatem irriderem, propter rei levitatem penitus præteriissem: Quippe extructâ omni quam descripsimus machinæ fabricatione nisi quoque nervuli undique per ventriculum præsertim in Orificiis diffusi ipsius vellicationem Cerebro, quod unica sensationis sedes est, communicarent, nulla fieret fames aut cibi sumendi appetitus. Istis enim præcisis cùm inediâ laborarent animalia, se solum languere & debilitari conscia fuissent; illius autem causam non aliter quam in morbis aliis, quibus debilitantur vires, intelligerent; neque nisi hac inter ventriculum & Phantasiæ sedem communione monita unquam de cibo ad vires instaurandas sumendo cogitarent. Solum ergo hunc Gryphum egregii vos Sphinges solvite, quî cibus primùm in mentem venerit; quo ænigmate soluto, quî viam sibi ab ore in cor aperuerit nunquam à vobis perquiremus.

Sect. VIII. Atque adeo omnem Aquæductûs primi cursum huc usque permensi, nunc tandem istum sanguinis, alterum sequamur: Qui priori eo mirabilior est quod illius latex non simplici cursu sed circuitu feratur. Chylus enim sanguini illapsus unà cum eo per venam cavam in dextrum cordis ventriculum fertur: inde per venam arteriosam in pulmones: è pulmonum parenchymate per arteriam venosam in ventriculum sinistrum, inde per arteriam aortam atque omnes arteriarum ramos & ramulos in omnem corporis ambitum, ubi capillares venularum propagines subiens per eas eodem quo prius orbe circumfertur: in circulo autem ubi incipiendum sit minus certum videtur. Ego verò non à Chyli in sanguinem influxu sed à Corde incipiam. Quanquam enim sanguinei laticis dispendia continuâ Chyli instillatione resarciantur, tamen prima illius circulatio solo Cordis motu inchoatur. Neque nisi prius Corculum vitæ fundamenta jecerit, quodvis suppeditatur Ali-

mentum. Quippe in cujusque Animalis ortu vitæ Choream à cicatricula quâdam (quæ postea in cordis fabricam perficitur) duci videmus: cujus pulsu prima totius corporis stamina atque rudimenta ducuntur. Scilicet liquor primordialis vesiculæ inclusus cùm calore exagitetur, eam suo motu distendit, quæ cùm muscularis substantiæ sit, rursus seipsam contrahit, quâ constrictione liquor turgescens exitum quærit, atque adeo per canales viam sibi fabricatur. Cùm igitur solâ Cordis compage primùm oriatur sanguinis circulatio, semperque per totum vitæ curriculum conservetur, en quam incredibili & prorsus divinâ arte in tam egregii muneris functionem comparatur. Atqui tamen prius (si placet & quidem decere videtur) præstans & acutum Harvæi ingenium admiremur. Qui primus ingens hoc mysterium, quod ab orbe condito in Democriti puteo demersum delituerat, non modo in lucem extulit, sed & eâ perspicuitate demonstravit, ut cùm summa Europæ ingenia rei novitate quasi perterrita, aut potius ob tam præclaræ inventionis gloriam invidiâ commota agmine facto contravenire conspirassent, omnes contradicendi vias quâ se adoriri possent, ipse planè præoccupaverat, & quidem doctior nemo ei se adversarium fecit, quem non statim temeritatis suæ pœnitebat, atque adeo ne reliquos memorem (erant autem magno numero) Magnus ille Gassendus (vir cùm summo ingenii acumine tum omni eruditionis copiâ admirabilis) quàm invictus sit Harvæus nullisque telis sauciandus acerrimo suo facto in eundem impetu, prorsus tamen inani (imò quidem contemnendo) exemplum edidit. Ut sanè in duobus egregiè lapsus fuisse videatur vir alioqui semper victor, & cùm Epicurum defendere & cùm Harvæum oppugnare voluerit. Atque utro turpius exitu ceciderit difficile est dictu, cùm pariter infœlix cœptum sit manifestam falsitatem tueri atque perspicuæ veritati bellum inferre. Atqui præter hos qui se apertos hostes præstiterunt, alii fuere qui ipsâ rei perspicuitate victi eam non sunt ausi labefactare, cùm tamen eam uno homine simul inventam & perfectam (quod alii cuivis præclaræ inventioni nunquam antea contigerat,) aut præ invidiâ non ferrent, aut ut ipsi gloriæ participes fierent, Harvæanam hypothesin multis immutare & corrigere

gere laborarunt, atque succeſſu tam infœlici ut poſt omnes conatus atque innumerabilia experimenta de phænomeni veritate facta, nihil quod cujuſvis momenti ſit ab ipſius ſententiâ niſi in pejus immutatum reperiatur. Adeo ut tandem accuratiores omnes, quotquot argumentum majori diligentiâ tractavére, omnem quæſtionis veritatem ipſius Harvæi opinione comprehenſam fateantur, atque ut innumerabiles alios prætercam, acutiſſimus Lowerus, qui quanquam Harvæo principi argumenti inventione, vix tamen tractandi acumine ei ſecundus acceſſiſſe videatur, hic inquam variis atque clariſſimis de novo factis experimentis, tandem rem totam in eum quo reliquit Harvæus, ſtatum reduxit, atque quædam quæ Harvæus optaverat, præſertim quanta ſit ſanguinis per cor tranſeuntis menſura & velocitas computationem in hypotheſeos perfectionem accumulavit. Horum itaque veſtigia plerunque ſequar, quanquam niſi viam compendiariam quærerem, his virum cùm optimum tum doctiſſimum Entium accenſuiſſem, qui Harvæi hypotheſin non modo ſui judicii acumine defendit, ſed & ſingulari ſermonis nitore ornavit, cùm verò diſputando occupetur, (& certè nemo unquam aut facetius aut acutius diſputavit) nobis non licet eſſe tam prolixis ut vela in immenſa diſputationum maria pandamus, ſed noſtro inſtituto ſatis eſt, qui ſola quæ prorſus certa ſunt ſequimur, ſi ad explorata ipſius hypotheſeos litora navigemus. Sic ergò primi Inventoris curſum tenentes è portu ſolvamus.

SECT. IX. Primùm igitur ipſum cor muſculum eſſe & motu muſculari donari, tum à totius fabricâ tum à partium i. e. fibrarum & tendinum ſtructura demonſtravit. Cùm autem muſculi alii omnes ſyſtemate geometrico fabricentur, Cordis fabrica, cùm ſit idem in corpore quod Sol in Mundo, fons & princeps vitæ, multo ſolertiori quam cæteri omnes inſtrumentorum apparatu ædificatur. Primùm enim omnia illius oſtia in baſi conſita tendine ſtipantur, in quem fibræ ſpirales, aliæ ab exteriori illius ambitu, aliæ ab interiori ductu oppoſito deferuntur. Quæ quo commodiùs cordis parietes conſtringant, in ipſo ejuſdem cono in unum eundemque

demque nodum contorquentur. Sicut enim musculi alii duplici tendine & fibris intermediis constant, ut si in quamlibet partem contrahantur fibræ, tendo istâ contractione arctius constrictus illius motum sequatur. Ita cor, duplici fibrarum spiralium, quæ tam in illius cono quàm basi terminantur, ordine constituitur, quæ contrahi nequeunt, quin cordis ventriculos constringant & extremitates propius adducant; cùm verò Basis loco suo nequeat moveri, quod vasis suis egredientibus & ingredientibus suspensa teneatur, versus eam conus erigitur. Quâ continuâ fibrarum contractione fit ea cordis constrictio sive systole, quæ tantâ vi sanguinem etiam in omnem corporis ambitum impellit; eâque solutâ fit ea relaxatio sive diastole quâ cor sanguinis irruentis influxui aperitur: Quo influxu rursum contrahuntur fibræ, quâ nova systole perficitur, eâque perfectâ novæ apertioni relaxantur, atque adeo continuâ hac contractionis & relaxationis vicissitudine mirabilis ista sanguinis circulatio per omne vitæ spatium conservatur. Cor itaque cùm sit totius animalis pars πρωτοκινητική his partibus instruitur, auriculis duabus, totidem ventriculis septo valido divisis, vasis quatuor magnis, in utroque ventriculo duobus, & denique undecim valvulis ad vasorum ostia summâ varietate consitis. Ipsæ autem auriculæ eâdem formâ eodemque geometriæ artificio quo cor ipsum, ut descripsimus, fabricantur, cùm pariter ad sanguinis ingressum & egressum dilatentur & contrahantur. Tota autem machina capsulâ quâdam cingitur, eâ autem distantiâ quam pulsûs ratio postulare videtur. Quæ quoque ambitu suo liquorem serosum continet, quo cordis superficies ne nimio æstu exaresceret continuò humectatur. Atque ideo in brutis quorum viscera in diaphragma incumbunt, liberum relinquitur, ne diaphragmatis systolæ officeret; in homine autem qui erectus incedit, septo alligatur, ut ejusdem inter expirandum systolen adjuvaret. Deinde animalia quæ respiratione indigent, duplici sinu, quæ verò non respirant, uno duntaxat donantur; ut in iis dexter ventriculus solùm sanguinis in pulmones respirationis causâ devehendi adjungatur. Quibus autem nihil necesse erat sanguinem è corde in pulmones deferri, iis dexter ventriculus, cùm otiosus fuisset, non addatur. Atque cùm in iis qui utro-

utroque gaudent ventriculo, ſanguis è ſiniſtro in totius corporis ambitum vibretur, idcirco fibris longè & pluribus & robuſtioribus, quam dexter qui ſolum in pulmones impellit, conſtipatur. Porro cordis machina in corporis humani ſuperiori parte ſitum obtinet, quo commodius liquorem ſanguineum ſurſum in caput impellat, iſte enim cùm naturali pondere deorſum feratur, difficilius in altum tollitur, atque igitur vis ponderis diſtantiæ ratione compenſatur, cùm brevior fiat ſurſum quàm deorſum impulſio. In animalibus ergo quæ pendulo capite victum quærunt, ipſum centrum occupat, quòd in iis ſanguis æquali facilitate in omnem partem vibretur. Quo autem vis vitalis eidem deferatur, duabus arteriis coronariis à baſi ad conum per multos ramulos exporrectis donatur, deinde totidem venis, quæ ſanguinem à nutritione reſiduum inde in cavam effundant, poſtremò ſingulari nervorum copiâ qui ſpiritus ſuppeditent, cùm enim muſculus ſit omnium robuſtiſſimus, atque perpetuâ agitatione occupetur, eximia ſpirituum ubertate opus habere neceſſe eſt, adeo ut impeditâ per ligaturam eorum viâ animal horrendis ſymptomatis & ſubitâ morte corripiatur. Hæc omnia ſanè mirabili ſatis arte extruuntur, at nihil mirabilius videtur quam ipſa valvularum fabricatio. Quæ enim utrique ventriculo, ubi ſanguis cor ingreditur, efformantur, eæ intus reſpiciunt, tum ut ſanguinis regreſſum tum ut alteriorem illius influxum inhibeant, ne cor nimis copioſo affluxu obruatur, & propterea non aperiuntur, priuſquam ſanguis antea cordi illapſus exprimatur, ut eodem momento quo illæ cordis contractione occluduntur, contrariæ, quæ foras ſpectant, ſeſe ſanguinis egreſſui aperiant, quæ mox ejuſdem expanſione clauſæ, emiſſi refluxum impediunt; quibus clauſis mox alteræ intus hiantes alternatim panduntur, ut proximus ſanguinis fluctus cordi infundatur. Atque ita mirabili iſtâ alternatione omnia cordis orificia cuſtodiuntur, ſanguiniſque circulatio ritè peragitur. Quæ quo melius ſuis oſtiis cuſtodiendis muniantur, interior ventriculorum ambitus variis hinc inde columnis à ſepti inferiore parte aſſurgentibus intertexitur, quæ in valvulas ſuperiores, quæ majori robore opus habent, terminantur, ut eas aut extenſas ſuſtineant, aut delabi patiantur, quo fit

ut

ut in omni ſyſtole, cono cordis verſus baſin adducto, inflatæ ipſum ventriculi orificium accuratè obturatum ſervent, atque in omni diaſtole oſtium ſanguini impulſo laxatæ aperiant. Et denique quo commodior pateat ſanguinis impulſui capacitas, in Cordis lateribus cavernulæ quam plurimæ ſubter iſtas columnas miro artificio elaborantur, quæ corde contracto ad uſque ipſas columnas attolluntur, quo fit ut ſicut quâlibet diaſtole ipſæ ſanguine impleantur, ita quâlibet ſyſtoles vice eum omnem fortius ex ſe excutiant.

Sect. X. Sic autem confecto machinæ totius inſtrumento πρωτοκινητικῷ, illius impulſum cæterorum omnium motus facilè conſequentur: atqui tamen non minori artificio canalium ductus ad ſanguinem devehendum quàm cordis fabrica ad eundem impellendum efformantur. Atque adeo primùm Aorta paulò ſupra cor incurvatur, cùm enim ipſum Cordis oſtium rectà ſurſum aperiatur, & ſanguis in canalem ſummo impetu vibretur, ſi ipſe quoque rectà in eandem regionem duceret, ſanguis nimis rapidè impulſus ipſum Cerebrum inundaret. Atque igitur Aorta primo exitu plurimum inflectitur. *Quo fit* ( ſicut accuratè deſcripſit Lowerus ) *ut incurvatus iſte angulus ſanguinis ejecti impetum & primum ictum ſuſtineat, & maximum ejus Torrentem verſus Aortæ truncum deſcendentem dirigat, qui aliter ſuperioribus Arteriæ Aortæ ramis nimius impenderetur, eóſque plus ſatis diſtenderet, & impetu ſuo caput citò peſſundaret.* Deinde duplici, ſeu potius quadruplici tunicâ, earúmque alterâ valdè craſsâ & validâ donatur, ne ſcilicet ſanguinis è corde vibrati impetu nimium laxetur, quemadmodum ſi ſolito vehementior fiat Cordis palpitatio, eam laxari experimur. Atque cùm venæ arteriis ſemper incubare ſoleant, tamen deſcendens cavæ truncus quandiu à vertebrarum duritie & corporis crebrâ flexione periculo obnoxius ſit, infra arteriam ſe ſubducit, ut ejus incubitu ſe ab injuriis tueatur; quo ceſſante periculo, protinus emergit, atque ut ſolet, Arteriæ incumbit. Inſuper cùm vaſa ſanguifera in divaricationibus ſuis ruptionis periculo ſint admodum obnoxia, iis, ubicunque facilior eſſe poſſit noxa, glandulæ tanquam pulvi-

De Corde cap. 1.

pulvinaria ſupponuntur, quanquam enim ipſæ aliis provinciis iiſque multo nobilioribus perfungantur, tamen præter peculiare virtutis munus, hoc quoque beneficium totius fabricæ ſolo ſitu conferunt. Tantum enim abeſt ut quicquam in corpore otioſum aut inutile reperiatur, ut nulla ſit tam ignobilis particula, quam divinus Artifex optimo compendio pluribus officiis inſervire non effecerit. Ne verò omnia ſequar, quid mirabilius eſſe poſſit quàm ab unâ radice ſurculos in ſingulas totius ſyſtematis regiones tam rato & conſtanti ordine ſe dirimere, cuique opportuna & debita impenſa diſpenſare, & ne qua pars ſuo pabulo fraudetur vias ſibi in ipſis oſſibus, atque potiſſimum per calvariam invenire? Quiſquámne dubitare poſſit varia iſta foraminula eo duntaxat fine perforata fuiſſe, quo ſive venulæ ſive arteriolæ ſive denique nervi per ea ſe inſinuantes in varias undique corporis regiones ipſorum indigas propagentur? Si quid in toto corpore temerarium nullâque certâ lege conſtitutum videatur, id quidem de extremis & capillaribus vaſorum ſurculis ſuſpicari liceret, qui tamen eâ utilitatis ratione ubique diſponuntur, ut cor ipſum ad vitam non magis neceſſarium videatur; ſic quanquam adeo perexiguæ ſint arteriolarum propagines quæ undique per cerebrum diffunduntur, ut longè omnem oculorum aciem fugiant, tamen niſi ipſæ materiam generandis ſpiritibus conſtanter afferrent, cerebrum non modò brevi flacceſceret, ſed & facultas ſpiritus generandi, quorum ſolâ virtute vivitur, interiret; & quantâcunque alioqui ſolertiâ cæteræ totius ſtructuræ partes fabricarentur, periiſſet omnium uſus, ſi ſolum iſtæ tantillæ propagines defuiſſent. Quid quod denique adhuc mirabilius videatur dictas propagines per totum ἐγκέφαλον in varios ubique plexus ſtupendæ quidem tum ſubtilitatis tum utilitatis complicari, ut nempe puriores ſanguinis particulæ per meandrulos iſtos oberrantes diuturniori morâ & anguſtiore tranſitu, in ſpirituum, qui ſoli vitam animali ſpirant, vigorem & puritatem excoquantur.

Sect. XI. Cùm verò laticem vitalem undique ab ipso vitæ fonte in extremum corporis ambitum deduxerimus, quâ viâ & quibus machinis in suum domicilium reducemus? Atquî hic Anatomicorum peritia nos planè defecisse videtur; quanquam enim viam quâ redire posset, vim tamen quâ in eam impellatur nondum invenerunt. Artis princeps Harvæus *è venis capillaribus in parvas ramificationes & inde in majores motu membrorum & musculorum compressione exprimi* voluit. Atque sic equidem sanguinem vehementius per corporis poros, præsertim exercitiis & laboribus incitatum urgeri non dubito. At stabilius desideratur principium, quo tam constans atque perennis circulatio conservetur. Et quanquam per quietem diaphragmatis & musculorum motu respiratione facto etiam adjuvetur, adjumenta tamen omnia causæ principi accedunt; atque istæc est quam quærimus; neque enim musculi respiratione commoti quicquam nisi in thoracis & abdominis cavitatibus valere possunt, nihil autem in artubus & membris exterioribus, quibus præcipuè sanguineæ reversionis initur consilium. Postremo ipsi solùm sanguinis expulsioni non omnino reductioni inserviunt, atque istuc est cujus causam ab Harvæo desideramus, quid sit quod quiescentibus membris sanguinem in capillares venarum propagines impellat? Alii ergò per Anastomóses iter conficiunt, atque viâ quidem brevissimâ, nisi reluctaretur Experientia. Contra enim Harvæus ipse oculatissimus ad αὐτοψίας fidem provocat, seque quâ potuit diligentiâ perquisivisse, neque parum olei & operæ in Anastomósi explorandâ perdidisse testatur, nunquam autem invenire potuisse vasa invicem, arterias scilicet cùm venis, per orificia copulari. Cujus quoque opinioni suffragatur maximè accurata eruditissimi Needhami diligentia, viri non modo in suâ medicinæ arte sed & aliis politioribus scientiis peritissimi, *nullas inter venas & arterias Anastomoses deprehendi sed inter vasa ejusdem generis, arterias nempe & arterias, venas & venas. Adeo sedula & provida est Natura ut sartum tectum sit illud* magnum vitæ oportet, *sanguinis circuitus. Ideoque nequis ei obex ex musculorum compressione aut capillarium obstructione contingat, mox alio diverticulo compensan-*

Exerc. Anat. I. l. 15.

Exerc. 2. ad Riol.

De formato fœtu c. 1.

*pensan-*

*pensandas curat. Ubique igitur hæc in corpore occurrunt, nusquam tamen magis conspicua sunt, quàm ubi Natura publico muneri intenta fluxus sanguinei expeditioni prospicit.* Præterea verò si sanguis ab arteriis in venas immediatè transiret, quî quæso in partium nutritionem facessere potuit, cùm in ipsam carnis substantiam nunquam perveniret? Denique si isto commeatu tuta & facilis sanguini ab arteriis in venas transeundi facultas detur, an quæso solertiori artificii ratione comparari potuit, quàm ut in tam innumerabili vasorum capillarium multitudine omnes omnibus tam accuratè inserantur, ut eâdem facilitate sanguis ab uno in alterum transeat quâ in eodem tubulo feratur? Atque igitur vix quicquam in toto corpore magis conspicuè summi Opificis Artem exhibere videtur quàm ista anastomoseon multitudo, quâ tam providè sanguinis commeatus, sicubi fortè intercludi contigerit, conservatur. Alii ergo partim per ipsam carnis substantiam, partim per Anastomóses ab arteriolis in venulas transire volunt. At verò de his an sint experientiam nos defecisse jam ante diximus, & si sint, quo fiant Providentiæ artificio. Ut demum nihil supersit nisi ut per carnis porositates permeare posset. Atqui hoc ipsum est quo Artem anatomicam nos defecisse diximus, nempe quòd nemo hactenus probabili quâvis ratione explicuerit, quî cùm sanguis in substantiam prorsus laxam & nullâ se comprimendi facultate præditam pervenerit, tam promptè in minimos venarum surculos impellatur. Cùm verò in venulas se insinuaverit, quomodo per eas iter denuò inceptum conficiet, cùm ipsæ nullâ se movendi facultate donentur? Aut si motu isto *systaltico*, qualem iis inesse conjecit vir doctus, se movere valeant, dum sanguinis influxu distentæ se restituunt, adeoque eum versus cor impellunt, id pari fit mechanices artificio, quo cætera hujus machinæ instrumenta ad suum quodque munus extruuntur. His autem omnibus viarum angustiis & difficultatibus superatis reliquum quod superest iter septis & portis passim hinc inde constitis singulari Providentiâ à quovis periculo custoditur. Quippe plerisque venis valvulæ quædam tenuissimæ simul & densissimæ intervallo duorum, trium aut quatuor digitorum ab invicem dissitæ appenduntur; ut orificia

Mal. Thruston de Respirat.

ficia versus cor aperta habentes omnem sanguinis refluxum intercipiant. Quod quò tutius præstent, non lineâ rectâ eidem lateri sed adverso collocantur, ut si superior situm sinistrum habeat, proxima inferior paulò ad dextrum vergens disponatur; atque sic undique serie quasi spirali se invicem excipiunt, quo fit ut si quid una elabi siverit, id alicubi alteris sisteretur. Solis autem in venis non item arteriis reperiuntur, quod in iis sanguis sanguine è corde exploso vehementer satis à tergo urgeatur. Neque etiam venæ omnes hujusmodi custodiis muniuntur, sed ubique ut earum præsidio opus est collocantur; atque igitur in crurum & brachiorum venis præcipuè stativa faciunt, per quas sanguis infernè sursum trajectus, facilè suo pondere nisi septis his ubique exceptus retrorsum laberetur. Et denique cùm vena jugularis interna apertissima sit sanguinis ad Cerebrum via, custodiâ omnium robustissimâ tanquam ad arcem aditus communitur, ne sanguis reclinato capite facilè nimis ipsum cerebrum inundaret. Atque ita demum auxiliis hisce omnibus, quæ toto itinere posita descripsimus, sanguis non modò sine periculo, sed &, quod maximam in se admirationem habet, summâ cum celeritate circulatur: Quam concitatissimam esse conclusit Harvæus, at ipsam velocitatis mensuram inveniri solum optavit. Atque istam & invénit & accuratè computavit *Lowerus*, scilicet quâlibet horâ totam illius molem cordis ventriculos trigesies pertransire. Cùm enim ventriculi cavitas duas ad minimum uncias contineat, cum quâlibet systole omnem sanguinem expellat; (Eâ enim vi coarctari inquit ut si cono abscisso digitum immiseris, eum ipsâ manu vix tu ipse fortius comprimas) cùm denique quâlibet horâ duo millia pulsuum ad minimum numerentur, sequitur uncias quatuor mille intra horæ spatium cor pertransire; unde ratione proportionis habitâ ad totius sanguinis molem, quæ rarò in homine ad viginti quinque libras accedit, perspicuum est totam vicibus triginta cor cursu repetito trajicere.

SECT. XII. Cùm autem machinam nostram divinâ arte confectam perfecerimus, an vos vestras canales deducetis? Conari pudeat. Quid enim si humores, ubi fluere incipiunt,

piunt, meatum ſibi efformare poſſent, an ergò tam exquiſitam iſtam cordis fabricam efformare potuiſſent? An potuere duplicem in eo ſinum in Animantibus, quæ reſpirant, extruere, in iis verò quæ non reſpirant, unicum? An non Cauſam quandam Intellectricem dextrum adjunxiſſe planè videatis, ut inde ſanguis in pulmones reſpirationis causâ devehatur; quibus autem nihil neceſſe erat ſanguinem è corde in pulmones deferri, iis dextrum ventriculum cùm otioſus foret nullique uſui inſerviret, non addidiſſe? Quid enim providentiæ ſolertiam apertius teſtatur, quàm operandi varietas, ut rei uſus poſtulaverit? Potuére per omnem Cordis fabricationem varias fibrarum ſeries, tam exquiſitè ductu cochleato intexere? Potuére aut auriculas adeo appoſitè ad cordis baſin aut valvulas adeo mirabili varietate ad ejuſdem orificia appoſuiſſe? Ad quemnam caſum referetis, ut quæ dextro ventriculo, ubi ſanguis cor ingreditur, efformantur valvulæ, eæ intus pateſcant; ut quæ ad venam arterioſam, per quam in pulmones defertur, eæ prioribus contrariæ foras reſpiciant; ut mutatâ vice quæ ſinûs ſiniſtri orificio adnaſcuntur, ubi ſanguis in eundem deportatur, rurſum intus aperiantur; ut denique quæ ſanguinis è corde in Aortam exploſi reditum impediant, eæ rurſus contrariæ & foràs patulæ pendeant? Quicquamne Artificis ſolertiam magis deſiderare poſſit, quàm tam opportuna rerum tam exiguarum varietas? Quid deinde, ſi ſanguis è ſiniſtro Cordis ventriculo in Aortam exploſus canales ſibi fabricare potuit, quid inquam de vaſis pulmonaribus dicetis, quæ diu antequam quidquam per ea tranſire poſſit, extruuntur? Aut ſi detur canaliculos ſibi excavare potuiſſe, an idcirco fiſtulam ſibi circumducere, eamque tam exterius quàm interius lævigare potuerit? Aut ſi potuit, cur venis tunicam ſimplicem eamque tenuem & mollem; arteriis autem propius à Corde ſitis duplicem, multoque craſſiorem & ſolidiorem elaboraret? Potuitne valvulas paſſim intra venas ab earum tunicis tam commodè abradere? Si quidem illarum Orificia contra ipſum ſanguinis fluxum paterent, fingi potuit (veſtrâ fingendi licentiâ) à venarum tunicis ſanguinis impetu avulſas fuiſſe; cùm verò ita ſitæ ſint, ut ſemper cum ſanguinis fluxu conſpirent,

ut nempe si sursum ipse fluat, sursum & illæ patescant; si deorsum, in eandem viam quoque respiciant, nullam aliam causam habere possent præter eam, quam sanguinis refluxu intercipiendo conferunt, utilitatem. Istæc autem ulterius exaggerare pudet, eximii enim isti rerum omnium usus quos jam ante in totâ machinâ singulisque illius partibus investigavimus, nimium omnes fortunæ & temeritatis partes præoccupaverunt. Factâ ergo mirabili Circulationis machinâ superest adhuc immensus Instrumentorum apparatus quæ sanguini expurgando instituuntur. Cùm enim partes illius puriores in spiritus animales atque partium nutritionem facessant, crassiores residuæ vappa factæ, nisi quoque amandentur, purum & perennem fluminis cursum crassitie suâ confestim impedirent. De his ergo solum dicite. Quid an nullo consilio vasa emulgentia secedunt? An nullo tam opportunè renes extruuntur? An nullo caruncuIas intus habent? An nullo surculi emulgentium capillares in eas desinunt? An nullo ejusmodi poris perforantur, ut serum (utpote inutile) effluat, non effluat sanguis? Quorsum quæso urina renibus percolata per liberum & apertum spatium non depluat, nisi Causa quædam intellectrix ureterum fistulas eo fine comparasset, ut serum in vesicam deferrent? Potuitne urina guttatim destillans vesicam pendulam tantæ capacitatis conficere? An membranosam? An fibris tam vario ritu extructis contextam? An sphinctere ad exitum constrictam? Potuitne denique vesicæ fundum, ne in cervicem decidat, urachi beneficio suspensum detinere? Et ne de emunctoriis omnibus, ut appellantur, dicamus, potuitne in hepatis parenchymate ejusmodi meatus adaptare, qui solis particulis biliosis responderent, ut dum eas percolari permittat, à reliquis separaret, præsertim cùm humor felleus ejusdem penè sit consistentiæ cum sanguineo, ut stupendam artis subtilitatem flagitari ferant Chymici, quæ alterum ab altero secreverit? A vobis Philosophorum sordibus solam hanc philosophiam cloacinam desideramus, quis enim à Porcis ἐν τῷ βορβόρῳ volutantibus ut nobiliorum ædificii partium descriptionem requireret?

Sect.

SECT. XIII. Peractis tandem Aquilegum rationibus sequitur proxima tibicinum utricularium philosophia, qui fistulas & tibias suas spontaneo aëris inflatu se fabricare & architectari docent, imo etiam sine tibicine modulatè canere, numerosè sonare, septenarios fundere, omnesque percussionum modos imitari. Quâ enim solertiori ratione philosophantur isti, qui omnia vocis & respirationis Instrumenta solo aëre perforari extruique censent, adeo ut neque lingua ad loquendum facta sit, neque pulmones ad respirandum, sed cùm fortè extiterint, eorum quoque usus fortè extitisse, quemadmodum præclarè pro insigni suo stupore docuit Epicurus & cecinit Lucretius.

> *Nec dictis orare prius quam lingua creata est,*
> *Sed potius longè linguæ præcessit origo*
> *Sermonem, multòque creatæ sunt prius aures,*
> *Quàm sonus est auditus, & omnia denique membra*
> *Ante fuére, ut opinor, eorum quàm foret usus,*
> *Haud igitur poterant utendi crescere causâ.*

Lib. 4.

Quam fabulam de linguâ & larynge acutè satis à Gassendo irrisam esse memini. Sic enim ille. 'Sunt satis fecisse 'rati cùm dixere nares à spiritu prætermeante disruptas 'fuisse. Verùm potuerit spiritus aliquam partem effringe-'re, an ideo tamen potuit asperam arteriam formare, il-'lamque prius pervadere? Et cùm os ipsum satis patuerit 'ad eruptionem spiritûs, nonne esse potius ea causa de-'buit, quæ prospexerit, ut quoniam aliquando os clau-'ditur, apertæ paterent in subsidium nares, quibus interim 'spiritus induceretur educereturque? Quod si eæ solâ spi-'ritûs vehementiâ fuere disruptæ; cur non disruptus fuit sur-'sum nasus, potiusquam cum illâ deflexione in basin; com-'modâ aliunde, ut cùm inductione spiritûs odor in olfactum 'feratur? Si fecit aliunde spiritûs eruptio hujuscemodi a-'perturam; cur non ita sursum arteriam aperuit, ut epi-'glottidem abduceret, & non ipsam relinqueret, quæ op-'positè adeo immissioni cibi potusque per arteriam obstaret? 'Sed

Phys. sect. 3. memb. post. l. 2, c. 3.

'Sed & ipsa arteria nonne cùm annellis cartilagineis fuit
'roborata, idcirco id fuit, ne flaccesceret, & via spiritûs,
'cujus est ad vitam perpetuus itus atque reditus necessari-
'us, ex meatûs collapsu intercluderetur? Et cùm hi an-
'nelli fuere complanati quâ parte arteria contingit œso-
'phagum; nonne esse debuit causa, quæ prospiceret ne
'annellorum asperitate teneritudo œsophagi, ac alimento
'potissimùm prætervadente, læderetur? Cumque arteria
'bronchiis variis ista distribuatur per pulmonis substantiam,
'nonne arguitur debuisse prius spiritum per os, naresque
'transire, pulmoni difflando, quàm è pulmone difflatum
'aut os aperire aut nares diffringere? Et quorsùm dia-
'phragma potius non diffregit, & sub medium potissimum
'quâ membranaceum est disrupit? Ipsum verò diaphragma
'quamobrem eâ fieri contexturâ potuit, nisi quia cùm costæ
'pulmonem sepientes, neque difflante illo diduci, neque ef-
'flante conduci possent, ut inanitatem intra corpus averte-
'rent; id præstari per ipsum diaphragma oportuit; quod
'per difflationem premens abdomen nullis costis impeditum
'possit pulmoni cedere; & per efflationem cum abdomine
'repetere locum relictum. Hæc hactenus ille, quibus ami-
cos suos plus satis refutasse visus est, omnino enim refuta-
ri, imo quidem irrideri dignos esse non existimo, qui fatui-
tatem suam solâ impudentiâ in æstimationem induxerunt.
Eâ enim stupiditate se in omnibus expediére, ut nisi impu-
dentissimè se quoque gessissent, nullâ unquam doctorum
opinione esse potuissent. Cùm verò tam elato vultu, tam
contractis superciliis, tam gestiente animi fastidio dogmata
sua orbi obtruserint, eâ solùm ratione effecerunt, ne pror-
sus inter fungos & fatuos conculcentur. Quâ de causâ Epi-
curum, si quid, prudenter non dicam sed callidè cogitare
poterat, omnium quæ in corpore cernuntur imprimis ocu-
los ad usus suos factos negasse putarem: quippe quòd eâ
fiduciâ, cùm in omni corporis fabricâ nihil sit oculorum
structurâ mirabilius, obtinuerit ut de cæteris faciliùs dis-
putetur. Alioqui enim nisi Epicurus, in Philosophorum
censum irrepsisset, quisquamne, qui quâvis eruditione fu-
erit, cum quovis an ipsi oculi videndi causâ facti sint dis-
putare dignaretur. Cùm itaque ipsum hominem con-
temptissi-

temptiſſimum jam diu exiſtimaverim, in contemptione habere nolo, nedum tanquam gravem adverſarium refutare. Quandoquidem verò præclara quædam de pulmonum uſu & fabricâ nuperrimè reperta ſint, omiſſis iſtis quæ in quovis Anatomico reperiantur, pauca de novis dicam, ut tandem videant Philoſophi nihil unquam niſi ad majorem ſummi Opificis gloriam in rerum naturâ inveniri.

SECT. XIV. A Cl. Malpighio primùm didicimus Pulmonem non parenchyma carneum eſſe, ſed innumerabilibus veſiculis, non aliter quam in apum favis alveoli, conſtitutum eſſe, eo autem ordine ſitis, ut à Tracheâ ad extremam illius membranam aditus ex unâ in alteram pateat, neque id modo, ſed & quemvis pulmonum lobum infinitis lobulis conſtare, quorum ſinguli ſuâ membranâ ſepti per totam molem ab ipsâ Tracheâ tanquam ſurculi à radice nati undique ad extremitatem pertinent, atque adeo cùm fiſtulæ bronchiales per totam compagem excurrant, & in veſiculas numeroſas deſinant, aërem non modo intus comportant, ſed & magnam illius copiam, ut præſto ſit ad vitæ uſus ſemper in ſe conſervant, atque quo promptius ſpiritum vitalem ſanguini affundant, vaſis omnis generis ſanguiferis undique perluuntur. Ut optimè Cl. Williſius. 'Arteriæ '& venæ pneumonicæ Tracheam ejuſque partitiones κατὰ 'πόδα obſervant; nam cujuſque horum rami & propagines 'è truncis ſimiliter oriundi, & huc illuc protenſi, pari paſſu 'ubique incedunt; ita ut Trachea ejuſque rami medium 'uſque locum teneant, ſupra hanc Vena, & infra Ar'teria pneumonica ferantur, omneſque æquali & ſociâ ra'mificatione diſtribuantur, quin & ſurculi & propagines 'compares, à ſingulis emiſſi, comparibus ſuis ſtatim appli'cantur, inque plexus ſeu velut retia mirabilia, è quibus 'pulmonum textura fere in totum eſt conflata, abeunt. Quibus accedunt tum lymphæductus qui aquam ſuperfluam exportent, tum propagines nerveæ, quæ ſpirituum copias fibris muſcularibus per omnes pulmonum tunicas excurrentibus ſuppeditent, è quorum vaſorum filamentis incredibili ad maximos vitæ uſus arte inter ſe contextis tota pulmonis compages fabricatur. Quæ deni-

Pharm. Rat. part. 2. cap. 1. Cap. 7.

que membrana ex ipsis vasorum extremitatibus mirè confecta extrinsecus vestitur, ut aërem à sanguine superfluum atque ei velut aggeri impingentem foras reflectat.

Cùm autem tam exquisitâ Artis ratione constituatur ipsa pulmonum compages, si deinde perquiramus quibus Instrumentis respirationis motus perficiantur, id quoque optimè descripsit Clariss. idem Willisius. 'Circa hos motus, inquit, 'divini Conditoris mechanicem ad regulas mathematicas 'planè adaptatam satis admirari non possumus; siquidem 'nullâ aliâ in re manifestius ὁ Θεὸς γεωμετρεῖν videatur. 'Quippe cùm pectoris tum ampliatio tum coarctatio à 'quibusdam musculis (quorum munus unicum est con- 'trahere) perfici debeat; res ita instituitur ut costæ, quæ 'thoracis, velut parallelogrammi oblongi versus Cylindrum 'incurvati, latera efformant, in figuram modo quadratam, 'cum angulis rectis, pro pectoris ampliatione, modo in 'Rhomboeidem, cum angulis acutis, pro ejusdem con- 'tractione, ducantur. Quod vero à partium situ ita mu- 'tato sequitur, ut cùm latera ab invicem longius absce- 'dunt, fines propius adducantur, & è contra; proindeque 'spatii capacitas alterari potius quàm augeri aut diminui so- 'leat, ne ita circa thoracis cavitatem accidat, per Diaphrag- 'matis motum miro artificio sic cautum est, ut, dum costæ 'superius pro pectore ampliando versus quadratam figuram 'ascendunt, ne fines interius abbrevientur, Diaphragma, 'quod finem inferiorem claudit, deorsum versus Abdomen 'extumescat; adeo ut Thorax quoad longitudinem simul, 'ac quoad profunditatem amplietur: dein vice versâ, dum 'costæ inferius ad pectus coarctandum versus Rhomboeidem 'figuram ducuntur, ne fines ex more longius abscedant, 'Diaphragma superius ascendit, proinde ut Thoracis ca- 'pacitas inter expirandum, etiam quoad utramque dimen- 'sionem angustetur. Imò etiam ductus qui in Larynge annulares sunt, in pulmonibus loricati existunt; 'Ita ut cùm 'opus sit ductus istos contrahi, cartilago inferior superioris 'cavitatem subeat, simili fere ritu ac in Locustæ tunicæ 'crustatæ juncturis habet. Adeo quidem divino artificio 'cautum est, ut, cùm pulmones dilatantur, Bronchia in 'longitudinem maximam protendantur; cumque illi con-

Ibid.

'tra-

'trahuntur, partibus aliis intra alias diductis summè abbre-'vientur. Denique ipsæ cellulæ vesiculares, in quas fistulæ bronchiales desinunt, innumerabilibus fibris muscularibus donantur, ut pro datâ occasione ipsæ se arctius contrahere atque majorem aëris copiam expirare valeant. Quo mirabili organorum Apparatu ultro sine labore sine vigiliis perficitur ingens & perennis ista spiritûs vitalis exantlatio. Si vero quis singulare cujusque musculi artificium mechanicum delineari flagitaverit, Cl. Willisium & Fallopium consulat, qui accuratè systema omnium Geometricum descripserunt. Mihi autem non licet omnes divini Artificii rationes fusè explicare, quippe Instituto satis est si solum indicavero. Quod cùm fecerim, nemo est, nisi ipse se luminibus orbaverit, quo non clarissima divini Artificis monumenta ubique intueatur.

SECT. XV. Si tamen omnis hujus machinationis utilitatem intueri placuerit, eam non minori admiratione affecti quàm ejusdem artificium intuebimur. Varii enim illius usus ab Anatomicis enumerantur, quanquam omnium rationes ad hunc unum utilitatis fructum referuntur, quod debitam sanguinis circulationem, quâ solâ stat omnis vitæ ratio, tueatur. De quâ re solerter sic disputavit vir doctus, sanguineam molem triplici motu donari. *Motu fluidorum*, quòd heterogeneæ illius particulæ intestino varioque motu inter se agitentur: *Motu fluminum*, quòd perenni fluxu aliquoversum feratur: *Motu calidorum*, quòd unà cum fluiditate ei insit agitatio ista celerior, quæ calori peculiaris reperitur: atque hos omnes respirationis beneficio in sanguine conservari. Cùm enim sanguis è corde in pulmones vibratur, in quibus nullæ sunt fibræ, nullus musculus, ut suopte Marte quemvis motum præstare possint, penitus stagnaturum putat nisi in subsidium respiratio advocetur. Atque igitur mirabili istâ ratione omnes vasorum extremitates tum Tracheæ tum Arteriæ tum Venæ pulmonaris invicem commiscentur, ut spiritus vitalis per Tracheam ingressus novam quasi lucem sanguini afflaret, eumque particulis nitrosis in novam fermentationem adactum majori impetu in alterum Cordis sinum impelleret. Quo

Mal. Thrustonus diatr. de Respir.

accedens atque majorem quàm in viæ angustiis libertatem inveniens sui dilatatione validos illius parietes distendit, qui se pendulorum more contrahentes rursum omnem sanguinem explodunt. Atque hinc summa ista ad vitam respirandi necessitas, ut quanquam cibo & potu per dies aliquot carere possimus, interceptis tamen respirandi viis ne ad semihorulam quidem vivere valeamus, quod sublatâ respiratione, momento omnis sanguinis sistatur motus & circulatio. Quibus quidem ipsam rei veritatem ferè attigisse visus est, nisi quod cùm idem sit in sanguine fluiditatis & caliditatis motus, duplicem potius ipse motum esse dicerem, alterum *fermentationis*, *circulationis* alterum, atque hos si placet perspirationis ope confici statuamus, non ut sanguinem alioqui in pulmonibus stagnaturum conquassaret & in motum denuò impelleret, ut illi visum est, cùm satis instructi sint ipsi pulmones tum fibris propriis tum thoracis musculis, quibus quicquid sanguinis in eos vibretur, ex iis validissimè excutiatur: sed ut spiritus iste vitalis, quem nunc omnes nitrosum esse consentiunt, in istis viarum angustiis minutius sanguineæ massæ admisceatur. Atque magna quidem est ista quæ in pulmonibus fit sanguinis mutatio, cùm clarissimis experimentis eum atro colore pulmones intrare, rutilo autem & purpureo imbutum ex illis redire demonstretur. Cujus causam ut aëris nitrosi cum sanguine admixtionem esse aiunt, ita eâdem fermentationem vitalem fortius excitari probant, cum multis experti sint nitri & sulphuris, qualis sanguis habetur, congressu tum effervescentiam gigni tum colorem coccineum exoriri. Quam rem multi præclarè tractavére, nemo verò aut solertius aut uberius quàm doctissimus meus olim Collega Joannes Mayow, qui quidem Argumentum integrè & ab omni parte tractavit, omniaque phænomena ad id pertinentia nitidis experimentis illustravit. At præter ea quæ jam ante diximus, hoc unum quod præclarè expertus est præterire nequeo, quod fontibus istis frigoris utrinque ad polos sitis, de quibus superius dictum est, magnam lucem afferat, eorumque cursus vel quidem mechanicè explicet. Aërem nempe qui in pulmonibus spiritu nitroso exuitur atque adeo effœtus & ad respirationem inutilis expiratur, elatere suo simul & pondere

pondere orbari, atque ita aëris ambientis pressurâ in sublime ferri, quo fit tum ut in effœti locum recens semper hujus pabuli vitalis copia suppeditetur, tum ut aër iste in altum sublatus novâ virtute imprægnetur. Quippe versus igneum Elementum, quod ipsum solem esse ait, ascendens, particulis nitro-aëreis, quæ propius ad solem majori copiâ hospitantur, imprægnari necesse est; atque eorum accessu nunc gravior factus ad aëris regionem maximè frigidam vulgo mediam dictam deorsum fertur, ibidemque celeriter refrigeratus valdè rigidus evadit, vimque resiliendi de novo contrahit. Sicut ferrum mollius & elatére privatum, igni immissum excandesceret, dein mox aquæ frigidæ immersum, citò refrigesceret, & ita demum rigiditatem vimque resiliendi suam denuo recuperaret. Denique cùm ad regionem frigidam pervenerit, non rectâ deorsum sed obliquè versus polos defertur. Etenim continuus vaporum aërisque ascensus, qui in regione Meridionali ob calorem ibidem maximè intensum aërisque rarefactionem contingit, rectum illius descensum impedit; à polis autem eundem obliquè revertentem versus meridiem iter tenere, usque dum ad terram inferiorem pro variis animalium usibus pervenerit. Et hæc ratio esse videtur quod ventus septentrionalis maximè siccus frigidusque sit, in quantum scilicet idem aërem particulis nitro-aëreis, iisque summè effrigescentibus siccisque gravidum secum rapit. Atque dum ita particulæ aëreæ spiritu nitro-aëreo deprivatæ in altum tolluntur; ibidemque eodem denuò imprægnatæ, inde ad inferiora revertunt; videntur particulæ aëreæ tanquam sanguis Macrocosmicus perpetuo gyro circulare; & vel ipse Aër, dum spiritum nitro-aëreum inter circulandum haurit, quodammodo respirare. An vera sit in omnibus hypothesis non dicam (quanquam verisimiliorem, secum & cum rerum phænomenis magis consentientem vidisse non memini) neque ut sit, nostrâ omnino refert; quippe nobis satis est, cùm maxima semper sit ad vitæ usum & incolumitatem spiritus recentis necessitas, summâ Providentiæ solertiâ provisum esse ut in effœti longè abeuntis locum recens ultro substituatur. Atque igitur locum hunc piâ prædicti Authoris conclusione peroremus, 'Ut scilicet miremur Opificis summi op-

'timique Providentiam, cujus sapientissimo consilio con-
'stitutum est, ut aër particulis nitro-aëreis, spirituque vi-
'tali privatus, elaterem & pondus suum simul amitteret;
'quò idem ob vim reliqui aëris elasticam, pressuramque in
'sublime feratur, aërque recens in locum effœti adveniat.
'Alioquin enim nulla omnino foret hominum, imò ne anima-
'lium quidem societas: quippe oporteret ut singuli & sepa-
'ratim vitam degeremus; quo, *viz.* spiritûs nitro-aërei pe-
'nus ad vitam sustinendam satis amplus cuique suppeteret;
'& quidem inter mortales non tam de agris, quàm de tra-
'ctibus aëreis appropriandis, eorumque finibus dividen-
'dis lis perpetua foret. Quin & vita uniuscujusque pere-
'grinatio quædam perennis esset: in quantum sc. necesse ha-
'beremus noctu, & interdiu per orbem terrarum, & loca
'deserta, non tam ad divitias, dapesque exoticas acqui-
'rendas, quàm ad pabulum aëreum indagandum, auram-
'que popularem evitandam latè expatiari. Quantò autem
'melius nobis consuluit Pater Optimus, qui aërem hunc
'circumfusum, tanto artificio construxit; ut spiritus ni-
'tro-aëreus, Elixir, inquam, vitæ summè necessarium, ad
'nos sponte suâ usquequaque accedat, quinimo vel in
'ipsa nostrûm ora, intimaque præcordia ultro se ingerat.

SECT. XVI. Fingunt denique succo semineo efferve-
scente particulas subtiliores sursum exilire, atque earum
copiâ in capite collectâ liquoris Crystallini stagnum sive
coagulum exoriri, atque ab eodem innumeros nervorum
canaliculos scaturientes undique per totum corpus perti-
nere. Cùm autem nimium alienâ provinciâ jamdiu versatus
esse videar; cumque plus satis præclara sint sapientissimæ
Providentiæ vestigia, quæ in superioribus perlustraverim,
operæ pretium non existimo omnem ἐγκεφάλου & *nervosi ge-
neris* apparatum explicare, quem tamen si quis accuratè de-
scriptum intueri desideraverit, unum consulat Willisium,
qui ut Harvæus Cordis penetrale, ita ipse Cerebri arcem
primus superavit. Causæ autem meæ me satis fecisse arbi-
trabor, si paucis, quæ ab eo didici, impudentissimam Me-
chanicorum proterviam propulsavero. Age ergo Cere-
brum, ut ipsi fingunt, nos quoque factum esse fingamus.
An

An idcirco in ſubſtantiâ adeo molli & laxâ tam concinnæ ſpirituum, etiamſi ſuâ Naturâ agiles, effrænati, vagabundi fuerint, ſeries & ordines exarari potuiſſent? Præſertim cùm Cerebri ſubſtantia non medulloſa, ſed mollis & aquæ ad inſtar fluida exiſtat, cùm in eodem ſpirituum ſchematiſmi primùm delineantur. Quiſquamne credit corpuſcula bruta & frænata poſſe in materiâ diffluente diverſas ſuas ſedes occupare, & ſua quæque munia tueri? An ſingulis ἐγκεφάλου partibus ſuas provincias partiri potuiſſent, ut ſola pars illius corticalis ob peculiarem ſui ſtructuram ſit ſpirituum animalium officina; ut in cerebro ii ſolum elaborentur ſpiritus, qui functionibus ſpontaneis; in cerebello qui involuntariis famulantur; ut inde perenni & æquabili effluxu in vitalium functionum organa ultro neque conſcio Animali diſpenſentur; ut ſpiritus in Cerebri regione corticali procreati, inde ſtatim in medullarem tanquam publicum Emporium ſeſe ſponte effundant, ibidemque diſtinctis quaſi loculis cujuſque facultatis uſibus impendendi aſſerventur? An fortuito ipſorum intra Cerebrum motu Phantaſiæ, Memoriæ, Appetitûs, imo (quoniam & hoc arbitrantur Athei) ſuperiores animæ facultates architectari potuiſſent? An denique philoſophari, ſapientes eſſe, leges ferre, reſp. adminiſtrare, dicendi gravitate & copiâ dominari, artes, ſtudia, doctrinas tractare potuiſſent? Novi equidem enixos fuiſſe è recentioribus complures pleraſque animæ facultates mechaniſmo non fortuito ſed divinitus comparato explicare, tamen vix meliori exitu quam ipſi Mechanici, quibuſcum nunc diſputatur, expedierunt. Ipſe quidem Williſius, qui quanquam divino quodam acumine vigeret, iſto conatu longè à rerum ſubtilitate cecidiſſe viſus eſt; cùm enim quî omnia ſenſuum & phantaſiæ munia ſpiritibus in cerebro hoſpitantibus confecta ſint deſcripſiſſe ſe putet, inſtrumenta ſolum non ipſam cauſam principem aſſecutus eſt, & quanquam præclaris admodum conjecturis dixerit, quemadmodum eorum miniſterio extrinſecus advenientes rerum ſpecies coram perceptionis ſede ſiſtantur, cùm tamen aut iis aut ipſi Cerebro ipſam percipiendi vim & facultatem aſcripſerit, cæterorum profectò Mechanicorum more ſe quoque expedivit; adeo omnem ingenii humani aciem fugit & ſuperat

Libro de Animâ Brutorum.

perat divini Artificis solertia. Vim quidem mirabilem quæ vigeat, quæ sentiat, quæ intelligat, nostris hisce corporibus inesse sentimus; quæ vero aut qualis sit, quemadmodum operetur, & quî cum corpore commercium habere possit, nunquam intellectu assequi speremus. Quanquam hoc assecutum fuisse & confido & gestio, posse indubitatis argumentis demonstrare nequaquam aut materialem aut mechanicam esse, atque speciatim in homine, si quæ sit Numinis divini Providentia, fore immortalem. At loci alieni sunt ista. Interim autem Mentem istam quâ sapimus, quâ providemus, quâ nobis conscii sumus, è corpusculis nullo sensu præditis, sed temerè atque casu concurrentibus effectam fuisse, quis cum Epicuro nisi per jocum imo potius per ludibrium disputaret?

Deinde esto, potuerunt particulæ architectonicæ se suumque domicilium membranâ vestire. Nihilne tamen Providentiæ esse putatis quod pia Mater in cerebri plicas ubique insinuetur, tum ut innumeris sanguiductibus vestita sanguinem ubique Cerebro & Cerebello in spiritus animales elaborandum suppeditet; tum ut Cerebrum in varias officinas & cellulas dirimat, quo singulæ spirituum diataxes intra proprios cancellos coerceantur, neque ultro citroque evagantes seque alios aliis susque deque immiscentes omnium facultatum exercitia perturbent? Nihilne est, quod perexiguæ & capillares Arteriarum propagines ubique in totius ἐγκεφάλου compagem insinuentur, qui alimentum simul & materiam elaborandam ministrent? Nihilne quod istis ubique obviam fiant similes venularum surculi qui quicquid est sanguinis à spiritibus superfluum exugant? Nihilne quòd glandulæ omnibus passim vasis intertexantur, quæ secretis demum spiritibus laticem superfluum excipiant, ut tandem in communes Cerebri cloacas convehatur, atque inde extra illius confinia amandetur. Sin verò hisce spongiis Cerebrum penitus caruisset, superfluis serositatibus, quæ ipsius poros & meatulos facile occuparent, prorsus obrueretur, ut in affectibus *scotomiæ*, vertiginis, fatuitatis, aliisque constat, qui plerunque præ nimia serositate eveniunt.

SECT.

SECT. XVII. Deinde è Cerebri radice nervorum propagines germinare potuerunt. An ergo tam mirabili divaricatione in ſingulas corporis regiones, ut iis ubique opus erit, longè latéque ſerpere potuerunt; ut iis ſpiritus animales quaquaverſus in corporis ambitum, ad vitæ, motûs, ſenſûs munia deferantur? An potuere tunicis intra Cranium à piâ Matre aſcitis, atque extra, longius nempe excurſuri, à durâ Matre productis ſe veſtire; quibus ſpiritus intra nervorum meatulos coerceantur, ne protinus avolent tenueſque evaneſcant in auras? An potuere truncos & ramos ſuos in plura quaſi fila ab invicem ſeparare, ne ſpiritus hinc inde commeantes alii alios in tranſitu impediant, ſed dum in varias fibrillas diviſi exiſtunt nervi, quiſque ſpirituum tractus peculiarem ſibi ſemitam adipiſcatur? An potuére ſingulis muſculis pro cujuſque uſu & neceſſitate ramos aut denſiores aut rariores diſtribuere? Cùm enim facta ſit concinna, varia, atque utilis iſta muſculorum omnium ſtructura, ut ſcilicet tot tendines carne ſtipentur; ut rectà omnes per muſculi corpus ducantur; ut cujuſque caput aut Oſſi aut Cartilagini alligetur, ut eum adipiſcantur ſitum quo ad omnes locorum varietates ſe movere poſſint, ante, retro, dextrorſum, ſiniſtrorſum, infernè, ſupernè; alii flectant, alii extendant, alii adducant, alii abducant, alii attollant, alii deprimant, alii denique circumagant, omnem tamen iſtum mechanicum apparatum nullius uſûs fuiſſe quis non videt, niſi nervorum propagines ab uſque cerebro in ſingulos per univerſum corpus muſculos derivari proviſum fuiſſet?

Nihilne eſt quod nervi Optici in oculorum orbitas deferantur, quòd ſeſe dilatent inque varias fibras diffundant, quod ex iis variæ tunicæ fiant, quòd in tunicis varii humores, Cryſtallinus, Aqueus, Vitreus, in debitum quiſque locum & muneri ſuo idoneum reponantur; quòd figuram ſuis uſibus maximè aptam adipiſcantur, quod ſcilicet Aquatilibus humor Cryſtallinus fere rotundus ſit, Terreſtribus lenticularis; quòd Tunica uvea foramen habeat, idque humori Cryſtallino oppoſitum; quod niſi adeſſet, idque eo loci, ſpecies intus ſuſcipi nequirent,

quòd se pro visionis commoditate contrahere & dilatare valeat; quòd retinæ fundus tum concavus fuerit, ut radios omnes excipiat, tum pupillâ uveæque foramine amplior, ut radii in pupillâ confusi amplius spatium nacti se secernant, distinctique ad retinam perveniant. Verum ne reliqua innumerabilia accumulem, adeo exquisita est oculorum fabrica, tam accommodata in iisdem organulorum omnium contextura, ut illos cæcâ causâ artisque experte nemo nisi unus Epicurus negare potuisset, neque quidem ipse ut dixi negasset, nisi ut impudentiâ se ad cætera muniret.

Nihilne est quòd alterum nervorum Par eâdem cùm constantiâ tum utilitate ramos suos in easdem regiones diffundat; quòd alterum perforatâ ipsâ Calvariâ in musculos faciei suos surculos disseminet, atque in linguam, palatum, os ὑοειδὲς (quod quoque mirâ arte epiglottidi substernitur) labia, gingivas, aliaque omnia organa alimenti manducationi destinata distribuat; quod alterum ramulum in auricularum cavernulam emittat, qui nisi ita commodè per septum tenue se explicaret, crassa & immedicabilis surditas induceretur? Nihilne est quod *nervi recurrentes* ab ipsâ Aortâ quasi de sermonis usu soliciti, respiciant, sursum reflectant, ramosque ad voces gubernandas Laryngi inserant? Nihilne est quòd *Par vagum* surculos suos cordi, ventriculo, œsophago, aliisque partibus distribuerit, sine quibus animal è vestigio interiret, cùm ligato in cervice illius trunco animalia mox expirare comperiatur? Nihilne denique est quòd *Par intercostale* ad Hepar, Mesenterium, Renes, omniaque infimi Ventris viscera surculos suos emittat, imò ut densissimos surculorum plexus ubique per fæcum viscera dispergat, ut serositates à nervoso genere excrementitias ad intestina deferat foris amandandas? Quid autem plura? Causâ tam manifestâ plura pudet pigetque. Pudere atque pigere inquam? Imo quod res tam ridiculas tandiu refutaverim pœnitere & quidem quòd refutare cogamur indignari oportere puto. Quis enim ludibrio & despectu non factum esse putaret, cùm istæc omnia quæ diximus, eorumque usus demonstrare postuletur? Aut cùm fecerit tantam industriam causâ tam perspicuâ, quæque dubitationem quamvis ne quidem ferre potuit, posuisse,

ſuiſſe, ſibi non prorſus nauſearet? Neque equidem ut cauſam adverſariam everterem, tantum in eâdem laboris & luctationis poſui, ſed quod iſtâ occaſione datâ mirabilia Artificii divini monimenta contemplando me oblectare voluiſſem.

Quanquam autem jucunda ſit iſta, quam hactenus ſecuti fuimus, ſeorſim inſtituta Aquæductuum & Canalium contemplatio; multò tamen majori admiratione rapiet mutua omnium cum omnibus commercii neceſſitudo. Cùm etiamſi magno Artificii apparatu ad ſuum quiſque munus fabricetur, niſi tamen aliorum miniſterio adjutus neque ſupereſſe neque quicquam proficere potuiſſet. Quippe niſi è Corde in Cerebrum ſuppeditetur ſanguis, neque nutriri neque ſpiritus procreare poſſet. Neque niſi viciſſim Cerebrum debitum ſpirituum vectigal cordi impenderet, Cor ſanguinem conficere poſſet. Neque alterum ſanguinem neque alterum ſpiritus, niſi Ventriculus chylum & Pulmones nitrum ſuppeditarent. Neque poſtremò ventriculus & pulmones, niſi à Corde ſanguinem, à Cerebro ſpiritus acciperent, ſuis provinciis fungi potuiſſent. Cùm itaque horum cujuſque, ut ita dicam, Labyrinthus tam mirabili Artis ſolertiâ ſeorſim extruatur, cumque tam commodâ commercii opportunitate omnes invicem devinciantur, quid (proh Deum immortalem!) ſapientius, quid utilius, quid ſolertius, quid denique divinius fabricari potuiſſet?

SECT. XVIII. Imo inquiunt mirabilia ſunt iſtæc omnia, atqui tamen iſtis non minora ſine arte, ſine conſilio, ſine ratione quotidiè facta videmus. Quid enim an non Animalia omnia quæ nunc naſcuntur, nullo Parentum artificio, ſed ſolis cauſis naturalibus, quæ quoque ipſæ Artis expertes ſunt, elaborantur? Cur non igitur ab initio ſine quovis Architecto pari ratione procreari poſſent? An verò non vident iſti ſe hac diſputandi ratione in novas, eaſque multò majores difficultates delabi? Quippe & de his quærimus, cùm eâ, quam ſuperius diximus, arte fabricentur; parentum autem nullâ, cùm quî fiant, ipſi neſciant, neque cauſarum naturalium ullâ, cùm nihil ipſæ intelligant. Iſta-

rum inquam omnium commoditatum, quas attulimus, & quæ in quovis Animali recens nato reperiuntur, causam architectricem quærimus. Quæ nulla alia esse potest quàm divinus idem Artifex, qui ut initio omnia animalium genera mirabili arte architectatus est, ita ad cujusque generis conservationem, iis facultatem non modo mirabilem, sed & prodigio simillimam dedit, ut sui simile in suo quodque genere procrearent.

At præter novum hoc sobolis propagandæ, ut ita dicam miraculum, in priores de Canalium fabricatione difficultates incurrunt, cùm in cujusque animalis ortu compertum sit vasa pleraque, priusquam quicquam per ea transiverit, efformari; sic, ne quid de ore, de œsophago, de ventriculo, de intestinis dicam, Aspera Arteria, Nares, Pulmones, omniaque respirationis instrumenta, priusquam quicquam spiritûs viam per ea sibi fecerit, extruuntur. Imo & ipsa vasa seminalia aliquot annis antequam quicquam liquoris seminalis per ea transiverit in suos usus comparantur. Atque hinc in novum divinæ Providentiæ argumentum incidimus, quæ non minus in animalium propagatione quam primâ eorundem procreatione artificiosa videtur. Si enim instrumentorum omnium quæ ad istum usum destinantur, apparatum perspexerimus, non minori, imò multo majori artificii ratione fabrefactum fuisse comperiemus. Considerate igitur (& quantum per modestiam liceat consideremus) primùm vasa quæ ad semen conficiendum comparantur; Venas, Arterias, earumque innumerabiles anastomóses; *plexum pampiniformem*, qui ex iis in varios hinc inde cincinnos crispatis & convolutis efformatur, ut per eos sanguis tanquam serpentinos canaliculos elaboretur. Epydidymedes, Testes, Vasa deferentia, Parastatas, Prostatas, Vesiculas, quæ omnia incredibili artis solertiâ ad suos quæque usus fabricantur. Considerate sexuum in quoque animalium genere distinctionem atque membrorum genitalium in omni genere accommodationem; ut si in genere quovis unius sexus partes peculiari modo efformentur, iis alterius partes accommodentur. Ut si masculis non emineat membrum genitale (quod de muscis, papilionibus, aliisque insectis perhibetur) fœminâ ad semen à mare proliciendum emittitur.

Ut ſexus muliebris pro rei neceſſitate aliis partibus, quibus donatur virilis, careat, alias autem, eaſque aut eodem modo aut diverſo,ut uſus poſtulaverit, conſtitutas ſortiatur. Conſiderate incredibilem uteri ad naturæ uſus fabricationem, ut nunc conſtringatur, nunc dilatetur, tum ut quàm opportunè ſemen excipiat, eoque excepto ſe continuò claudat, tum ut in partu rurſus mirificè ad fœtûs enixum amplietur. Quam rem tam admirabilem putat Galenus, ut eam mirari nos poſſe, intelligere non poſſe dixerit. Ut ejuſmodi membranis conſtet, quæ quamvis exiguam intus cavitatem obtineant, pro fœtus tamen numero aut magnitudine in immenſam molem facilè amplientur: Imo & (contra quam fieri ſolet) ne fortè fœtus conatu rumpantur, eo fiunt craſſiores, quo magis extenduntur. Ut ſingulari Providentiæ curâ pelvis oſſe ſacro & oſſibus Ilei efformata, in quâ uterus ſitus eſt, amplior in ſexu muliebri quàm virili reperiatur, quo uteri extenſioni locus detur accommodatior. Quid de univerſo partium apparatu, quæ fœtûs nutritioni deſtinantur, dicam? Quid de mirabili umbilicalium ſtructurâ? Quid de vaſis uteri lactiferis? Quid de duplici tunicâ, Amnio & Chorio, ut in iis Infanti ſuus nutrimenti penus reponatur? Quid de humoribus nutritiis tunicâ utrâque contentis? Quid de Placentâ? Quid de Acetabulis? Quid de mammis? Quid denique de ipſis mammarum papillis? Quæ tamen omnia admirabili tum artis tum uſûs ratione extruuntur.

Conſiderate vehementes ad Venerem in omni Animantium genere illecebras, quibus quaſi Cupidinis ſtimulis acta ad ſobolis procreationem ſolicitantur. Omnes enim præter unum hominem Animalium familiæ, rationis ſcilicet expertes, nunquam de ſobole propagandâ cogitaſſent, niſi in eam importunâ libidinis vellicatione incitatæ impellerentur. Conſiderate denique mirabiles ſeminis virtutes; ut tam ratâ conſtantiâ operetur, quod enim fortuitum eſt, idem varium & inconſtans eſſe neceſſe eſt; præſertim ubi tanta, quantam efflagitat Animalis fabricatio, caſuum ſeries poſtulatur. Ut informis materia ſe in Dædaleum corporis tot partibus atque organis inſtructi ſyſtema elaboraret. Ut tam variis, ſubtilibus, & involutis motibus moderetur, quot

ſunt, quibus tam innumerabiles venarum arteriarúmque meatuli delineantur, tot membrorum & muſculorum figuræ efformantur, tot vitæ & ſensûs organa adornantur, tam pulchra denique & abſoluta totius Corporis ſtructura fabricatur. Quid poſsítne Cauſa bruta omníſque rationis expers tam præclarè omnem artis, omnem rationis ſolertiam ſuperare? Poſsítne per innumerabiles actionum ſeries, perque decies mille millenos caſus ad eundem finem ſemper pervenire? Quid mirabilius eſſe potuit quam Parentis ſimulachrum informi humore tam accuratè delineari, aut humorem ipſum ſe pluſquam Dædaleâ arte in animal, ei à quo prodiit, ſimillimum elaborare? Cum eâ partium multitudine, varietate, formâ, uſu, ſitu, ſymmetriâ perficere, ut nihil niſi in pejus omnino mutari potuiſſet. Stupeat hæc, ſtupeat inquam Intellectus humanus, nunquam enim ſperet omnibus ingenii viribus hanc tam admirabilem Opificis divini ſolertiam ſe eſſe aſſecuturum. Quod quidem prodigii tam plenum atque miraculo tam ſimile beato *Juſtino* Philoſopho & Martyri viſum eſt, ut eâdem facilitate mortuorum Reſurrectionem fieri potuiſſe concluſerit, 'Rem 'ipſam ſecum conſideranti quid incredibilius videatur, 'quàm ſi in corpore nondum eſſemus, aliquis diceret è 'parvâ quâdam humani ſeminis guttâ fieri poſſe ut oſſa, 'nervi, carnes ad eam quam videmus effigiem efformata ex-'iſtant. Si quis inquam vobis, cum nondum ex talibus 'orti eſſetis aſſeveraret (ſemen humanum & imaginem 'humanam pictam indicans) ex eo ipſo ſemine naturam 'hujuſmodi fieri poſſe, num, priuſquam id factum eſſet, 'crederetis? Non equidem opinor quempiam contra hæc 'dicere auſurum fuiſſe. Quomodo ergo ab initio fieri non 'potuiſſe crediditſſetis, ut è tenui guttâ tales exiſterent, 'atqui tamen extitiſſe videtis; eodem modo impoſſibile 'non eſſe exiſtimate ut diſſoluta atque ſeminum inſtar in 'Terram disjecta corpora Dei juſſu reſurgant. Atque ſi rem ſeriò, perpenſis utrinque circumſtantiis, contemplemur, certè nihilo facilius videbitur Corporis humani fabricam ex aquæ guttâ quàm pulveris cumulo efformari. Ut quidem ſi quis cadavera penitus dilapſa atque in cineres ſoluta in vitam revocari videret, divinâ vi factum fuiſſe non dubitaret,

Apol. 2.

dubitaret, ita cùm nasci animalia videamus non minori admiratione stupentes divini Opificis cùm potentiam tum solertiam veneremur.

SECT. XIX. Post hæc autem omnia unum adhuc superest præclarum (ut mihi videtur) optimi Numinis argumentum, divinus nempe iste Naturæ instinctus, quo omnia Animantium genera summâ benevolentiâ & charitate erga prolem concitantur. Quâ enim industriâ, quâ solertiâ, imò quâ quidem Providentiâ fœtuum educationi & quasi familiæ institutioni prospiciunt? Quanto artificio aviculæ nidos ovis deponendis extruunt? Quantâ diligentiâ iis, dum excludantur fœtus, incubant? Quantâ sedulitate pullis cibum victumque Quærunt? quantâ denique fortitudine ab omnibus injuriis & periculis tuentur? Quæ tamen omnia nullo consilio aut deliberatione efficiunt, sed ad ea necessitate quâdam stimulantur. Cùm nullâ varietate, ut solent, qui ratione agunt, sed eodem planè modo semper operentur. Sunt quidem qui hujusmodi brutorum omnium, operationes, non ad instinctus naturales tribuunt sed partim ad doloris & voluptatis passiones, quemadmodum solo libidinis sensu ad coitum concitantur: partim ad imitationem, quemadmodum volucres nidos iis similes extruunt, in quibus ipsæ se enutritas fuisse meminerunt. Atque equidem fateor multa, quæ vulgò ad instinctum præcordiis insculptum referuntur, aliunde provenire potuisse; speciatim mutua illa Animalium odia, quæ *antipathiæ* appellantur, aut ab injuriis prius illatis, aut ab exemplo & institutione emanare. Sic pullus milvum, agnus lupum, lepus canem, & omne fere animalium genus hominem vitare videntur, aut quod parentes ab iis fugisse viderint, qui quoque prolem ab iisdem timere docuerunt aut quòd ab iis perterrefacta prioris periculi memoriâ in fugam concitentur. Si enim cum lupo agnus, cum cane lepus, cum milvo pullus educetur, tantum abest ut ab iis fugiant, ut potius fraterno quodam amore complectantur. Atque iis Terræ locis, in quibus ferarum greges nullis hominum venationibus vexantur, eas, hominis vultum non ita timere compertum est, quàm in hisce nostris, ubi creberrimis

berrimis nostrûm injuriis & terroribus conflictantur. Quicquid autem de animalium odiis & inimicitiis definiatur, affectus tamen, quibus in sui conservationem atque sobolis curam concitantur, ipsis eorum naturis propter necessarios vitæ usus à summo Numine imprimuntur. Atque igitur eorum actiones sine duce, sine exemplo, sine doctore perficiunt: Quæ si mechanicâ quâvis ratione sive voluptatis sensu evocentur, an non admirabile sapientiæ opus videatur omne animal eâ arte extruxisse, ut quicquid sui, suique generis conservationi inserviret, id promptè sequi, idque naturæ necessitate impellatur? Atqui præterea longæ sunt consiliorum series, ad quas cùm animalia sponte accingantur, nullâ tamen mechanicâ ratione nulloque voluptatis sensu explicari potuissent. Ita enim si libidinis stimulis prolis generationi operam dare excitentur; quo tamen sensu oritur tanta in fœtibus educandis solicitudo? Quâ voluptate ad nidulum extruendum impelluntur? Quâ ovis tandiu incubare perseverent? Quamobrem non fimo egesto perinde ac iis incubarent? Unde denique totæ, atque sui quasi oblitæ, in prolis curâ & educatione occupantur? Præclara est quæ de grillo-talpis fertur industria & prudentia; Ad quem ergo sensum referemus quod glebas tenaciores habitaculis suis extruendis semper eligant? Ad quem, quòd undique anxiè & curiosè confirment? Ad quem, quod foraminulum itui & reditui idoneum perfodiant? Ad quem, intus cuniculum, quò tutò deponantur ova, agant? Ad quem, antra alia, ad quæ quovis periculo confugiatur, juxta efficiant? Ad quem, canalem sibi subterraneum, quo melius ab hostium incursu se tueantur, excavarent? Ad quem, ut invalescente frigore nidos in Terram profundius demittant, calefacto autem rursum aëre, altius ad usque Terræ superficiem attollant? Ita quoque *Erucæ* cùm primùm frigus autumnale sentiunt, latibula sibi quærere monentur. Quo tamen sensu edoctæ discunt reticulum è ramulis & foliis teneris adhuc & flexilibus intertexere; in quo se omnes in cumulum conglomeratas à brumali frigore abscondere & conservare potuissent? Ita denique Araneæ materiam viscosam in Intestinis prægravantem sentientes, eam non aliter quàm fæces egerere incitantur. Unde tamen

men materiam iſtam tam affabrè in fila nere retiáque ex iis pertexere didicerunt? Gaſſendum dixiſſe memini, Araneam ad texturam promoveri appetitu innato ſive muſcarum ſive culicum humorem, tanquam alimentum maximè ſibi congruum ſugendi; ac propriâ conſcientiâ tum deſtitutionis alarum, quibus prædam per aërem volare conſpectam rapiat, tum filorum ſuorum viſciditatis, quibus per aëra tenſis præda irretiatur. Unde verò niſi ſolo naturæ Inſtinctu muſcis aut pulicibus cruorem ineſſe eumque ſibi congruum alimentum eſſe intellexerint? Imo cum quanto ſua ſibi tela emolumento fore intellexerint, an inde ſtatim texendi artem didicerunt? Atque quidem quanquam ſummo artificio beſtiola iſta operetur, ſimplici tamen ratione, neque tantâ conſiliorum & ſtratagematum ſerie opus ſuum aggreditur. Et ſi fortè diſputare poſſit, non tamen tam ſolerter, tam acutè, tam prolixè quàm ipſe finxit. Quanta enim rationum & ſyllogiſmorum ſeries! Ego animalculis iſtis, quæ ubique volitare video, ſuccum quendam, qui dulce mihi alimentum ſit, vehementer ineſſe ſuſpicor. Id ergo ut experiar quid agam? Mihi enim alas, quibus valeam captare, deeſſe novi: Non ergo circumvolitare tentandum eſt. Aliud igitur conſilium inibo; Cùm enim materiam quandam viſceribus incluſam habuerim, quid ſi egeſſero? Et viſcida cum ſit, quid ſi in fila nere, & è filis retia texere tentavero? In quæ inquam ſi fortè inciderint temeraria iſta animalcula, iiſdem profectò irretientur. Ne verò præ ſtaminum tenuitate erumpant, Ego alia aliis ſubtexendo ita retia ſtabiliam, ut nullâ luctâ, nullo conatu captivi ſe unquam liberare valuerint. Et cùm luctando ſe planè defatigaverint, tunc Ego in abdito latitans exiliam, & quicquid captum eſt perdam. Quanquam enim alas non habuerim, venenoſum tamen quendam aculeum quo facile confodiam, me habere novi; atque cum enecavero, experiar an quid ejuſmodi humoris inveniatur, quem in iis inveniri ſuſpicor; & ſi invenero, latronum ritu impoſterùm otioſus vivam, vitamque prædis & rapinis, ut ſolent iſti, propagabo. Quæ quidem rationum ſeries prolixa nimis videtur; neque enim Araneæ textrinam exercere incipiunt, poſtquam ad ætatem virilem, & quaſi dialecticæ

Phyſ. l. 8. ſect. 3. c. 6.

atque rationis usum adoleverint: sed natæ sunt textrices, & à primâ infantiâ fila tractare assuescunt. Neque quâvis varietate, ut solent, quæ ab interno animi proposito, opera sua moliuntur. Sed omnium opera eodem prorsus modo semper administrantur, atqui igitur à nullo principio nisi instinctu naturali, qui fixus & immutabilis est, proficisci possent. Id quod de omnibus ejusmodi actionibus dicendum est, nullo voluptatis sensu, nullo animi consilio, sed solâ necessitate concitari, de iis præsertim, quibus prolis educatione tam sedulò occupantur.

Sunt autem alii, qui hanc Ingenii solertiam non unà cum animalibus natam fuisse, sed eam in suo quæque genere parentum exemplo & imitatione didicisse arbitrantur. Atque sic volucres, cùm cujusmodi nidis se enutritas fuisse meminerint, alios iis similes, in quibus & fœtus suos deponant, fabricare conantur. An non verò mirabile videatur filios tam constanter omnibus & sæculis & locis parentes imitari, ut nunquam ab eorum vestigiis unus aliò aberit, nisi profecto Naturæ Instinctu sequi impellantur? Atque istuc maximum & certissimum instinctûs indicium & habetur & haberi meretur, si semper se eodem ritu ad actiones suas accingant. Si enim rebus externis moveantur, cùm variæ sint istæ & quovis momento mutabiles, summâ quoque varietate cieri necesse est. Si autem interno animi consilio, quid quæso consiliorum ratione mutabilius est? Cùm itaque eâ constantiâ ad easdem actiones concitantur, nullo certè principio nisi naturæ indole, quæ omnibus communis est, cieri possunt. Præterea quid si Parentes imitari velint, an idcirco possint? nos qui acriori mentis solertiâ præstamus, eo artificio nidum, quo quævis avicula suum, fabricare nequaquam possumus: Quòd ergo ipsæ tam promptè conficiant, aliam præter imitationis desiderium causam efflagitat. Unde denique ipsos parentes tantum Ingenii acumen adeptos fuisse dicemus? An à parentibus? Ergò in quoque genere primum, cùm quod imitari possit, non habuerit, nullo alio principio concitari potuit, nisi impulsu isto, quem omnium Opifex omnibus indidit, ut quædam, quæ aut sibi, aut toti familiæ utilia sunt sequantur, quædam quæ noxia sunt aversentur. Quorsum alioqui unum

num animalium genus ovis exclusis incubaret, non incubaret alterum? Quorsum alia omnino negligant, alia alio quodam fomento contegant, alia denique ipsa per se foveant; nisi quod sapientissimus omnium Conditor iis, quorum semen, postquam exclusum est, se solo ad maturitatem pervenire non potuit, principium quoddam inseverit, quo semini fovendo ipsa providere incitentur; iis verò, quorum semen nullâ Parentum curâ ad maturitatem pervenire potuit, nullum ejusmodi instinctum inditum esse procuraverit. E quibus quid magis perspicuum esse possit, quam Providentiam divinam commodos quosdam instinctus rerum initio quibusdam animalibus insevisse, eorumque Ideas à Parente in prolem transmitti prospexisse. Cùm enim Animula semine contenta quædam Parentis pars fuerit, partesque singulas genitoris partibus *analogas* habuerit, fit ut prolis cerebrum iisdem habitibus & Ideis imbuatur, quibus Parentum phantasiæ imbuuntur? Sive autem *prominentiis* Cerebelli orbicularibus nidulentur (quod egregiè *Clariss. Willisius* conjectatur, cùm scilicet Animalia quo magis instinctu polleant, eo majores *prominentias* habeant; quo minùs eò minores) sive quovis alio loco, mihi satis est, quod admirabili istâ Providentiæ ratione animalium omnium æternitati provisum esse intelligatur.

Anat. Cereb. c. 18.

---

---

# DISPUTATIO SEXTA.

## *Contra Scepticorum & Academicorum Disciplinam, potissimum Ciceronis de Quæstionibus Academicis Libros, & Cartesii Meditationes Metaphysicas disputatur.*

SECT. I. JAm verò tametsi omnibus, quos conditionis suæ non pudet, neque quod humanum est à se alienum putant, optimam in omni rerum Naturâ Numinis Providentiam satis huc usque demonstraverimus; nascitur tamen omni seculo superbum, procax, & fastidiosum hominum genus, qui nisi cœlestiorem quandam scientiæ rationem, quàm cæteri stirpe humanâ procreati, se consecutos fuisse jactent, omnem summâ cum petulantiâ aspernantur. Hi ergo nihil probant, omnia reprehendunt, scientias malè fundatas, & à novis initiis inchoandas esse ubique clamant. Atque adeo antequam veritatis quicquam comperire quis speraverit, præjudicia omnia exuenda, sive quicquid ab aliis didicit, dediscendum esse monent, nihilque provehendum, nisi nova principia, eaque à se inventa accipiamus. Hac inquam insolentiâ sua laudant omnes, quicunque eâ sunt ambitione inflati, ut ipsi mortalium soli sapuisse videantur. Adeo ut quanquam novi nihil ipsi reperire possint, omnia tamen superiorum omnium, iis solùm obtrectandi causâ reprehendere conentur. Cujusmodi seditiosos ex antiquitate improbos omnes fuisse diximus. Inter recentiores autem alius nemo majori aut sui fiduciâ aut aliorum applausu quàm *Cartesius* (nunc enim *Hobbium*, qui alios omnes fastidio vicit, Philosophorum censu vix numerandum esse duco) omnium scientiarum inventionem sibi arripuisse visus est.

Quippe cùm summo ingenii acumine præstiterit, & nova quædam in *Geometriâ* invenerit, continuò applausu, quem inde tulit, adeo elatus fuit, ut scientiarum fines provehere non satis gloriæ cogitaret, nisi & nova omnium fundamenta jaceret. Quid autem in *Physicis* præstitit antea diximus, quid in *Metaphysicis* nunc dicere ingredimur. Quicquid itaque superius demonstrasse nos putamus, ridet & ludibrio habet vir acutus. Solem (inquit) & Lunam, & cætera omnia vos Philosophorum vulgus intueri putatis. Præclarè sanè! Quasi insanire aut somniare non possitis. Nulla est Terra, nullus Sol, nullum Cœlum, oculos non habetis, neque caput, neque manus, neque corpus, dormientium somnia sunt ista omnia, aut dementium deliria. Dicis te corpus habere. An verò amentes non sint, qui se totos *Cucurbitas* vel *ex vitro conflatos* non minori constantiâ asseverarunt? Dicis te hîc esse, huic foco assidere, hyemali togâ indutum esse, chartam istam manibus contrectare. An autem ista omnia sæpe in somniis te tibi persuasisse non meministi? Denique duo & tria simul juncta quinque esse putas, & quadratum neque plura neque pauciora latera quam quatuor habere. Quî verò à Deo, cùm ipse omnia possit, not ita te factum esse scias, ut in omnibus, quæ perfectissimè te scire arbitraris, fallare? De omnibus itaque quæ olim vera esse credidimus, non levitate inductos, sed validis rationibus coactos (inquit) dubitare, & ab iisdem non minùs quàm ab apertè falsis, si quid certi velimus invenire, assensionem cohibere oportet. Suffossis autem omnibus scientiæ priscæ fundamentis, en quemadmodum nova ipse jecit, præsertim cùm ea polliceatur, quibus tales extruantur demonstrationes, *ut non putet ullam viam humano ingenio patere, per quam meliores inveniri unquam possint*. Quanquam igitur quicquam omnino extra me esse nesciam, me tamen ipsum, eò quòd an sim, dubitare possim, esse novi. Cùm autem *Ideas* quasdam, quibus res alias animadverto, sive extra me existant, sive non, in me quoque esse intellexerim, quæ ut unde nascantur perspicuè intelligam, solam earum perfectionem investigando judicare oportet. Quatenus enim *Ideæ* istæ *cogitandi modi* sunt, nulla inquit inter ipsas inæqualitas reperi-

Epist. sac. fac. Doct.

reperitur; sed quatenus una rem unam, alia aliam repræsentat, aliæ aliis perfectione antecellunt. Ita quæ *Substantias* exhibent, plus *realitatis objectivæ*, quàm quæ *modos* tantùm sive *accidentia*; & quæ summum Deum, qui ipse infinitus sit, quàm quæ res factas & finitas in se continere novi. Cùm igitur *lumine naturali* omnes novimus tantundem perfectionis in causâ efficiente esse debere, quantum in ejusdem effectu reperitur, ergò cum in omni *Ideâ* sit *realitas objectiva*, causam, quæ eam genuit, tantundem quoque *realitatis formalis* in se habere necesse est. Quapropter si *realitas objectiva* alicujus ex meis *Ideis* tanta sit, ut certus sim eandem nec *formaliter* nec *eminenter* in me esse, nec proinde me illius causam esse potuisse, planè sequitur non modo me, sed quid aliud, quod istius Ideæ causa sit, etiam existere. Quâ,inquit,disputandi ratione Deum in Mundo majori perspicuitate quàm Solem in Cœlo esse demonstratur. Solem enim, cùm fortè non luceat, lucere somnio aut delirio aut denique Deo illusi cogitare possumus, nequaquam verò, nisi ipse reverà fuerit, Deum esse, cùm tanta sit *Ideæ* suæ perfectio, ut nullâ causâ, eam nisi ipse effecerit, effici potuisset.

SECT. II. Cùm autem *Cartesius* rationes suas aliis omnibus antetulisse non satis putaverit, nisi omnem ipsorum sensuum fidem, communem hominum rationem, atque facultatum nostrarum omnium integritatem auferret, ea quoque omnia tueamur necesse est. Si enim de illorum fide & integritate dubitetur, de omni scientiæ certitudine desperandum erit; cùm unica sint instrumenta, quibus quippiam aut percipiamus aut dijudicemus. Ut quidem si iis orbemur, lux Soli eripiatur, & æternæ tenebræ omni rerum Naturæ obducantur. Quanquam verò suas de iis dubitandi rationes magnâ animi elatione attulerit, de iis tamen multò tum acriùs tum uberiùs veteres, præsertim *Pyrrhonii* & *Academici* disputaverunt. Cùm itaque eorum disciplina omnem de re quâque certitudinem, potissimum de summi Numinis Providentiâ, de boni malique legibus, atque de aliis omnibus, quibus totius vitæ ratio gubernatur, funditùs eripiat, causam, quam suscepi, eam quoque ut refellam,

lam, vehementer postulare puto. Si enim dubia & incerta sint omnia, ruit omnis virtutis stabilitas & constantia. Cùm in istâ animi fluctuatione nemo Officii sui institutum satis comprehensum, quod satis fidenter sequatur, habere possit. Unde primum Pyrrhonis Effatum fuisse traditur, nihil, neque pulchrum, neque turpe, neque justum, neque injustum esse, sed solâ lege & consuetudine homines omnia agere. Ne itaque funditus intereat fides, pietas, & justitia, & quidquid in vitâ humanâ aut utile, aut laude dignum sit, tollenda quoque est ista disciplina, quæ omnem veri & falsi, boni & mali notitiam palam & apertè tollit. Quâ inquam non modo omnis Religionis sanctitas fluctuat, cùm Deus sit an non sit prorsus in incerto relinquatur; Sed & aliorum omnium incertitudo ei vitio vertitur, cùm si incerta & tenebris involuta sint, talia tamen sunt, qualia, si quicquam omnino fecerit, ipse fecit. *Quid ergo ad nos?* (inquit Cicero) *num nostra culpa est? Naturam accusa, quæ in profundo veritatem, ut ait* Democritus, *penitus abstruserit.* Ut demum tota Scepticorum de rerum obscuritate reprehensio divinum Imperium aut stultitiæ aut malevolentiæ accuset.

Diog. Laert. l. 9.

Quæst. Ac. l. 2.

Ad hos autem cùm accesserim, hominibus furiosis & mente captis Adversarium me sistere planè puduit. Quis enim insanire dubitaret, cùm homines, nullum in rerum Naturâ motum esse, quanquam interim ipsi obambularent, imo cum magno audientium numero se stipatos viderent, neque se qui loquuntur neque eos qui audiunt, quicquam esse summâ gravitate disputantes audiret. Cujusmodi argumentis imprimis versari visus est *Leontinus Gorgias*, at de illius disciplinæ vanitate superius diximus, atque quemadmodum per omnes Philosophorum sectas pervasit, exposuimus. Ut verò rem nunc paulò altius atque ab ipso initio repetamus, Primus Dialecticæ Inventor veterum omnium consensu *Zeno Eleates* habetur, atque eam, non ut in veritatis inventione se adjuvaret, sed ut acutius cavillari possit, adhibebat, propterea τεχνὴν ἐριστικὴν Artem litigandi appellavit, quâ nimirum de omni re in utramque partem dicendi facultatem docere profitebatur, atque adeo primus omnem motum solâ disputandi subtilitate sustulisse perhi-

perhibetur. Hunc autem cùm Democriti coætaneus fuerit, *Protagoras* audivit, atque ut *Democritum* in Physicis, ita in Dialecticis *Zenonem* secutus est, qui ergo ipse de eâdem arte ἀντιλογιῶν libros scripsit, quibus in omni re rationes paris momenti oppositas esse docuit. Atque ad hujus disciplinæ normam exordium illud libri sui, *de diis neque ut sint neque ut non sint habeo dicere*, dictum videtur, sic enim de omni re dicere profitebatur. Quam artem cives suos magno pretio docebat, adeo ut eum plures pecunias cumulasse *Plato* narraverit, quàm aut ipse *Phydias* aut decem alii sculptores. Neque dubito quin hujusmodi *Eristicis sophismatis*, quibus *verborum industriâ* (ut inquit Gellius) *causa infirmior fieret fortior*, contra Deos in compitis cum Bajulis, in rostris cum Philosophis disputaverit. Hunc secutus est *Euclides Megarensis*, qui primus contentiosorum sectam instituit; illum *Eubulides*, qui ipsam artem multorum sophismatum inventione admodum locupletavit. Cui *Diodorus* & *Stilpon* accesserunt, qui quoque eandem quam *Protagoras* impietatem docere palam professi sunt, quemadmodum & *Cyrenaici* eundem in utriusque ratione sequebantur. Atque adeo impietatis disciplina & *Ars Eristica*, se mutuò non modò foverunt verùm etiam genuerunt, sic enim è Democriti Scholâ profectus est *Pyrrho*, è Pyrrhonis *Epicurus*. Imò denique ista litigandi ars non modo impias disciplinas verùm etiam saniores invasit, atque præsertim Academicam, qui tandem non minorem quam ipsi *Pyrrhonii* dubitationem induxerunt, donec vix quicquam aliud profiterentur, quàm ut communes hominum sensus omnemque rerum certitudinem solâ disputandi subtilitate eriperent. Atque quò quis majorem ἀκαταληψίαν invehere profitebatur, idem eo majori autoritate & discipulorum numero florebat. Quantâ autem gloriâ fuerit *Ciceronis* ætate recens Academia, ab ipso, quem quoque ad se arripuit Scholæ Autoritas, accepimus. Quanquam cæteris extinctis diutissimè superfuit Pyrrhonis Schola, ipse enim Sextus Empyricus, qui ei diu præfuit, *Plutarchi* Nepos & familiaris, M. *Antonini* amicus fuit, atque *Saturninus* ille Cytheneus, qui ei successit, Philosophorum (qui sectam secuti sunt) postremus est, de quo mentionem fecit Laer-

tius. Et quanquam denique ſuos reprehenſores & inimi-
cos Sectæ aliæ omnes habuerunt, hæc tamen, ſaltem quan-
tum ipſe novi, adverſarium habuit neminem. Ne ergo cum
rem planè confectam putaſſem, operam horum levitate il-
luſus perdidiſſe videar, iſtorum quoque diſciplinam labe-
factari neceſſe concluſi. Quod cum primùm meditatus fu-
iſſem, ipſum *Empyricum*, qui nimirum uberrimam totius
diſciplinæ rationem tradidit, ut & ſuperiùs hæreſium alia-
rum principes, redarguere in animo habebam. At quàm
pueriliter locum de Diis tractavit, jam ante dixi, neque
profectò in cæteris adverſus Mathematicos, ut vocat, li-
bris ſe melius expediiſſe, ſi noſtrâ intereſſet, dicere potuiſſem.
Cùm verò quæ adverſus Grammaticos diſputavit, an quæ ſit
iſtiuſmodi diſciplina, quot habeat partes, an ſyllabam, an
nomen, an orthographiam, an Critices Canonas ritè defi-
niverint, ad nos nihil pertinere novimus. Quæ item adver-
ſus Rhetores, Geometras, Arithmeticos, Aſtrologos, Muſi-
cos eſſe prorſus aliena. Cùm denique quæ ſequuntur om-
nia, aut Phyſica, aut Moralia, aut Dialectica eſſe intellexi,
Phyſica autem omnia, quæ noſtrâ intereſſe poſſunt (quid e-
nim refert an Motum an Locum an Tempus rectè definive-
rint) in locum de Diis devoluta vidi, ſic & Moralia, an ſci-
licet Naturâ ſit Bonum & Malum: Dialectica denique ea-
dem fuiſſe omnia, quæ in ὑποτυπώσεων libris de Criterio, de
Signo, de Demonſtratione, atque ejuſmodi aliis complexus
eſt. Nihil ergo quod quicquam mihi negotii faceſſeret,
niſi ut ipſos aggrederer ſupereſſe vidi. Cùm vero ad hos
acceſſerim, in quibus omnes ἐποχῆς locos uberrimè expo-
ſuit, nugis tam puerilibus refertos inveni, ut profectò re-
fellere puderet. Quid ergo agerem? Si penitus mittere
ſtatuiſſem, impiis omnibus apertam perfugii viam me re-
liquiſſe vidi, ſemper enim ultimum impietati ſuæ aſylum
in unâ Scepſi quæſiverunt. Si tamen onus iſtuc ſuſtinere
vellem, me mihi in labore tam otioſo & inutili non ſatiſ-
facturum novi, atque igitur tum ne de manibus opus imper-
fectum ponerem, tum ne mihi ipſe nauſearem, unum Ci-
ceronem, quem ad ſuas partes attraxiſſe diximus, quaſi in
prælium evocare ſtatui, ut ſi illius impetum, non modo
ſuſtinere ſed & arcere poſſim, nemo certè, qui non ipſe
quoque

quoque insaniat, pugnam cum aliis quibuscunque committendam putabit.

SECT. III. Cùm autem pauca ante de se dixerit, non ostentatione, non studio certandi, non pertinaciâ, sed solùm ut à temeritatis turpitudine sibi caveret, ad hanc potissimùm disciplinam se applicavisse, pauca ergò & ipse dicam. Quanquam igitur eâ Integritate fuisse puto, ut ex animo hæc dixisse non dubitem, atque seriò egisse, cùm *per Jovem Deosque Penates* ardere se studio veri juraret, tamen cum maxima quæque Ingenia sint ad nullum quàm Levitatis morbum procliviora, cùm deinde si quem invaserit iste morbus, ea sit illius fascinatio, ut omne de se ipsis judicium tollat; cùm denique aperta nimis hujus animi infirmitatis indicia Vir magnus dederit, veniam quoque det, si in eam incautè & inscienter eum incidisse dixero. Quâ enim alia ratione adduci potuit, ut contra sensuum fidem disputaret, contra vitæ communis usum, contra ea ipsa, quæ ipse oculis videret, manibus contrectaret, cujusque sensûs testimonio certum & perspicuum esse intelligeret. Ea enim est disciplinæ ratio quam secutus est, ut ipsos sensus communi hominum generi eripiat, ut cæterorum omnia insolenter fastidiat, ut sapientissimos quosque lacessat, ut denique ne quid Sapientiæ aliis tribuat, sibi omnem detrahat, seu ut iis omnibus cæcitatem inducat, suos sibi oculos eruere non recuset. Quæ profectò tanta est Animi imbecillitas, ut non tam levitas quàm furor & dementia dici mereatur. At imprimis, inquit, à temeritate cavendum est, quâ nihil sapientis gravitate disjunctius. Istuc quidem quantum volet. At cur non etiam à Pertinaciâ? Istæc enim multò minùs sapientem decet. Quippe an non turpius sit omnem assensum in perspicuis cohibere, quàm semel in omni vitâ lapsum fuisse? Atqui tamen istæc una est hujus disciplinæ sapientia, nunquam assentire, ne fortè aliquando opinere aut fallare: quâ quidem nescio an quid sit stulti pervicaciæ similius, aut sapientis gravitate alienius: Integram autem judicandi potestatem tueri vellet. Ita profectò si omne Judicium tollere sit illius integritatem tueri. Deinde verum sine contenti-

one invenire vellet. Id quoque, si optima sit illius inveniendæ ratio, omnibus viribus nullam omnino esse veritatem pugnare. Neque enim Philosophorum ulli quid sit verum eâ contentione, eâque pervicaciâ conquirunt, quâ vos verum nihil esse contenditis. Cùm igitur ea fuerit Academicorum pervicacia, Ciceronem isti disciplinæ adhæsisse me quidem diu & magnoperè doluisse fateor, cùm eorum levitate vir post hominum memoriam maximus divini sui ingenii vim & pondus, miserùm! debilitaverit. Ut profectò aliâ disputandi ratione causas forenses, aliâ locos ex philosophiâ tractavisse videatur. Istis quàm clarè res obscuras aperuit? Quàm egregiè fraudes vafras potentes optimè compositas detexit? Quam mirificè non magis dicendi copia, quàm ipsâ rerum perspicuitate Judicum, Audientium, omnium, etiam & Adversariorum animos devicit, quod argumenta omnia in isto usu forensi suâ semper ratione tractavit. Idem tamen cum graviores è Philosophiâ locos explicare vellet, quòd Græcos & potissimum Academicos disputandi ratione sequi voluit, quàm argutis sophismatis omnes suas vires ipse se elusisse sæpe putavit? Atque ne omnia sequar, in hoc uno de Deorum naturâ loco, cùm optimam in omni rerum naturâ Numinis Providentiam acumine se digno demonstrasset, ne tamen Academici personam deponeret, Deum immortalem! quam levibus captionibus omne gravissimæ disputationis pondus elevare enixus est. Atque igitur sæpius mecum optavisse fateor, ut tam ab Academiâ, potissimum novâ & mediâ, quàm à reliquis Græciæ factionibus integram suam judicandi potestatem conservasset. Et cùm *Arcesilam* aut *Carneadem* sit secutus, aut quidem ipsum Platonem (quanquam vir summi Ingenii fuerit, & quâ nihil inter homines præstabilius reperitur, integerrimæ Mentis) proprii ingenii indolem & impetum secutus fuisset. Quod si fecisset, quàm stabilem, quàm divinam, quam cœlestem Philosophiam nobis reliquisset. Quæstionibus autem Academicis Academiæ virus omne, quanquam & aliis idem quoque venenum nimium respersit, extraxisse visus est. Cæteris enim dubitandi rationes hic illic disciplinæ, quam tractabat, infudit, his autem tenebras & obscuritatem rebus omnibus obduxit.

Cùm

Cùm itaque Ingenii magnitudine, doctrinæ copiâ, dicendi facultate ita longè excelluerit; cùm causam hanc speciatim omni Ingenii vi & acumine egerit, ut nihil eorum quæ pro istâ dici solent aut possunt, præterierit; cum denique graviora omnia ad causam pertinentia omni sermonis ubertate amplificaverit; si docta ista scepticorum ignorantia (quo enim alio nomine disciplinam, quæ nihil scire docet, appellarem) defendi posset, ab isto defensa fuisset. Ea autem est ipsius Argumenti stultitia & levitas, ut tanti Ingenii vim & pondus ne quidem ferre potuerit, ipsumque tum Oratorum tum Philosophorum Principem, si pro eâ vellet dicere, captiosum nec non fallax plerunque dicendi genus & nonnunquam puerile sequi coegerit. In hâc igitur causâ non desiderantur magni isti viri, *Hortensius, Crassus, Antonius*, qui illius impetum (quod tamen rarò fecerunt) junctis viribus repellerent. Ipse enim etiam in hâc meâ mediocritate ingenii facile nulloque mei periculo profligare non diffidam.

SECT. IV. Age ergo, quicquamne certò sciri possit, necne? Non posse ais. Quamobrem? Quod nihil tam verum apparere potest, quin idem falsum esse possit. Nihil ergo fixum, stabile, & ratum esse putas nisi ab omni errore tuti simus etiamsi nos in eum voluntariâ oscitantiâ & temeritate præcipitemus? Nequaquam, inquies, sed cùm omnem industriam adhibuerimus, nullum *Visum* tam certò verum esse potest, quin idem, quoad intelligimus, falsum esse possit. Quid ita? Quòd mens humana nihil eâ certitudine verum esse scire potest, ut falsum esse non posse sciat, quod si nesciat, inquis, non potest nisi temerè & præcipitanter cuiquam assentire. Capio. Neminem igitur quicquam certò scire concesseris, nisi qui se falli & errare non posse ipse sciat. Rectè inquies, ipsam Academiæ ἀκαταληψίαν attigisti, id enim si nesciat, quî certò scire potest, cùm falsum esse possit. Imò sanè istuc est, de quo per totam disputationem quasi altior factus ipsique pedis pollici insistens ubique gloriaris, nihil nos sentire, nihil percipere nihil intelligere, quod quin sensus, quin mens, quin ratio falli possint non certò intelligamus. Cedò igitur, an non

te lusisse intelligis? An enim per Jovem & Deos Penates ipse jurare non possis, ista dum disputaveris, Solem lucere, te in *Hortensii* villâ unà cum *Catulo* & *Lucullo* fuisse, atque omnes simul in xisto consedisse? Quanquam enim falli possis, tamen in istis non falli certò & indubitatò nosti. Bonâ itaque fide agas, an non satis percepta, comprehensa, & cognita ista habeas, ut sine omni temeritatis culpâ, aut lapsûs periculo iis assentire possis? Tibine persuadere potes probabile duntaxat esse, te in *Hortensii* villâ cum *Lucullo* disputare, adeo ut dicere non audeas ita reverà rem esse, an solummodò ita tibi videri? Nolles quenquam te tam fatuum tam insanum, tam in disputando pervicacem arbitrari, ut seriò ubi sis aut quid agas, nunquam te nosse dicas. Captiosâ tamen hâc certitudinis definitione sublatâ, nihil elegans nihil acutum, imo denique nihil callidum in disputationem affertis, hâc enim unâ rixâ vestram omnem subtilitatem exercetis, percipi nihil posse, quod possint multa aliter quàm sunt videri esse, atque igitur nullum in omni vitâ assensum adhiberi, quòd fieri possit ut falsò assentiamus; adeo ut cuique dubitandum sit an ipse vivat, ubi sit, quid agat, quocum colloquatur, aliaque vitæ communis omnia, de quibus si quis semper dubitare se semel dixerit, se satis ridiculum præbuit, ut ulteriori nullâ nisi *Cynici* istâ disputatione urgeri mereatur: Iste enim cum *Gorgias* multo sudore se nihil esse disputasset, mox *Sophistæ* crebris ictibus fustem impegit, non est amice, exclamans, quod conquerare, neque enim ipse ferio, neque tu vapulas, quippe nihil sumus. Quid ais? sentisne te esse? an nondum? Perge bacule, disputa, refelle, argumenta quàm poteris gravissima urge, neque disputare desine, donec virum acutum non modo se hominem, sed & prorsus stultum sentire feceris. Tametsi autem singularis hæc *Gorgiæ* stultitia videatur, eâdem tamen *Academici* & *Sceptici* omnes stupiditate versantur, cùm in rebus omnibus nullo facto discrimine dubitationem sive assensus retentionem semper tuendam esse doceant, quod cùm istis maximè in vitâ perspicuis seorsim accommodetur, non minus impudens quam ipsius *Gorgiæ* Institutum videbitur. At si eò diffidentiæ aut potius pertinaciæ fueris provectus, ut interroganti quo sis loco respondere

dere te non poſſe ſimules (ſeriò enim nequis) an tamen non longè veriſimilius, te, dum iſta diſputaveras, *Hortenſii* villâ quàm *Romæ* aut *Puteolis* fuiſſe putas? Quod ſi putes, & veſtram omnem & Scepticorum proterviam uno verbo funditus evertiſti. Cùm horum primum ſit Effatum παντὶ λόγῳ λόγον ἴσον ἀντικεῖσθαι, *Omni orationi orationem æqualis ponderis adverſari:* veſtrûm autem (tua enim ipſius verba agnoſce) *in eâdem re paria contrariis in partibus momenta rationum inveniri.* E quibus quid ſequitur niſi omnem *probabilitatem* non minùs quàm *comprehenſionem* aut *certitudinem* è vitâ tolli? Si enim in omni re paria ſint ab utrâque parte rationum momenta, nihil magis probabile ab unâ quàm ab alterâ ſapiens, quod conſequatur, habere poteſt. At ſi non ſint paria utrinque, planè vides primum diſciplinæ veſtræ effatum everſum eſſe. Propterea cum *Lucullo* omnis vitæ everſionem objicienti reſpondere velis, rationem vitæ non comprehenſa ſed vero ſimilia ſequendo gubernari, conſtantiam planè deſidero, cùm prius in omni re paria rationum momenta in contrariis partibus eſſe velitis; quod ſi detur, an non videtis ipſi nullum probabile relictum manere, aut ſi quicquam quod ſequamini vos invenire putetis, an non à totâ diſciplinâ deſcitum eſſe videtis? Quid enim ſi omnem aſſenſum ſuſtineri, ſi in omnibus *indifferentiam* retinendam eſſe, ſi de re quâvis interrogatos nihil in utramque partem reſpondere poſſe ſeriò & conſtanter dicatis, quî quæſo quâvis animi conſtantiâ in vitæ actionibus ſapientiam & certam vivendi rationem inducere poſſitis? Si enim ſit quævis certa vivendi ratio, cur ab eâ aſſenſum, quem ab omnibus ſuſtinendum eſſe docetis, ſuſtineamus? & ſi viciſſim ab omnibus ſit aſſenſus ſuſtinendus, cur cuivis vitæ rationi aſſentiamur?

Quo quidem præſidio Sceptici poſt *Pyrrhonem* omnes ab omni reprehenſione ſe ſatis tueri putant, quod inter actiones vitæ & veritatis contemplationem ſemper diſtinxerint. Et prudenter ſanè, ſi enim ad principiorum normam vitæ rationem gubernarent; eos omnes nemo, niſi qui & ipſe inſaniat, prorſus inſanire dubitaret. Cùm enim nulla ſenſibus ſit certa fides, cùm in iis quæ videmus certi nihil in utramque partem reſpondere poſſimus, unde quæſo quis con-

consilia capiat? Quid eum moveat, cui occurrit nihil, quod non sit ab utrâque parte æquè probabile; cùm igitur nihil omnino habeat quod sequatur sapiens, aut omnia temerè agat, aut ab omni actione se semper contineat necesse est. *Pyrrhonis* itaque vita suæ ipsius opinioni constare & consentire dicitur, cum nihil quidquam vitaret, nihil caveret, omnia subiret, plaustra, ea si sors obtulisset, prærupta loca, canes non declinaret, omniaque ageret, quæ quivis, qui sensibus nihil concederet. Quî verò generosæ suæ Philosophiæ (sic enim appellari volunt) stultitiam quàm vitâ tam ineptè & imprudenter institutâ sibi ipse magis exprobrare potuisset? Cùm quam opinionem in Philosophiam induxerat, eam si in vitam quoque induxisset; sui exemplo indicaverit, omnem ejusdem prudentiam & gubernationem funditus everti. At *Pyrrho* constanter sibi, vos verò qui eandem sententiam, quamobrem non idem quoque vitæ institutum sequimini? Et tu, *Marce Cicero*, cur tu ipse *Pyrrhonis* more non vixeris? *Quod*, inquis, *non sum sapiens: itaque visis cedo, neque possum resistere.* Quid ergo si fuisses sapiens, an restitisses? O quantum sapientiam istam tibi à Diis immortalibus precarentur Reip. hostes, quam si impetrassent, contra improbos pro patriæ salute nihil in senatu, nihil in foro, nihil in Rep. egisses. Quippe si *Cethegum* aut *Lentulum* ipsi *Capitolio* tædas ardentes supposuisse tu ipse videras, oculis nunquam cessisses, quod scilicet sapientis vis maxima sit visis repugnare, opinionibus obsistere, assensus sustinere. Si verò hæc sit vestræ Sapientiæ constantia ut ipsis sensibus non assentiatur, cedò quæ desperatior esse possit stultitiæ deliratio? Quid enim stultius, quid amentius, quid stupidius, quàm ut quæ omnia videtis, ea an omnino videatis, vobiscum seriò dubitetis? Si enim eos qui per insaniam, omnia quæ ipsi delirant sibique fingunt, se videre putant non hominum sapientissimos existimamus, quid de vobis dicemus, qui cum sobrios, cum siccos, cum integros vos esse putetis, eâdem tamen animi firmitate quæ videtis nequaquam videre censeatis, aut saltem an videatis summâ cum sapientiæ & gravitatis specie dubitetis?

Diog. Laert. l. 9.

Deinde cùm vitam non cognita non percepta non comprehensa, sed solùm probabilia sequendo gubernari velitis,

rursus

rursus ne opinionis pervicaciâ deturbemini, ipsi rerum Naturæ atque communi hominum experientiæ impudenter obsistitis. Cognitum enim, perceptum & comprehensum habet quisque quo sit in loco & in quem proficiscatur, & pleraque alia, quibus vita communis administratur, non minori, quam ipse ubi sit, certitudine novit. *Quid vero* (inquis) *conscendens navem sapiens, num comprehensum animo habet atque perceptum se ex sententiâ navigaturum? Quî potest? sed si jam ex hoc loco proficiscatur Puteolos stadia triginta, probo Navigio, bono Gubernatore, hac tranquillitate, probabile videatur se illuc venturum esse salvum.* An igitur tu ipse non planè intelligis unum istuc probabile multis comprehensis & certò perceptis inniti. Comprehensum enim habet Sapiens iste navem esse, quam conscendit; mari, non terrâ navigaturam esse; esse Puteolos quo proficiscatur; esse denique gubernatorem, & tempestatis tranquillitatem: E quibus omnibus certò comprehensis nascitur hoc unum probabile, se illuc venturum esse salvum. Nisi enim ista comprehensa, hoc nequaquam probabile haberet. Usque adeo perspicuum est ipsam *Probabilitatem* nullum principium habere præter certitudinem. Ut profectò si ipse vestræ disputationi interfuissem, vel ut unum quidem *Probabile* proferres, quod aliquid perspicuum sibi suppositum aut secum connexum non haberet, provocassem. Ineptè igitur statuit vester *Carneades*, *Ita placere tale visum nullum esse ut perceptio consequeretur, ut autem probatio, multa.* Cùm omnis probatio aliquam perceptionem sequatur, neque quicquam probabile sit, nisi quod percepto & comprehenso quodam sustentetur. Atque in ipso, quod ipse attulisti, probabilitatis exemplo percepta & comprehensa quàm plurima per anticipationem sumuntur. Quæ omnia si æquè incerta fuissent ac sit Navigationis eventus, ventorum constantia, maris stabilitas, & quod fortè maximè ab omni verisimilitudine remotum videatur, gubernatoris sobrietas, *visum* nullum satis probabile haberet Sapiens, quo consilium navigandi caperet. Si enim incertum putaret aut navigium, aut mare, aut Puteolos, aut gubernatorem, aut tranquillitatem esse, non mehercle video quî omnino (etiamsi sapiens non fuerit) navigandum cogitare potuisset.

An enim non planè insanire diceres, qui terrâ navigare cogitaret, aut qui mari sine nave, aut qui nave sine Gubernatore? Si itaque Terra an Mare sit, quod vides; Navis an Plaustrum quod conscendis; Gubernator an Arator, quocum ad clavum sedente colloqueris, dubitares, pariter etiam dubites alterum cum fecisse velis, alterum te facturum, neque mari sed terrâ, & si mari, sine nave, sine gubernatore navigaturum.

SECT. V. Denique (ut ipso loco potiar quo maxime rixamini,) duobus omnis vitæ ratio gubernatur, sensuum fide & virtutis stabilitate, quæ utraque vos vestrâ assensûs retentione funditus è vitâ sustulistis. Primùm igitur quid nisi sensus habemus, quod in vitâ communi sequamur? at tu in hoc uno capite pugnam esse statuisti: *Nullum esse visum verum à sensu profectum, cui non appositum sit visum aliud, quod ab eo nihil intersit, quodque ab eo percipi non possit.* Si verò de re quâque varia sint visa, & quid verum quid falsum sit, percipi non possit, an non planè sequitur alterum nihilo magis quam alterum esse perceptum? Utri ergo assentiemur? Neutri, tu ipse inquis, ne fortè fallamur, atque igitur sapientem dupliciter assensum suum sustinere, *uno modo cum hoc intelligatur omnino eum nulli rei assentiri, altero, cùm se à respondendo, ut aut approbet quid aut improbet, sustineat, ut neque neget aliquid, neque aiat. Id cum ita sit, alterum placere, ut nunquam assentiatur: alterum tenere, ut sequens probabilitatem, ubicunque hæc aut occurrat aut deficiat, aut etiam aut non, respondere possit: nec, ut placeat eum, qui de omnibus rebus contineat se ab assentiendo, moveri tamen & agere aliquid, reliquit ejusmodi visa, quibus ad actionem excitemur.* Dicis quidem, at quàm sapienter nunc videris, Primùm enim eum quicquamne agere posse putas, qui nihil assensu suo comprobare potest? Num ad actionem se accingere velles, nesciens an rectè an præposterè sit acturus? Quæ enim major esse potest stultitia & temeritas quàm agentis quòd ipse non comprobet, & cui bonum an malum sit, assentire non audeat? Cur deinde tanta in assentiendo difficultas, in vitâ autem gubernandâ facilitas sapientem deceret? Si tam turpe sit temerè opinari, an non temerè agere

re multo turpius esse putas? Si igitur ut à temeritatis turpitudine caveamus, ab omni in opinionum decretis assensu sustinere mones, cur non ne in turpiorem istam in ipsius vitæ Instituto incidamus, à quovis suscipiendo adhortaris? At Sapiens, inquis, *non est è saxo sculptus aut è robore dolatus, ut visis non moveatur.* Vester ergo sapiens non sapit. Nisi enim saxum & truncus fuerit, ut nihil agat, nihil opinetur, non potest se prudenter satis à temeritate tueri. Si enim semel quicquam in omni vitâ præposterè aut cogitaverit aut egerit, omnis suæ sapientiæ jacturam factam esse dicitis: quam igitur ne faciat, ab omni assensu se cohibere hortamini, Ego autem ab omni actione, quòd nimirum in vitâ quàm opinione decipi, errare, labi longè fœdius sapienti existimaverim.

Denique quale est probabile istuc *Visum*, quod in vitâ communi sapiens quisque sequatur? *Expeditum* inquis, *solutum, liberum, nulla re implicatum.* In quas angustias vos vestra perduxit perversitas! Primùm clamatis paria esse in omni re contrariarum rationum momenta, inter visa vera & falsa nihil interesse, Sapientem visis omnibus obsistere, omnem denique assensum cohibere. Nunc autem cum vos urgeri sentiatis, quanto verborum & rerum pondere æquilibritatem vestram in alteram partem inclinare conamini? Quanquam profectò tantâ liberalitate concessisse non tam defensioni quàm fugæ simile videatur. Quid enim magis à vobis ipsi Adversarii extorquere desiderarent? Quid enim interest inter *visum expeditum, liberum, solutum, nullâ re impeditum*, ac perceptum, cognitum, & comprehensum? Non enim intelligo (ut cætera verba prætercam) quod *visum* magis certum esse possit, quàm quod sit nullâ re impeditum. Cur autem quid cumulatis istis vocabulis significandum sit definire nolles? Quod tamen si feceras, aut te nihil pro te dixisse, aut penitus ad nos accessisse vidisses. Ipsa autem causa tam lubricos defensores postulavit, atqui in quascunque formas vos versemini, semper captos & illaqueatos tenebimus. Ut si non ea sit in rebus perspicuitas, quæ cuiquam assentiendi securitatem præstet, communis vita tollatur; si sit, tollatur vestra disciplina. Adeo necesse est ut ex alterâ, utrâ autem malitis, excedatis.

At parum eſt ſenſus eripi, quippe ſine luce, ſine oculis, ſine corporis motionibus quodammodo vivere poſſemus; at ipſius Virtutis conſtantiam, ſine quâ operæ pretium non eſt vivere, ſuſtuliſti. Iſta enim una eſt illius cum laus tum ſtabilitas, ut omnia ad ſui dignitatem referat, ut ſemper honeſtum commodo anteponat, ut potius quævis pericula, ſupplicia, mortem denique ipſam ſubire ſtatuat, quàm vel tranſverſum unguem à rectâ conſcientiâ in omni vita diſcedat. Ubi autem huic animi magnitudini in veſtrâ rerum omnium obſcuritate fundamenta jacietis. Nulla enim firmior eſſe poteſt officii, fidei, conſcientiæ ſtabilitas, quàm ſit de principiis unde nata eſt fides & opinio, ut ſi in iſtis nutemus, omnis vitæ lex & ratio vacillet vel potius jaceat neceſſe eſt. *Quæro ille vir bonus* (inquit Lucullus) *qui ſtatuit omnem cruciatum perferre, intolerabili dolore lacerari potius, quàm aut officium prodat aut fidem, cur has ſibi tam graves leges impoſuerit, cùm quamobrem ita oporteret, nihil haberet comprehenſi, percepti, cogniti, conſtituti.* Hoc autem cum tam præclarè (nihil enim præclarius in omni diſputatione aut dictum eſt, aut quidem dici potuit) tibi objeciſſes, quamobrem quæſo ei nunquam poſtea reſpondere voluiſti? Quanquam enim Adverſarii diſputationem diligenter ſatis in aliis omnibus per ſingula capita ſecutus es, hunc tamen unum locum, quaſi nullam illius mentionem feciſſes, penitus intactum præteriiſti. Mihi crede turpis & indecora eſt (ne ſtulta dicam) à tam illuſtri argumento fuga. Aut enim non attuliſſe debueras, aut cum attuleris ſolviſſe, adeo ut cum nihil omnino dixeris, propriæ Conſcientiæ vim, quòd nihil dicendum putares, prodidiſſe videaris. Nullo enim modo fieri poteſt tantâ conſtantiâ in rebus iſtis utamur, in quibus nihil certi, nihil explorati habeamus. Ut ſi profectò *Marcus filius* diſputationi interfuiſſet, an non divinum & cœleſtem tuum *de Officiis* libellum penitus de manibus depoſuiſſet? Quid enim inquiens vult *Marcus Pater* ad me ſcribens, cùm eâ ſermonis vehementiâ honeſtatis conſtantiam mihi imperaverit, ut potius quàm officium prodam, ſanguinem fundi juſſerit. Cùm interim ipſe an quæ omnino ſit Officii ratio, prorſus incertum & inexploratum eſſe cenſuerit, aut ſi quæ ſit illius veriſimilitudo, tam imbecil-

lem

lem & obscuram esse, ut cùm illius Institutum sequamur, an rectè an aliter agamus, omnem assensum sustinere ipse monuerit. Si autem ea sit virtutis suæ Constantia, per me sibi servet, aut stultis istis in foro laudet, qui modo laudentur, nulla pericula subire, nulla supplicia perferre recusabunt. *M.* autem *filius* (utut puerum putet senex iste declamitator) unam Calliditatis prudentiam omnibus istis nescio quibus Virtutis, Officii, Conscientiæ, Honestatis, Constantiæ legibus an potius laqueis pluris æstimabit. Vides quàm ingenuus & bonæ spei Juvenis *Marcus filius* Athenis domum rediisset, si illius Institutionem à Quæstionibus Academicis exorsus fuisses. An verò non præstare putes te disputationum Academicarum gloriâ caruisse, quàm ut sic disputandi subtilitate filii Constantiam & Integritatem solâ Ingenii jactandi causâ debilitasses? Quanquam verò si eo fuerit Judicii acumine *Marcus filius*, quo fuisse tu tibi ipse assentatus es, certè tam calamitosam Patris delirationem deplorasset. Quis enim hominem delirum esse dubitaret, qui cum tam præclara justitiæ causâ per omnem vitam gessisset, cùm tam multa in virtutis laudem scripsisset, ipse idem eadem omnia irrita faceret, nullâ prudentiori ratione inductus, nisi quòd vani & contentiosi quidam inter Græcos homines de iis inter se non consentirent? Uno enim isto Argumento, eò cum venerit, adversus omnes boni malique fines vir sapiens disputavit.

SECT. VI. Cùm verò à magno & communi isto Academiæ præsidio vos excusserimus, nulli scilicet *viso*, quod falsum esse possit, tanquam vero assentiri oportere: facilius nunc per singulos ἐποχῆς locos fugientes persequemur. Quòd ab iis, quoties vos quâvis difficultate premi sentitis, in unam istam tanquam imperatoriam Contentionis Arcem semper transire soleatis: Istâ itaque eversâ aut interclusâ, magnum in iis, quæ sequuntur fecimus compendium. Pergamus igitur. Atque primùm ad sapientum autoritatem vocas: Hos abstrusa omnia exclamare, nihil nos cernere, nihil intelligere, veritatem nunquam repertum iri, de omnibus disputare, atque omnes inter se de re quâque dissidere. Esto quidem. An verò nescis querelas istas non tam Naturæ culpâ quam ab hominum levitate profectas fuisse? Græci enim

enim isti, quos tantâ laude commemoras Philosophiam nullo veritatis, sed solo gloriæ studio coluerunt; neque igitur de re quâpiam magis gloriabantur, quàm si quæ certissima habentur, in dubitationem ipso Ingenii acumine perducere potuissent vel saltem cum de suâ quisque familiâ cogitaret, suum sibi de omni re qualecunque dogma habere voluisset. Istam inquis Sophistarum, qui Ostentationis causâ philosophabantur, levitatem fuisse. Num vero *Anaxagoram*, num *Democritum*, num alios complures, quorum maxima fuit & gravitatis & ingenii gloria, inter Sophistas numerabis? Imò profectò vereor ne fuerint omnes Sophistæ, si eos Sophistas haberi velis, qui Ostentationis causâ philosophantur. Num ergo inquis Sophistes Anaxagoras, Nivem tamen nigram dixit esse, *ferres me si Ego idem dicerem? tu, ne si dubitarem quidem?* Non profectò ferrem, neque ipsum fero quòd sic dixit, neque te fero, quòd ullam viro, qui sic dicere potuerat, Autoritatem tribuendam esse arbitraris. Tecum ergo cogita, an tu ipse ferres, idem si quis coram diceret; non laturum scio, atqui tamen cum olim dictum sit, quod non ferres si nunc dicatur, cum laude commemorandum esse putas. An verò dubitas tu eum quâvis nisi Ostentationis causâ dixisse, ut scilicet populus Philosophi, qui tam inopinata invenerat, ingenium & acumen miraretur. Cùm verò Nivem non modo albam non esse, sed sibi ne videri quidem negaret, mihi quidem ipsos Sophistas pertinaciâ & fatuitate superare visus est, neque aliâ modestiâ se gessisse quàm *Timagoras* iste *Epicureus* qui sibi unquam cum oculum torsisset, duas ex lucernâ flammulas esse visas negavit. Quid ergo, inquis, de *Democrito* putas, quem cum eo conferre possumus ingenii magnitudine? De Ingenio postea, nunc verò eum Veritatem in profundum idcirco abstrusisse puto, ut superiores omnes Philosophos eam non reperisse insinuaret, seque primum fuisse, qui è putei profunditate exantlaverit. At quænam quæso est magna ista Veritas, quæ tandiu demersa latuit, nisi recens illius seu potius *Leucippi* Opinio? Cùm enim qui præcesserant Philosophi Deo rerum omnium Authore usi fuissent, hi omnia secluso Numine, solo materiæ & motûs *Mechanismo* facta voluerunt. Quæ sanè Opinio tam

tam procul ab omni hominum notitiâ amovetur, ut ad Inferos usque defodiendum sit, priusquam inveniri possit. Neque profectò quenquam novi, qui alio quovis Instituto rebus omnibus tenebras obduci vellet, nisi ut ipse primus sit, qui Terrarum Orbi lucem attulerit. Atque hâc solâ Ambitione inflatus ipse Cartesius de omnibus dubitandum esse censuit; *quamdiu scilicet non habemus alia scientiarum fundamenta, quam ea quæ antehac habuimus :* quanquam quàm primum jacta sint sua, nunquam amplius dubitandum esse clamat. Atque ita *Aristoteli*, *Epicuro*, & *Hobbio* aliisque omnibus, qui veterum decreta tollunt, & nova ipsi ferunt, nullâ aliâ causâ suam seditionem meditari cuique in mentem venerat, nisi ut veri inveniendi gloriam sibi soli quisque assequatur. Quanquam profectò (ut liberè vobiscum agam, cùm vos vestrûm Autoritate vos tueamini) tantum virum, quantum perhibetis *Abderiten* istum non puto, sed potius vetustatis Autoritatem habuisse. Etiamsi enim quid de Universis scripsit, sic enim ordiri ausum fuisse gloriaris, nesciamus; si tamen de reliquis ex iis, quæ ad nos pervenerunt, judicare liceat, quid quæso graviter, quid sapienter, quid non temerè & pueriliter dixit magnus iste tuus Philosophus? Quid? non modo Mundum hunc nostrum fortuito corpusculorum concursu effectum fuisse, sed & similiter innumerabiles alios sic factos, eosque inter se tam similes, ut inter eos nihil prorsus intersit? Quid? somnia non in nobis commoveri, sed in somnis animos imaginibus externis & adventitiis pulsari? Quid? nullos esse omnino Deos, sed simulacra nescio quæ ingentia circumvolitare, eaque ut in circuitibus suis fortè in hominum animos incurrerent, in iis Deorum notiones impressas reliquisse? Hæc mihi haud summam in viro eruditionem aut ingenium indicare videntur, ut enim de fortuito Mundi Ortu, tametsi intolerabilem in rerum Naturâ ignorantiam arguat, nihil dicam, primùm cum Mundos innumerabiles, eosque inter se simillimos esse statuat, Quâ quæso Autoritate? Quâ physicâ ratione? Temerè prorsus & pueriliter dixit, si enim ita fuisset, quî quæso sic fuisse ipse novit? Dixit tamen ut magna & ante se inaudita cogitaret videretur. Deinde cum somnia non intus nasci, sed extrinsecus commoveri arbitretur:

Synopsis sex medit.

tur: An non *Abderiticæ* plebis ſimplicitatem ſapit, quæ intelligere non poterat, quî viſa ſua in ſomnis viderent, niſi ipſæ rerum imagines reipſa coram oculos verſarentur? Poſtremò cum Deorum notiones corporeis iſtiuſmodi ſimulacris impreſſas eſſe vellet, an non eandem ſimplicitatem ſapit, cùm quî in hominum animis cieri poſſent, niſi iſtiuſmodi ſpectris & phantaſmatis non intelligeret? Quid autem plura? An Philoſophi gravitatem decuiſſe putas in publico ſemper nullo habito rei ſeriæ & ridiculæ diſcrimine ridentem videri? Tu ipſe ſi virum, qui ſapientiam ſit profeſſus ſemper cachinnantem videres, an non hominis impudentis ſcurrilitatem te contempturum putas? Cùm tamen tot ante ſecula riſerit Democritus, vix minori Autoritate ridere quàm philoſophari viſus eſt. Atquî eâ fuerit, quâ tu ais, ingenii magnitudine (quanquam magnum fuiſſe cujuſvis Athei ingenium exiſtimare non poſſum) cum tamen eâdem vanitate quâ Græci omnes fuerit correptus, eum abſtruſa ante ſe omnia exclamaſſe inquam, ut ipſe ſolus veritatis Pater & Inventor haberetur. Cùm verò hunc proximè ad Poetas quoſdam vocas, iſtuc inquam hominum genus quâvis inter Philoſophos autoritate eſſe non decere. Nulla enim res eſt, de quâ in utramque partem ex iis non poſſes dictum afferre, qui ſcilicet non ipſam rerum veritatem, ſed ſolum dictionis acumen & leporem ſemper ſecuti fuere. Cùm verò *Socratem* & *Platonem* quaſi medio exercitu collocaveris, iis profecto tu ipſe non multùm confiſus videris, adeo ut non attuliſſes, niſi quod tantæ Autoritatis homines omnino præterire non auderes. Socratem enim ſibi detraxiſſe noſti, aliiſque quibuſcum diſputaret, plus tribuiſſe, quo facilius ſi vicerat, eos ſuæ opinioni devincire poſſet. Præſertim verò cum Sophiſtis ignorantiam quandam ſimulaviſſe quo facilius eorum arrogantiam increparet, qui ſcilicet quâ de re quis vellet audire, & in quam vellet partem dicere ſe paratos profitebantur; quaſi ipſi ſolâ Ingenii ſubtilitate quempiam, ut ipſis liberet, ad utramlibet partem pertrahere potuiſſent. Hos ergo luſit & contempſit vir facetus, & quo melius eorum impudentiam irrideret, ſe hominem ſimplicem & indoctum rudem ſimulavit, ut ſi eos ipſe indocti more diſputando ſuperare poſſet, ipſi non tam acutam fuiſ-

ſſe,

se, quàm putaverant, suam disputandi facultatem intelligerent. Quanquam autem in Physicis per jocum se satis facilem præbuisse finxit, in decretis tamen moralibus summam tenuit opinionis constantiam. Præterquam enim quòd ipsius Religionis causâ mortem oppetere non recusaverit, semper & acerrime, & ad usque extremum spiritum virtutem unam esse beatæ vitæ assequendæ rationem defendit. Platonem autem (ut sunt plerunque sapientes nimis cauti & timidi) Magistri fato perterritum in religionis negotio aut obscurius dixisse aut minus sibi constitisse aiunt. Quanquam verior sit eorum sententia, qui referente *Sexto Empyrico*, in quibusdam *Aporematicum*, in quibusdam *Dogmaticum* fuisse censuerunt. Quippe in gymnasticis libris, ubi Socrates aut ludens cum aliquibus inducitur, aut adversus Sophistas pugnans exercitatorium & dubitatorium quendam dicunt illum habere Characterem. *Dogmaticum* autem, ubi seriò loquens sententiam suam aut per *Socratem* aut per *Timæum*, aut per aliquem ex hujusmodi viris exposuit. Postremò autem ad Cyrenæos vocas, quos *minimè contemptos* Philosophos esse ais. Hos Philosophos eosque minimè contemptos appellas? Melius nosti homines omnis Philosophiæ labem atque cœnum. Qui vino, ganeis, lenociniis, adulteriis confecti vivebant, qui ungentis affluentes, qui cincinnati, qui comâ calamistratâ philosophabantur; qui denique nihil præter gulæ & libidinis voluptates se intelligere profitebantur. Hi sunt Philosophi tui minimè contempti, quorum apud te tam gravis visa est Autoritas, ut tanquam maximam postremo loco proponendam putares. Non ergo cum *Lucullo* idem vos, quod solent seditiosi cives, fecisse dicam, cùm aliquos ex antiquis claros viros proferrent, ut eorum ipsi similes esse videantur. Vos enim impudentius, non enim viros claros sed maximè seditiosos omniumque perturbatores commemoratis. Ut quidem idem fecisse videamini, ac si seditiosi isti Cives non *Valerium*, non *Flaminium*, non *Africanum*, sed ipsos *Gracchos* & *Saturninum* commemorassent. Quid autem Autoritates sectemur, quarum maximæ in hâc causâ nimis leves videntur, cùm res ipsæ plus satis sui fidem fecerint, de ipsis igitur *Visis*, vera an falsa sint, neglectis omnium Autoritatibus videamus.

Hypotyp. l. 1. c. 33.

SECT. VII. Primùm ipſos ſenſus, quo præcipuè loco Sceptici omnes dominantur, nihil certi nunciare dicitis: Cùm enim certius nihil eſſe poſſit, quàm quod ſit ipſis ſenſibus perceptum, vos nullâ re magis acumen veſtrum indicare putatis, quàm ſi nos hominum vulgus de iis ipſis, quæ videmus, quæ tractamus, quæ ſentimus, quæ manibus tractare, quæ ipſo ore habere putamus, ſolâ diſputandi ſubtilitate dubitare impuleritis. Hîc igitur vir gravis multa de infracto remo, de columbæ collo, de *Serviliis* Geminis, de dormientium, de vinolentorum, de furioſorum Viſis, aliiſque ejuſmodi locis Sophiſtarum communibus diſputas. Quæ tamen omnia quorſum attuleris, niſi ut cùm ipſi ſenſus ſæpe falſa nuncient, ſapientem iis nunquam aſſenſurum eſſe concluſeris. Nam & in remo, inquis, ſentio non eſſe id quod videatur: Et in Columbâ plures videri colores, nec eſſe plus uno: *Servilios Geminos* tam ſimiles fuiſſe, ut ipſe *Cotta*, qui cum eorum altero bis conſul fuerat, eum ab altero agnoſcere vix potuiſſet: at ſi una fefellerit ſimilitudo, dubia omnia reddidit, ut quando poſſit tibi *P. Geminus Quintus* videri, quid habes explorati, cur non poſſit tibi *Cotta* videri? Denique dormientium, vinolentorum, furioſorum viſa idcirco inquis proferri, ut illud efficiatur, quo certius nihil poteſt eſſe; inter viſa vera & falſa ad Animi aſſenſum nihil intereſſe. Præclara ſanè argumentatio! Quàm mirabili arte è parvulis iſtis res maximas comprobaſti! Age igitur, Remus inflecti videtur, an ergo concludendum fortè remum omnino nullum eſſe ſed ſolùm videri? Plures eſſe in Columbâ colores videntur; an ergo dubitandum columbam eſſe & collum plumis veſtitum habere? De *Viſis*, vera an falſa ſint, mox dicemus, nunc autem de diſputandi ratione, ſcilicet ſi in parvulis iſtis nonnunquam fallamur, nihil omnino certi ſenſus nunciare. An igitur oculos eruemus, quorum fide in omni vitâ utimur, quorum adjumento à quovis periculo declinare certò novimus? An non iis, etiamſi mare nunc purpureum, modò cæruleum, mox flavum videatur, non tutò ſatis ipſum mare à Terrâ ſecernemus, & cùm littore ambulamus, littus an mare ſit dubitabimus? Quid autem iſtæc? Quenquamne ſapientum

penes

penes ipsos sensus falsi & veri aut Perceptionem aut Judicium statuisse putas? Id quidem statuit Epicurus. At quàm ineptè istuc, ut & omnia, tu ipse sæpius monuisti. Ipsi autem nihil aut veri aut falsi aiunt, cùm neque suas perceptiones intelligant, neque de iis judicent. Sed cuique homini quædam intelligendi facultas inest, cujus solius est de sensuum perceptionibus, veræ an falsæ sint, judicium ferre; ut si quis integrâ Mente judicare velit, raro & fortè nunquam falli possit: sin nolit, non sensuum, sed propria cujusque voluntatis culpa est. Nimis itaque importunè à tritis, à parvulis, à puerilibus istis sensus omnes falsi testimonii reos declamitas. Cùm fidem nunquam sapienti faciant, utpote qui prudentiam & judicium semper adhibet, priusquam eorum perceptioni quicquam cedat aut tribuat. Nihil enim cum vestrâ Academiâ disputamus, nisi an sapiens iis ita uti, eosque ita gubernare possit, ut quod ipsi percipiunt, verum an falsum sit, ipse, si placet, certò scire & judicare possit. Cùm verò nihil certum, perceptum & cognitum esse concluseris, quod pueri & fatui, quædam quæ non sunt, videre sibi videantur, quid conclusisti nisi quod cùm nihil sapiant insipientes, sapientem esse Neminem? Et cum ipsi remum inflexum, cùm non inflectatur, videre se putent, nos quoque etiamsi rectum & immisisse & extraxisse sciamus, idem saltem suspicari oportere. *Hoc autem* (inquis) *si ita sit, ut unum modò sensibus falsum videatur: præsto est, qui neget rem ullam percipi posse sensibus. Ita nobis tacentibus ex uno Epicuri capite, altero vestro, perceptio & comprehensio tollitur. Quod est caput Epicuri? Si ullum sensibus visum falsum est, nihil percipi potest. Quod vestrum? Sunt falsa sensus visa. Quid sequitur? ut taceam, conclusio ipsa loquitur, nihil posse percipi.* At honestum non est disputandi genus me alterius à me non minus quàm te dissentientis opinione onerare. Quid enim si deliraverit *Epicurus*? Quo jure mihi illius vitia exprobranda putas? Mea mihi objicias, illi sua. Dico ergo quanquam falsa esse possint sensûs visa, quædam tamen percipi posse vera. An ergo quod non posse dixerit *Epicurus*, me meâ sententiâ dejectum arbitraris? Egone quicquam illius Autoritati tribuo? Nemini minus totum è stultitiâ & insolentiâ con-

flatum eſſe exiſtimo. *Certa igitur*, inquis, *cum illo, qui à te totus diverſus eſt: noli mecum, qui hoc tibi certè falſi eſſe aliquid in ſenſibus tibi aſſentior.* Cùm illo, cùm libuerit, certabo, nunc ſolo tecum, non autem quod falſi aliquid in ſenſibus eſſe poſſe aſſentiaris, ſed quod inde veri nihil iis percipi poſſe concluſeris; id quod ſtultè ſolâ *Epicuri* autoritate concluſum eſſe aio. Nunc igitur de hâc unâ re mihi tecum certamen eſt. Age ergo, certa, cur quod ſenſus falli poſſint, veri nihil unquam certò percepiſſe concluſiſti. Num quòd ſic dixerit Epicurus? Apage cum tuâ Porci Autoritate, diutius cum tam levi Adverſario certare nolo. Imò denique tantum abeſt ut cum ipſo Epicuro certarem, ut etiam ipſum contra vos defendam. Ei ergo nullum ſenſibus viſum falſum eſſe aſſentior. Quid tu contra? Infractum remum, Columbæ collum, Turris quadratæ rotunditatem? Talia ridet Epicurus atque Infantium argumenta putat, neque enim cujuſvis niſi admodum pueri ſenſus *viſis* iſtis falli poſſe ait, atque igitur προσμεῖναι monuit, neque niſi expenſis omnibus aſſenſum adhibere. Videturne turris rotunda? propius accedas, & quadratam eſſe videbis. An ſit baculus recurvus, ex aquâ educas, & rectum eſſe intueberis. Non igitur, inquit Epicurus, ipſi falluntur ſenſus, ſed homines ſtultos, eorum Viſa non ſatis expendendo, ſeipſis decipi. Nunciat enim oculus turrim iſto intervallo rotundam apparere, & verum nunciat; ſi autem quis revera ſic eſſe concluſerit, non ipſius oculi, ſed propriæ temeritatis culpa eſt, quippe ſapiens ſi fuiſſet, aſſenſum, donec propius acceſſerat, ſuſtineret. Aliter ergo res eſſe, aliter apparere dices, falſa ergo ſunt viſa, quod non ita ſe habent, ut ſe habere videntur. Quàm parvis inſiſtitis? An non res multas percipimus, quæ ſolâ *Apparentiâ* exiſtunt, quas tamen niſi re quoque ipſa exiſtere, comprobemus, ſpectra & mendacia eſſe concluditis. De Columbæ collo quantum gloriamini *plures videri colores, nec tamen eſſe plus uno.* Ne quidem unum. Quid enim cum varius variâ lucis reflectione creetur color, an non perſpicuum ſit ipſos colores non in rebus ipſis exiſtere ſed ſolâ lucis in oculum impreſſione eſſe creatos? At tamen inquies ſi adeo verſatilis ſit colorum natura, ut ſolâ lucis mutatione fiat & pereat, certa tamen

eſt

est turris procul aspectæ & baculi aquæ immensi figura, quanquam alia nobis apparere videatur. Id quoque vobis, nisi stulti fueritis, oculos vestros nunciare dicit, quemque nimirum ipso visu percipere cum res aliter sit, aliter videri. Túne ipse si baculum aquæ immerseris, an inflecti putares? ut suspiceris pudet dicere. Cur ergo tam deploratè de sensûs mendacio eam ob causam conqueraris? Ipsis ergo te obsistere inquis, alioqui si credulus fuisses, curvum esse arbitrareris. Verùm fatuâ admodum credulitate esse oportet, si sic esse vel semel quidem dubitares. Non igitur mentiuntur oculi, sed tu teipsum mendacio voluntario ludificare laboras. Sincerè enim tibi nunciant oculi baculum, quanquam rectus sit, obliquum videri, si verò oculos sic re ipsâ esse nunciare voles, ne argumentum dimittas, ipse tibi illudis, sensuum fidem calumniaris, neque quicquam nisi te in disputando pervicacem esse demonstras. Denique de his, si nihil mihi cesseris, ipsos adeas Mathematicos. Non enim memini te quicquam contra eorum scientias dixisse. Hi autem cùm res unam habeant figuram, eas alterâ aut ob medii varietatem, aut ob loci distantiam apparere clarissimis & indubitatis rationibus tibi demonstrabunt. Adeo ut si tu aliter concludendum arbitreris, oportet primum ut eorum demonstrationes refellas, alioqui non modo ipsi sensuum fidei sed & demonstrationum perspicuitati obsistes. An non ergo nunc pudeat inanibus istiusmodi scrupulis diutius adhærere, quibus quandiu adhæseris, te ipsi *Epicuro* (quo quid viro sapienti turpius evenire possit?) vapulandum tradideris?

Cùm deinde vinolentorum, somniantium, & furiosorum exemplis utaris, idem, quod ubique facis, importunè causæ insistis, atque tuam tibi conclusionem nullâ ratione, sed vi & confidentiâ arripis. Huic enim uni principio per omnem disputationem tanquam saxo hæres, si visa quædam falsa esse possint, vera esse nulla, ut quidem tota disputatio nihil aliud videatur, quàm unum istuc dictum toties repetitum. Quod etiamsi millies negaverimus, tu tamen, ea est vestræ Academicæ modestia, neque dimittes, neque probabis; sed principio neque à te probato, neque à nobis concesso, sed prorsus negato, insistes. Quæ pertinacia nimis audax & importuna est, ut profecto inter ipsos *porcos* me tur-

turpiorem ullam invenisse non meminerim. An verò quod qui delirant aut insaniunt, nihil de visis suis certò judicare possint, idcirco cùm de suis judicent sobrii & sapientes, vera an falsa sint, ad animi assensum nihil interesse putas? Id si ipsi vesani dicerent, cùm iis pugnare nollem, at cum vir siccus, & prudens dixeris, importunè inquam & cum Epicureâ modestiâ opinioni insistis. Nos enim (quoties dicemus?) non de puerorum, non de ebriorum, non de dementium, sed solis sapientum sensibus disputamus, an scilicet cum judicio gubernentur hominum sensus quippiam certè percipiant necne. Tuis ergo eorum exemplis, qui judicii nullius compotes sunt, quantumcunque urgeas, nihil efficies nisi prius inter vesanum & sapientem nihil interesse probaveris. Atqui istâ tandem ratione, cùm Hercules filios suos sagittis configebat, te quoque tuos, cùm videris, tuos esse nescire metuas, & Marcum filium, cùm Athenis redierit, interfecturum. Ita quidem hoc tuo à dementium visis argumento, quo tantoperè gestis & quàsi altior factus gloriaris, neminem Academiæ vestræ disciplinam sequi persuasisti, nisi qui idem aut insanus sit, aut insanum se esse probabili aliquâ ratione suspicetur.

SECT. VIII. Si verò sensuum Visa alia vera, alia falsa sint, quâ notâ ad ea distinguenda utamur interrogas. Quid autem an quâvis omnium communi de omnibus judicari velis? Si ergo decipi nolles, missis gravibus istis de remo inflexo, de columbæ collo, de turre rotundâ puerorum controversiis, prudentiam, judicium, atque animi intentionem adhibeto; circumspicito; impedimenta removeto; ab opinionibus præjudicatis caveto; lumen, situm, intervalla mutato, atque tandem expensis omnibus ipsum Aspectum facere sui judicii fidem fateberis. An cujusque singulari? id autem quorsum interroges? quî enim aliâ quàm propriâ naturâ internosci tu ipse postulares? Nihil enim est quin aliquid sibi ita proprium habeat, ut sit nulli alii commune, quo solo signo id ab aliis omnibus diversum esse cernimus. Ita ab omni Brutorum genere hominem erectâ figurâ, & varia Brutorum genera inter se suâ quodque formâ, & homines inter se suo cujusque vultu secernimus. At quædam

dam inquis uſque adeo ſimilia ſunt, ut nullâ ſenſuum intentione ab invicem diſtingui poſſint. Quis enim aut pilum pilo, aut ovum ovo diſcernat? Aut ſi quis centum ſigilla eodem annulo impreſſerit, ecquæ poterit in agnoſcendo eſſe diſtinctio? Atque tam ſimiles Servilii Gemini fuiſſe dicuntur, ut peculiari nullâ notâ alter ab altero internoſci potuerit. Ita ut cum quis Publium videre ſe putaret, exploratum habere non poſſit, quin Quintum videret: at ſi una fefellerit ſimilitudo, dubia omnia reddidit. An vero, Marce Pater, ſic tecum in foro actum eſſe velles? Atque cum improbos accuſaveris, ne iidem non ſint, quos eſſe putas, ne ſint accuſandi putares? Cùm prædonem iſtum C. Verrem, cùm furias iſtas Catilinam, Lentulum, Cethegum, cùm belluam iſtam M. Antonium laceſſiveris, an timendum putas ne optimi Catonis, chariſſimi Bruti, amiciſſimi Pomponii, Quinti Fratris, & M. Filii innocentiam violares; quòd cum Servilii iſti Gemini nullâ notâ inter ſe agnoſcantur, idcirco neque quemvis à quovis internoſcere poſſimus. Quæ autem eſt iſta argumenti penuria ut uno tantum joco, uno ſophiſmate ſemper hæſeris, non profecto ubertatem, non copiam, non tuam dicendi facultatem decere videtur. Rem nullam ſe certâ ratione habere, quod quædam eſſe poſſint, quæ ſe aliâ fortaſſe habeant quàm videantur. Si ſit vel quidem unum Viſum ita obſcurum, confuſum, & involutum, ut neque id clarè percipere, neque de eo certò judicare poſſimus, efficitur nullum tam comprehenſum, tam exploratum, tam perſpicuum eſſe, ut quâvis diligentiâ percipiatur. Ita nunc ſi tanta inter res duas ſimilitudo contingat, ut altera ab alterâ non facilè cernatur, ſequitur nullas omnino tam diſſimiles fore, quin eædem omnes eſſe videantur. Eſto autem, ſit acutum Sophiſma & gravitate veſtrâ dignum, non tamen video quamobrem toties repetatur. Subriſit proculdubio Lucullus, cùm omnes veſtras vires in id unum collectas eſſe intellexerit, atque igitur fortè de reſpondendo non multùm ſolicitus (ſi verè narras) diſceſſit. Quis enim cum importunis iſtiuſmodi hominibus diſputando ſe fatigaret, quos quicquid iis demonſtraverit, ſemper exclamantes audiat, utcunque clarum & perceptum eſſe putes, fieri tamen poſſe ut fallaris.

Quid

Quid autem cùm Ovum non esse Bovem perceperimus, an ut fallamur fieri posse putetis? Ita, inquis, quod cum P. Servilium Geminum à Quinto agnoscere velimus, facile fieri possit ut fallamur. *Si enim una fefellerit similitudo, dubia omnia reddidit.* Quod quàm primum audiit Lucullus, secum dixisse non dubito. Itane Marce, satis disputatum est, atque imposterum ullos hujusmodi vobiscum congressus me semper declinaturum scias; Cùm posteaquam de omnibus, præsertim de sensuum visis & scientiarum decretis, dubitare docueritis, istâc unâ conclusiunculâ, quasi indubitata sit, quasi omnibus concessa, quasi nullâ probatione indigeret, tam plenè vos vobis satisfeceritis, nempe si ovum ab ovo non possim agnoscere, neque igitur à Gallinâ quæ peperit, neque à Gallo qui genuit, neque à Bove, neque ab Homine, neque ab Elephanto. Si istæc sit vestra à temeritatis turpitudine Græcula cautio, sim potius Infans, fatuus, temerarius, credulus, imò denique homo Epicureus, quàm ut tam infacetâ prudentiâ mihi ipse displicerem. Atque profectò tam procacis in Cicerone meo proterviæ admodum puderet, si ex animo & non è personâ istæc disputasset. Quorsum enim omnis istæc disputatio nisi quod in tantâ similitudine unum ab altero secerni non possit, dubia omnia esse facta. Quo quid protervius conclusum esse possit, quid enim? Num certius sensuum perceptionis indicium desideretis, quàm ut res eo modo quo sunt percipiant, cùm quæ similitudinem habeant similia esse nuncient, quæ vero non habeant, dissimilia? At si res ut revera sunt, cernunt, quid majus ipsi ad fidem iis faciendam postulare possitis, nisi concludi velitis (ut profectò si quò tendat vaga disputatio vultis) quod quoniam quæ simili notâ signantur similes esse cernimus, quæ diversâ & dissimillimâ sunt formâ, posse nullâ industriâ distingui. Præclara meherclè argumentatio, atque vestrâ contra communes omnium sensus tantâ contentione digna! Imo denique in iis ipsis quæ simillima videntur, ea est sensuum nostrorum acies, ut si mediocrem tantùm curam & usum adhibeamus, satis claram dissimilitudinis notam cernere possimus. Id quod de quibusdam Deli Incolis tuus memorat Lucullus, qui gallinas permultas alere quæstûs causâ solerent; hi cum ovum in-
spexe-

ſpexerant, quæ id gallina perperiſſet dicere ſolebant. *Sed Lucullum adhibere*, inquis, *artem advocatam etiam ſenſibus. Quid autem hoc? nonne videre contra te valere, ſi ſine magnis artificiis, ad quæ pauci accedunt, noſtri quidem generis admodum, nec videre nec audire poſſumus?* Nequaquam vir optime; ſed contrà multum adjuvare videtur; ſive enim magnam artem adhibeant, ſive nullam, modò verè judicent Deliaci iſti, eximium ſenſuum ſuorum acumen oſtendunt, quòd res inter quas tanta ſit ſimilitudo, eâ ſolertiâ ab invicem dignoſcant. Ergo inquis magnis artificiis opus eſt ut noſtri generis quidpiam videre poſſimus. Nequaquam quoque & iſtuc. Sed omnia quæ noſtrâ interſunt ſine arte cernimus. Non enim ſenſus ad nullius fructûs ſubtilitatem, ſed ad communis vitæ uſum accepimus, atque igitur quæ communi vitæ uſu occurrunt, ea omnia nullâ advocatâ arte videre poſſumus. Ovum verò ab ovo ſecernere quid quæſo generis noſtri interſit? Atque id etiamſi non poſſent Deliaci iſti; Sol tamen luceat necne ſine quovis pejerandi periculo per Jovem atque Deos Penates jurare potuiſſent. Nobis itaque ſatis eſt, ſi ea ſit ſenſuum noſtrorum fides & integritas, quâ opus habemus, at eâ acie, quæ nulli ſit emolumento, contenti & ſine quâvis in Naturam querelâ carere poſſumus. Tu tamen ſi quis Deus te interroget ſanis modo & integris ſenſibus num amplius quid deſideres, auditurum minaris quàm nobiſcum malè agatur. Cave autem, mi Amice, cùm tam vehementer temeritatem reformidare profitearis, ne minus temerè & inconſideratè, ne dicam impudenter ipſam divini Numinis adverſus teipſum munificentiam calumnieris. Quid enim eſt quod cum eo querendum eſſe putas? Quod quanquam fortaſſe verè, non tamen longiùs aut acrius videamus; ſeu quod cùm in Hortenſii villâ ipſe verſatus Puteolos videas, familiarem tuum Avianum fortaſſe in Porticu Neptuni ambulantem videre nequeas. Quorſum autem videres? Cui enim uſui eſſe poſſit tam longinquus iſte proſpectus? An non ſatis eſt quod & tu & Avianus tuus quæ coràm & prope ſint clarè & integrè percipiatis? Ipſe enim cum in Porticu Neptuni ambulaverit, greſſus ſuos ſine cuſtodiâ tuâ gubernare novit. Tu ergo tuis veſtigiis proſpicias, ille melius ſecum actum eſſe pu-

tat, quod etiamſi abfueris, ſuis oculis ipſe ſibi cavere poſſit. Imò quid ſi ipſum Avianum videres, an non pariter cum Deo tuo querereris, quod annulum in digito non vidiſſes? atque ſi annulum, quod non ipſum quoque imaginem eidem inſculptam? Tam petulanter deploratæ ſunt veſtræ querimoniæ, ut nullâ Numinis liberalitate iis ſatisfieri potuiſſet. Si enim quicquid vos vobis deeſſe putatis, ipſe conceſſiſſet, veſtrâ querelarum ratione nullus unquam fuiſſet finis majora flagitandi. At quidem tam longè abeſt, de contractâ visûs acie queraris, ut potius tam longè eam intendi poſſe, te imprimis devinctum cogitare debeas. Quo enim magis admirabili naturæ beneficio utimur, quàm ut quæ aliquot ſtadiorum intervallo abſunt, temporis momento in oculis habeamus? Puteolos te videre fateris, quam Urbem ſtadia triginta ab Hortenſii villâ diſtare ais, Cogita ergo tecum quam admirabilis ſit iſta oculórum vis & acies, ut citius quàm nictent mare permagnum pertranſire valeant. Quid autem de aciei contractione queraris, cum ipſum Solem quotidiè videas? Quot enim mille ſtadia à nobis abeſt! cum tamen, etiamſi manu teneres, clarius videre non potuiſſes. Quod itaque te oculis tuis non eſſe contentum, idque ipſi Deo, ſi interroget, audacter reſponſurum eſſe dicis, non modo audaciæ & ingratitudinis, ſed & in Phyſicì (ad te nollem dicere, at tamen dicendum eſt) ignorantiæ crimen videtur. Ne enim quid tecum de mirabili aut Solis curſu, aut Lucis in immenſam diſtantiam ſe diffundendi facultate nunc dicam, cùm de iſtis jam ſatis ſuperius dixerimus: Certè ſi unquam cogitaſſes quantâ artis varietate ipſæ Oculorum fabricæ extructæ ſint, ita ut in exiguâ ipſorum cavitate ſpatia tam longè diſtantia, tam latè patentia integrè & diſtinctè complectantur, inter maxima ſummi Numinis non modo beneficia ſed & miracula reputaſſes. Cùm verò oculis tuis contentus eſſe nolis, quid plura, eruas, & experiare, quî cum omni tuo, tuorumque Artificum ingenio perfectiores tibi conficias, atque adeo in juſtam temeritatis pœnam hominum perſpicaciſſimus in Talpam, in Noctuam, in Veſpertilionem mutaberis.

Sect.

SECT. IX. Proximè à sensibus ad rationem transit, atque primùm in Dialecticæ fines invadit. At cujus? Stoicorum; Qui illi aditum & quasi ipsas Thermopylas in omnem Græcorum vanitatem aperuerunt. Quippe cum Eleatici & Megarici ludo & joco de cavillandi arte scripsissent, hi quicquid ipsi luserant, cùm omni suâ gravitate in disciplinam suam asciscebant, quo nimiam facetis omnibus se irridendi facultatem dederunt: Ut nemo non modo scurra sit, verùm etiam vir prudens & acutus, qui ipsos non irriserit. Hoc igitur imprimis delegit Marcus noster, de quorum superciliis præcipuè triumpharet. Atque utinam non modo Zenoni sed & Græcis omnibus nugas suas dialecticas eo quo merentur contemptu illusisset: Cùm quæ tradiderunt præcepta, non modo arti bene disserendi, atque vera & falsa judicandi nullo sint adjumento, sed potius maximo impedimento, cùm nihil de rectè cogitandi prudentiâ doceant, nihil de ratione intelligendi quid rem quamque sequatur, nihil de scientiâ perspiciendi quale quidque sit, quid in re quâque sit, quid cuique conveniat, quid repugnet. Sed omnis eorum cura in verborum captionibus, amphiboliis, acuminibus; in Soritis, Pseudomenis; in enunciationum connexionibus, disjunctionibus consumitur. Quandiu itaque hac cum Dialecticis contentione versatur, nihil grande, nihil severum, nihil acutum afferre potuit, sed solum nugis nugas opposuit. Atque primùm Soritarum captionibus, quas ab Eubulide didicit, festivè admodum delectatur. *Quòd nullâ omnino in re minutatim interroganti, dives pauper, clarus obscurus sit; multa pauca, magna parva, longa brevia, lata angusta, quanto aut addito aut dempto certum respondeamus, non habemus.* At ista solvat cum suâ vetulâ Chrysippus. Quid autem ad nos qui facultatem disceptatricem nobis in vitæ commoda, non ad subtilitates venandas datam esse arbitramur? Quid enim an de re quâque distinctè cogitare, enunciare, ratiocinari non posse concludes, quòd præcisam verborum istorum significationem definire non possimus? Nihil præcisum, nihil definitum, nihil determinatum significant. Vaga sunt vocabula, quæ tametsi plura aut dempseris aut addideris, idem tamen significant.

nificant, Neque enim acervus (à cujus similitudine Soritarum acumen mutuati estis) uno grano dempto aut addito efficitur. An verò quod incerta sit in quibusdam numeri & quantitatis ratio, idcirco nihil certo perspici, definiri, judicari vultis? An non quid sit acervus novimus, etiamsi neque primi grani, neque decimi, neque centesimi additione fiat? Saltem ampla & indefinita est istorum vocabulorum significatio, id quod nemo te melius novit, qui iis omnibus permagnâ significandi varietate modo latiori, modo contractiori sæpissimè usus fuisti. De iis ergo puerile est minutatim interrogare, laxiori enim usu habentur quam ut certo ullo significationis termino circumscribantur. Atque hæc prima vestra est in Dialectica victoria, quod verborum, quæ nihil præcisum significant, præcisam significationem definire nequeat. Jam verò ipsa Artis fundamenta petis, præclaro mimirum isto Grypho, quem *Mentientem* sive ψευδόμενον appellatis. *Si dicis te mentiri verumque dicis, mentiris; dicis autem te mentiri, verumque dicis, mentiris igitur.* Quo quidem ut inexplicabili Sophistæ more gestis; & quidem præclarum facinus est, atque ipsius Patriæ Patris gravitate dignum. Quid enim præclarius unquam peperit Græcorum acumen? Quos ob illius inventionem, triumphos habuit, quas coronas tulit *Eubulides*? Quantâ admiratione, imò quibus seditionibus omnem Græciam commovit? Hinc quâ diligentiâ contra hostium impetus muniverunt? Inde quibus vigiliis & laboribus in eo solvendo se torserunt? Quot & quanta librorum volumina genuit? Ut quidem unus Chrysippus de hoc uno Argumento quatuordecim scripsisse memoretur. Atqui tamen post omnes & illius & aliorum omnium conatus Sophisma inexpugnabile habetur. Quanquam profecto, ut & ipse ludam, non mihi tam indissolubilis iste nodus videtur, sed ipsa præstigii fraus cuique patere. Cùm in superiori effato planè duæ enunciationes connectantur, primùm *te mentiri*, deinde *dicere te mentiri*; & proinde duplici quoque enunciatione concludendum esse. Primùm *te igitur mentiri*, tum cum mentiri te ais, *verum dicere*; atque adeo alterâ te mentiri sequitur, alterâ verum dicere; non itaque eâdem enunciatione mentiris, & verum dicis, sed planè diversis. Et quæ præcessit, non de

præ-

præſenti, ſed de præterito enunciari oportebat, ſcilicet non te mentiri ſed mentitum eſſe; ut non tam Dialecticæ quam Grammaticæ ſit ſophiſma, quod *Temporum* ambiguitate ſe abſcondit. Atque adeo alteri enunciationi quam attuliſti omnino diſſimilis videtur. Scilicet *ſi dicis lucere & verum dicis, lucet:* De præſenti enim iſta enunciatur, quando enim lucet, lucere potes dicere; at ſi dicas te nunc mentiri, verum non dices, falſum eſt enim id cum dicas te nunc mentiri: ante vel poſt mentiri licet, at non eodem momento. Non itaque te mentiri ſed mentitum eſſe dicere oportet, aut verum non dices. Atqui denique etiamſi hujuſmodi cavillatiunculas ſolvere non poſſemus, quid ad nos, qui non verborum, ſed rerum Dialecticam profitemur? Iſtas ſolvant Stoici, qui cum ſint nonaginta aut centum annorum pueri, omnem ætatem in bullulis venandis conſumunt, non aliâ temporis jacturâ, quàm ſi nihil aliud in omni vitâ agerent, niſi ut in barbæ pilis nodos necterent & ſolverent, ut verò quid de Dialecticis diſciplinis ipſe ſentiam liberè dicam; eâ ratiocinandi facultate omnes naturâ præditos eſſe arbitror, ut nullo alio artis adjumento opus ſit, niſi ut ipſo Naturæ beneficio, quâ oportet integritate utamur. Quâ enim aliâ lege in ſimplici rerum conceptione utendum eſt, niſi ut ſenſuum viſis, debitâ attentione, experientiâ, atque à præjudiciis cautione habitâ aſſentiamus? Quâ de enunciationum veritate judicandum, niſi ut quemadmodum res invicem connexæ ſint aut oppoſitæ cogitemus? Quâ denique in concluſionum evidentiâ acquieſcendum, niſi ut prius rerum notionibus & relationibus perceptis, quid quidque ſequatur, quid non eâdem quæ in prioribus adhibitâ curâ judicemus? His inquam atque hujuſmodi exercitiis naturalem rationis facultatem plus perfici & corroborari, quàm ſpinoſis omnibus Dialecticorum, quos unquam ipſe vidi, præceptis & acuminibus. At ſi iſtas Verborum præſtigias, quibus ſe pueri in porticu ludentes tam jucundè delectant, prorſus ignoremus, id non majori damno aut vituperio fiet, quàm ſi puerorum delicias, aut anuum deliria neſciamus.

Sect. X. At eversâ Dialecticorum republicâ, nullâ morâ in Physicorum & Ethicorum possessiones cum omni impetu involat, atque immensas strages ubique edidit, & de omnibus, qui quâvis Autoritate fuerint, uno prælio devictis triumphavit. Atqui ut homo timidus nulliusque animi bellum gessit, nihil enim pugnavit ipse, solum Græcos omnes in mutuam perniciem concitavit, è quorum cædibus ipse tandem *Cadmæam Victoriam* reportavit. At profecto à M. Tullio non expectassem ut controversias duas omnium maximas quæ inter homines aguntur, ad solas Autoritates referret. Cùm primùm hos locos eum tractaturum intellexissem, quo gaudio lætabar, quantâ lætitiâ sum auctus, quàm gestiebat animus! Nunc nunc, inquiebam, tam illustri causâ omne suum acumen, omnem diligentiam, omnem eruditionem adhibebit. Omnem rerum Naturam patefactam & planè dissectam videbimus, omnes boni malique rationes ab ipsis initiis detectas & explicatas audiemus. Cùm verò nihil de rebus ipsis, nihil è propriâ Mente dictum perspexeram, nihilque nisi sic Thaletem, sic Anaximandrum, sic Anaximenem, sic Anaxagoram, sic Democritum, sic Empedoclem, sic Heraclitum, sic Aristotelem, sic Stratonem, imò (quod omnium turpissimum videbatur) sic Aristippum, sic Epicurum dixisse perlegeram, (proh Deum) quàm me mea spes fefellit, imò profecto (quid enim dissimulem?) quàm sic à Cicerone esse illusum, quod ab aliis ferre non poteram, stomachari cœpi! Vir ignave! exclamans, quorsum nos in gravissimis Argumentis hominum, quorum levitatem nimium sine te novimus, autoritatibus tam importunè tundis & conteris. Eorum nomina toties repetita audiisse jam ante tædebat, at cùm in nobilissimis istis disciplinis nihil aliud audirem, me planè enecabat. Nihil præterea unquam in omni vitâ ineptè, nihil non doctè, non acutè, non eleganter scripsisti, hic autem quasi quodam sidere tactus in subitam & horribilem quandam dementiam incidisse visus es; neque (ut soles) facetos cum amicis sermones habuisse, sed furiosi ad instar nil nisi Græcorum nomina recitasse. Imò denique cum tu ipse tam præclarè de his rebus scripsisses, de Physicis nimirum in de Deorum Naturâ libris; de Moralibus,

libus, in de finibus, de officiis, de quæstionum Tusculanarum libris, quæ major insania esse posset, quam ut ipse idem ea omnia, solùm quod de iis non consenserint Græci, evertenda putares? At quid istuc tibi uni exprobrarem, cùm nihil aliud sit ipsa Academiæ disciplina quam dementiæ simulatio? Sic enim (ut soli possent insanientes) de omnibus dubitare profitemini. Cui enim in dubium venire possit an insanierint isti, qui æquè incerta esse omnia se ex animo putare aiunt, qui an ullus sit motus, an unquam Sol luceat, an quicquam in omni vitâ viderimus, vehementer & serio dubitare adhortantur? Cùm verò rem tam portentosam & incredibilem hac præcipuè & ferè solâ ratione satis comprobatam arbitrentur, quòd de omni re non idem sentirent homines, qui nihil in omni quæstione nisi dissidia & dissensiones quærebant, ferre non possemus. Atque id vos Sceptici & Academici facitis, ut, ne vobis deesset contentio, à vobismet ipsis dissentiatis, contra omnes & pro omnibus pugnatis, partes contrarias defendatis, modo in alterâ, modo in neutrâ, modo in utrâque sententiâ esse velitis. At mihi nunc cum uno Cicerone res est, qui cum nihil melius quod in causâ tam præclarâ diceret, quàm Philosophorum Autoritates haberet, Argumentum (quoniam nihil præterire volui) quale ipse præbuit sequemur.

Primùm ergo quanta, inquit, de ipsis rerum principiis inter magnos homines dissensio? De quibus autem principiis? De iis, è quibus omnia constant? Apage cum tuis Principiis, quid enim refert an ex aquâ, an ex aëre, an ex igne, an è terrâ, an ex istis omnibus; an ex homœomeriis, an ex Atomis, an ex aliâ demum quâcunque materiâ nascantur? Aut si quæ sit ista prima rerum materia cujusvis nosse interesset, neque norunt isti, neque nosse poterant, sed solus ipse novit, qui ex eâ omnia extruxit, seu potius qui eam ipse fecit, & proinde variam pro rerum varietate, quas facturus erat, fortè effinxit. Totam itaque de principio materiali quæstionem vobis ultrò traditam esse scitote; nisi quod fuisse Providentiâ divinâ effectam, non Naturâ suâ extitisse dicamus. Quid autem fuerit, an certâ specie, an diversâ, an nullâ extitit, qui quærunt nunquam consequentur. Et denique si incertò definire & investigare possent, cui hominum usui inserviret?

ſerviret? quo beneficio vitam humanam cumularet? quam laboris mercedem referret? Nullius autem aut in iſtâ aut in quâvis aliâ diſciplinâ ſcientiam, niſi quæ aliquod utilitatis pretium habuerit, tuendam eſſe diximus & dicemus. Alias vero omnes quæſtiones, etiamſi parvam quandam delectationem habeant, exterminandas eſſe, non modo quod nihil utilitatis afferant, ſed quod nimium temporis utilium inventioni eripiant. Imprimis autem aridam iſtam & ſterilem de Materiâ Primâ diſquiſitionem, quæ neque fructum affert, neque voluptatem. Et ſi quantum ætatis in materiâ primâ definiendâ conſumpſerunt Veteres, in phyſicis experimentis, & rerum proprietatibus inveſtigandis conſumpſiſſent, (ſi eâ fuerint quâ arbitraris doctrinâ & ſapientiâ inſtructi) ab iis Philoſophiam tum ad animi oblectationem, tum ad communes vitæ uſus longè uberiorem accepiſſemus. Atque iſta quidem una germanæ Phyſiologiæ ratio eſt, non ut materiam communem longéque remotam perquirat, ſed quibus res quæque affecta ſit diſpoſitionibus, quemadmodum ad vires & facultates ſuas comparetur, quibus mutationibus fiat, quibus intereat, quâ denique viâ, quo artificio, quibus gradibus omnis naturæ vis & ratio progrediatur. Quod igitur inutili hoc Phyſices loco tantâ inter ſe diſſenſione pugnarunt, non Naturæ culpâ ſed ipſorum hominum levitate factum eſſe dicimus; qui quæ certa, quæ explorata, quæ utilia ſunt, poſthabuere, ut inania quædam quæ nec noſſe poſſent, & ſi poſſent, ſuâ ſcire nihil intereſſet perſequantur.

SECT. XI. Cùm verò proximè de Principio Efficiente quid & quale ſit, & an ſit omnino diſputare pergas, hic etiam nihil aliud, niſi quod ubique ſapientum (ut vocas) rixas & diſcordias exprobrare. Atque primum in quæſtione quâ formâ ſit Natura divina, eandem quam in omnibus Græcorum levitatem video, ſuam ſibi quemque opinionem in re habuiſſe, de quâ nihil poterant compertum, nihil exploratum, imo nihil probabile habere. In quæſtione verò an ſit, ſi qui diſſenſerint, eos neque multos, neque magnos Philoſophos fuiſſe diximus. Immò verò quanquam plerique atque præſtantiſſimi ineffabilem Numinis ſapientiam in pulcher-

pulcherrimâ Mundi fabricatione suspexere, nihil tamen etiam illorum Autoritati in tam præclarâ quæstione tribuemus. Et nisi solis rationis viribus non modo contra hostium omnium impetum tueri, sed & cujusque assensum, qui Mentis aut compos sit aut esse velit, extorquere possimus, alia omnia quæcunque argumenta omni fastidio contemnimus, aspernamur, & negligimus. Quid ergo nos vanis tuis Autoritatibus lacessis? Ipsa Argumenti dignitas tam levem disputandi rationem planè recusat, neque se Deus quicquam aut adjumenti aut impedimenti à cujusvis Autoritate habere patietur. Nimirum tam præclarè Providentiæ suæ vim omni rerum Naturæ impressit, ut nisi operibus suis se satis notum fecerit, nollet ut illius Naturam à Providentiâ sejunctam quâvis ratione agnoscamus. Atque igitur utinam hoc uno loco, quem mihi proprium vendicavi, etiamsi nullo alio, vires proprias ostendisses, ut materiam & pugnâ, & victoriâ, & triumpho dignam haberemus. At fortè vim omnem in libris de Deorum Naturâ effudisti, quàm autem exilia sint quæ istis in Deos disputantur, satis superius indicavimus. Cùm verò nunc solis Autoritatibus pugnare libeat, ipsas quoque (quoniam nihil prætermittendum est) insequemur. *Aristotelem* autem, cui primas concedis, singulari prælio Captivum duximus, atque igitur omnino præoccupata est illius Autoritas. *Ecce*, ergo inquis, *tibi è transverso Lampsacenus Strato; Negat operâ Deorum se uti ad fabricandum Mundum; Quæcunque sint, docet omnia esse effecta Naturâ, nec ut ille, qui asperis, & levibus, & hamatis, uncinatisque corporibus concreta hæc esse dicat, interjecto inani; somnia censet hæc Democriti non docentis sed optantis: Ipse autem singulas Mundi partes persequens, quicquid aut sit aut fiat; naturalibus fieri aut factum esse docet ponderibus & motibus.* Neque huic, cùm sit totus Aristotelicus, respondere opus est, eversis enim viri principis fortunis tam hujus quàm aliorum omnium, qui eum secuti sunt, copiæ unà dissipantur: Neque enim ille aliâ viâ Mundum naturalibus ponderibus atque sine operâ Deorum extruxit, quam antea extruxerat Aristoteles. Quanquam si somniaverit Democritus, quis non videat non evigilasse Stratonem? Quid enim interest omnia, quæ fiunt, naturalibus facta esse ponderibus & mo-

 tibus,

tibus, an corpusculis propter figurarum varietatem inter se cohærentibus? Potissimùm cum idem quod ille docuerit Democritus Atomos suas naturali suo motu deorsum coivisse. Cùm igitur nihil aliud ad singulas Mundi partes fabricandas Strato tuus attulerit, aut postulaverit, quî quæso ultra Democriti somnia ipse sapuit? Neque enim minus optantis est omnia solo corporum motu & pondere fieri, quàm asperis, levibus, & hamatis, uncinatisque corporibus concreta esse. Et denique cum omnia non Deo sed Naturâ effecta esse doceat, omnemque Naturæ vim à rerum pondere & motu exoriri, nullam omnino causam esse planè docuit. Unde enim pondus & motus? Non à Naturâ, cùm sint ipsa Natura; non ab aliâ causâ, cùm aliam nullam præter ipsam naturam agnoscat. Atque adeo cum nulla motûs causa pondus fuerit; ponderis autem (quodcunque sit) omnino nulla, cùm nihil esse possit, quod ipsam materiam huc potiusquam illuc inclinare faciat, nulla tandem omnium futura est. Quanquam quidem optatis & sumptis his quoque omnibus nihil effecit vir ille *Lampsacenus*, cùm superius singulas Mundi partes, ad quæ provocat, persequentes non solùm ut ille docuimus sed demonstravimus res quasque suo loco non naturalibus ponderum momentis, sed solis finium utilitatibus disponi. Quo duo istæc obtinuimus, primùm Mundum naturalibus rerum ponderibus fieri non potuisse; Deinde non nisi Numinis Operâ factum fuisse. Quibus, opinor, Argumentum satis cognitum, perceptum, & comprehensum habemus. Imò denique non modo singularis ista de Deo controversia, sed omnis quæcunque de rebus Physicis disquisitio, in hâc unâ de rerum finibus quæstione versatur. Atque igitur cum Naturæ fines omnino aut negligendos aut dissimulandos putaveris, mirari non oportet si in parvis istis, quæ sequuntur, omnia crassis tenebris occultata & circumfusa queraris. Alioqui enim quæ cujusque fuisset Natura, illius usu facillimè invenisses. Cùm itaque satisne tandem nobis notum est, quæ nervorum natura sit, quæ venarum interrogas, si solùm ad utriusque usus respexisses, nihil in iis est quod planè notissimum non habuisses. Videras enim cur venæ unâ constent tunicâ, pluribus arteriæ; quòd scilicet sanguinem minus spirituosum à corporis

ris extremis deferant, quâ de causâ iis eo robore opus non sit, quo ipsis arteriis, quæ sanguinem spiritibus magis refertum & nuper à cordis fornace exæstuantem vehunt. Videras cur multiplici fibrarum serie intertextæ sint earum tunicæ, ut si fortè major aut minor fuerit sanguinis copia, se, ut expedit, aut contrahant aut distendant, seque ab utroque extremo in Naturæ statum reducant. Videras denique cur tot ubique valvulis muniantur, ut sanguini liber affluxus pateat, refluxus impediatur. Quibus compertis, non video quid ulterius velles aut posses in venarum naturam perquirere. Quod idem quoque de nervis, aliisque, quæ persequeris, ad corpora nostra attinentibus, si hîc singula persequi liberet, dicendum esset. Ut igitur paucis omnia complectar, Duo sunt in Physicâ quæstionum genera: aut quæ de majoribus Naturæ Phænomenis inquirunt, at cum eorum fines communi omnium experientiæ certi & perspicui sint, facillimè investigantur, cujusmodi nos ipsi (qui eam solam partem adornare profitemur) non pauca attulimus. Et cum de Causâ primâ quæstio omnium & maxima sit & maximè intersit, eam è summæ totius fabricæ, quam condidit, & optimâ singularum partium inter se dispositione omnium maxime perspicuam esse conclusimus. Aut quæ (quod alterum quæstionum genus est) de rebus minus perspicuis, minúsque ad nos spectantibus sciscitantur. Atque ut prioribus principia rerum externa invenimus, quo scilicet Efficiente fiant, & cui Fini: ita his solas rerum formas seu internum in re quâque agendi principium; quâ Materiæ dispositione fiat, quâ pereat, quî facultates, quas habet, consequatur; & denique quâ ratione effectus suos perficiat. Quæ omnia cum sint occultiora, non tam certò & penitus perspecta habemus, sed satis est si ea verisimili conjecturâ assequamur. Ita omnia in corpore humano sapientissimum quendam Opificem in præclaros fines ea solùm intuendo extruxisse novimus. At nosse quâ ratione vis seminalis operetur, unde incipiat, quid primùm moliatur, quid deinde, quomodo materiam in partes secernat, & quibus tandem mutationibus omnia tam mirificâ arte absolvat, hæc inquam nosse, est intimam cujusque rei Naturam perspectam & exploratam habere. At cum ad nos non admodum pertinent,

perpaucis negotium facessunt, scilicet (ut ita dicam) Optimatibus quibusdam, qui interiori Naturæ contemplatione aut sibi oblectationem aut majorem quandam vitæ humanæ utilitatem quærunt. Atque de his solis idem, quod tu de omnibus Physicorum Quæstionibus definiendum puto, *Exterminandas non esse*; *est enim* '*Animorum Ingeniorumque na*'*turale quoddam quasi pabulum consideratio contemplatioque* '*Naturæ. Erigimur, elatiores fieri videmur, humana despi*'*cimus, cogitantesque supera atque cœlestia, hæc nostra ut ex*'*igua & minima contemnimus. Indagatio ipsa rerum tum* '*maximarum, tum etiam occultissimarum habet oblectatio*'*nem. Si verò aliquid occurret, quod verisimile videatur,* '*humanissimâ completur animus voluptate, præclaréque agi* '*secum sapiens putat, si in ejusmodi rebus verisimile quod sit,* '*invenerit.*

SECT. XII. Postremò ad bonorum malorumque notionem venimus, atque primùm de finibus constituendis disputatur; quo Argumento quanquam omnis vitæ ratio, omnis virtus, omnis sapientia, atque demum ipsa fœlicitatis summa continetur, de eo tamen nihil ipse, nisi quod Philosophorum dissensiones insectetur. Atque igitur cum de re ipsâ nihil dixerit, jam ante dictum est quanti in tantis rebus Græcorum Autoritates habeamus. Nulla enim in istis sat magna Autoritas esse potest, quæ solo interno Naturæ sensu percipimus. Atque adeo mihi extremæ futilitatis crimen videtur, quod quicquam in vitæ beatæ ratione mihi instituendâ aliorum autoritati tribuendum putaret. Quanquam credo sapienter & consultò egit, quippe nescire non potuit, si rem ipsam attigisset, quantas sit facturus Tragœdias. Si enim semel turbentur boni malique fines, continuò ruit omnis officii ratio, quæ nisi firmissimè sibi constet, nulla esse potest. Nimirum Constantiâ sublatâ omnis Virtus in calliditatem mutatur; ut si quis de eâ dubitaverit, vix minus in officium committat atque si ipsum omnino tollat. Id quod & ipse vidit, cùm rem seriò tractare vellet, Scepticos omnes jus nullum de officio disputandi habere, quòd nullum rerum delectum, aut ad officii aditum inventionem reliquissent. Atquî hujus vanitatis perniciem in M. filii personâ superius

De Offic. l. 1.

ſuperius declaravimus. Nunc vero de Græcorum ſententiis: Quæ tametſi cujuſvis autoritatis fuiſſent, quid tamen ad rem, de quâ ipſe attulit, attinere poſſent? Quanquam non majus ſit eorum levitatis Argumentum, quàm quòd cum ſint tria certiſſima, eſſe Primam Materiam, Primam Cauſam, Summum Bonum, de iis tamen maximos tumultus inter ſe commoverunt. Atqui tamen de hoc extremo, quantacunque diſſidia quæſiverint, omnes tantum re convenire, quantum verbis diſcrepare videntur. Fertur enim Varronem pluſquam ducentas ſententias recenſuiſſe, etiamſi tribus plures (ut & Chryſippus ſtatuit) eſſe non potuiſſent; aut ſcilicet honeſtatem eſſe finem, aut voluptatem, aut utrumque; neque ex his, à quibus inquam reliquæ omnes nihil re, ſolo nomine diſcrepant, plus unâ vera eſſe poſſet, eaque eſt utroque vitam beatam perfici. Atque hanc communi hominum ſenſu, omni vitæ experientiâ, clariſſimis rationis concluſionibus percipimus, comprehendimus, demonſtramus. Quanquam enim invidioſo *voluptatis* nomine utaris, ut delicatam & mollem iſtam, quæ ſuâ ſuavitate ſenſus movet, omni tuo impetu inſecteris, id tamen Academicâ veſtrâ libertate feciſti, qui non tam aliorum opiniones redarguere quàm calumniari ſoleatis. Alioqui enim longè alienam atque meliorem voluptatis notionem tu ipſe noſti, cùm convenienter ipſi Naturæ vivamus, ſeu cum rebus iis, quas ipſa conciliat Natura, fruamur. Adeo ut voluptatis nomine nihil aliud intelligat quivis Philoſophus (quanquam de grege porcus fuerit) quàm quemque eum ſtatum adipiſci, quem deſiderat cujuſque Natura. Quantumcunque igitur aliis rebus inter ſe diſſenſerint Philoſophi, in hâc tamen voluptatis ratione convenere omnes. Neque equidem intelligo quî diffidere poſſint, cùm nemo ſit qui ſe non amet; & ſi amet, amet quoque quicquid ſibi placeat. Atque à ſimplici hoc principio diverſas ſuas de boni malique finibus rationes deducunt. Solummodo igitur tuos *de finibus* libros evolvas, atque omnes omnium factionum Philoſophos, Epicureos, Stoicos, Academicos, Peripateticos convenire reperies. Quid Epicurus? Omne animal ſimul atque natum ſit, voluptatem appetere, eâque gaudere, ut ſummo bono; dolorem aſpernari ut ſummum malum, &

De fin. l. 1.

De fin. l. 3. quantum possit à se repellere. Quid Zeno? Simul atque natum est animal, ipsum sibi conciliari & commendari ad se conservandum, & ad suum statum, & ad ea quæ conservantia sunt ejus statûs diligenda: alienari autem ab interitu, iisque rebus quæ interitum videantur afferre. Quid

De fin. l. 5. Plato? Quid Aristoteles? Omne animal seipsum diligit, & simul ac ortum est id agit, ut se conservet, quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus à Naturâ datur, se ut conservet, atque ita sit affectum, ut optimè secundùm Naturam affectum esse possit. Videsne quantâ animorum consensione in eandem sententiam conspirarunt omnes? Et profectò quid magnum est primum Naturæ appetitum invenisse, quem acrius quàm sitim & famem quisque sentimus? Ut quidem hoc in loco (quod & vidit Epicurus) opus

De fin. l. 1. non sit ratione aut disputatione; *sentiri enim, ut calere ignem, nivem esse albam, dulce mel: quorum nihil oportet exquisitis rationibus confirmare, tantum satis esse admonere.*

SECT. XIII. Quemadmodum verò communi omnium & sensu & suffragio germanam voluptatis notionem non aliam esse constat quam ut sibi charus & dilectus quisque sit, atque Naturæ suæ conditione gaudeat & lætetur: Ita quoque eâdem experientiâ & rationis usu edocti omnes consentiunt nullâ re magis quàm virtute sui amorem conciliari, nihilque aliud esse ipsam Virtutem quàm artem benè beatéque vivendi. Singulas ergo percurre virtutes, quænam est quæ tranquillitatem, & cujus contrarium ægritudinem non pariat? At quid ipse probem? Ad tuos *de Finibus* & *Quæstionum Tusculanarum* libros provoco, id enim quoties & quàm planâ inductione ex omnium factionum, etiam & fæcis Epicureæ primis Effatis demonstrasti? Quid enim (ne omnes sequar) Temperantia? Quid Justitia? Temperantia, dum Naturæ ipsius finibus contenta sit, an non inanes omnes cupiditates extinguit; supervacuas ægritudines amputat, integram corporis valetudinem, & mentis tranquillitatem conservat; & denique vitam omnium libidinum insaniâ, omnium formidinum mœstitiâ, atque omnium morborum dolore vacuam comparat? Dum vitium eidem contrarium

trarium in omnia vitæ incommoda induit & incurrit. Insatiabiles sunt quas fovet cupiditates nullâque luxuriâ contentæ, corporis sanitatem, animæ quietem labefactant, morbis & curis replent, in ærumnas, discordias, formidines, & quicquid denique vitæ tranquillitatem possit perturbare, præcipitant. Ut quidem quantum quisque se Temperantiæ legibus gubernandum tradiderit, tantum vitâ beatâ fruatur; & contrà quantum in easdem quis peccaverit, tantundem miseriæ patiatur. Adeo ut demum nihil aliud sit quàm tale vitæ Institutum, quod prudens quisque eligeret sibique imponeret, quò optimè fælicitatem consequatur. Quid Justitia? Nisi ut dum omnium fælicitatem curet, suam cujusque obtineat? Ea enim est istius summæ Virtutis laus & ratio, ut imprimis bonum commune cordi habuerit, atque id ejusdem præmium ut commune bonum tuendo, suam quisque fælicitatem quam optimè tueatur. Imò ea est immensa Dei Opt. Max. sapientia, ut cuique tum ipsâ rerum naturâ tum cujusque ratione indicaverit, se tutum neminem nedum fælicem esse velle, nisi qui aliorum omnium pari affectu, atque sui ipsius fælicitatem optare & curæ habere velit. Cùm enim nemini noceat, sed contra, quantum in se est, erga omnes benevolentiam exerceat, sibi omnium amicitiam & charitatem conciliat. Quibus solis Vita tranquilla & secura (nulla enim sine securitate tranquillitas) efficitur. Improbus autem si quis fuerit, non modò irrequietâ conscientiæ solicitudine & supplicii metu excruciatur, sed & injustè factis omnem vitæ quietem & tranquillitatem sibi detrahit, non modo quod eorum, quos læsit, ultionem, sed & aliorum omnium iram & odium in se inflammari novit. Cùm enim uni ex omnibus hostem se indixerit, eum sibi omnes, si quando opportunè possit, bellum indicturum fraudemque facturum eo moniti intelligunt. Atque eâ lege hominum societates continentur, ut fœdere quodam inter se devinciantur omnes & singuli tam publicum omnium quàm privatum cujusque bonum tueri; adeo ut si quis in alterutrum commiserit, simul in utrumque committat, atque eo demum jure utriusque inimicitiam mereatur. Quanquam multò gravius impendeat Numinis quàm legum hominumque metus; cùm enim

ipsâ

ipsâ eâdem rerum naturâ, quâ se omnibus notum fecit, omnium quoque tum felicitatem imprimis velle, tum nullius privatam, nisi qui publicam prius quærat obtineri, præmiis & pœnis ex ipsâ naturâ nascentibus indicaverit, nemo etiamsi opibus & potentiâ contra legum hominumque pœnas se satis septum atque munitum putare potest. Quid autem Ciceroni multa? Primam ergo summi Numinis legem adversus omnes Benevolentiam esse intelligas, eâque omnem mutui Officii rationem contineri. Huic uni fundamento stare familias, civitates, respublicas, imperia, omnemque hominum conjunctionem; huic niti omnem justitiam, sapientiam, omnemque virtutum omnium cultum & dignitatem. Nullum aliud esse proborum ab improbis discrimen, nisi quod alteri bonum omnium commune imprimis quærendum esse putant, quod qui faciunt, sui emolumenti causâ aliis nunquam nocere possunt, dum alteri suas rationes aliis omnibus anteponendas esse secum statuunt, quod qui volunt, nihil est quod eosdem à quovis scelere, injuriâ, fraude, audaciâ sive in socium sive in societatem coercere possit. Num igitur maximis his probitatis officiis & sanctissimis naturæ legibus, quas rebus ipsis insculptas percipimus, atque ipsâ Mathematicorum viâ demonstrare possumus, vim omnem & fidem solâ paucorum Sophistarum autoritate derogari velles? In pistrinum potius contrudantur, vinculis constringantur, in levitatis pœnam verberentur, imò denique ex arbore potius pendeant quàm ut vel minimùm eorum causâ labefactetur unius virtutis sanctitas & constantia.

Sect. XIV. At postremùm inquis, si semper voluptas cum honestate copuletur, *ruunt omnia, & maximè communitas cum hominum genere, charitas, amicitia, justitia, reliquæ Virtutes: quarum esse nulla potest, nisi erit gratuita. Nam quæ voluptate quasi mercede aliquâ ad officium impellitur, ea non est virtus, sed fallax imitatio simulatioque virtutis.* Satius profectò mihi crede fuisset, Marce Tulli, opinari te, capi, falli, temerè quicquam aut falsum aut incognitum assentiri, quàm ut tantâ gravitatis autoritate, tantâ prudentiæ specie, tantâ denique & Ingenii & Scientiæ ostentatione

one in tam puerilem & insulsam pertinaciam te præcipitares. Unquamne enim à Cicerone virtuti objici auditurum putavi, eam nisi sit prorsus inutilis nihilque secum incommodi afferat, non esse virtutem? Dicere tamen maluit quam ut in causæ susceptæ defensione quoquo modo non permaneret. An hoc in locis lubricis tibi cavere dicis, cùm propriæ Conscientiæ clarè perceptis cedere coactæ solo certandi studio reluceris? Cùm enim vitam beatam virtute maximè obtinendam esse percepisses, quâ nisi Academici fronte, id Numinis Providentiæ exprobrare posses, quod eam tantâ præmii mercede evocari vellet? Quod tamen ni fecisset, an non Cœlum & Terram & Deos omnes, idque summo jure obtestareris, quod virtutem nullius beneficii pretio dignam habuissent? Quænam autem est tam turpis & sordida ista merces, quæ virtutem ipsam tam fœdè, ut virtus non sit, dehonestet, nisi se quenquam amare, sibi bene velle, atque fælicitatem optare? Quod autem præclarius, quod optabilius, quod præstantius beneficium divini Numinis concessu atque munere generi humano dari posset, quàm ut cuique virtutem eodem appetitu, quo quemque sibi charum fecit, conciliaret?

Jam verò cum hæc omnis sit *Pyrrhoniorum* & *Academicorum* disciplinæ ratio, quî satis mirari possimus homines doctos, acutos, ingenii nobilitate præclaros rebus tam parvis, tam levibus, tam ludicris omnia scientiarum fundamenta, omnem sensuum fidem, omnem rationis usum, omnem vitæ gubernationem, omnem denique virtutis, prudentiæ, officii rationem ex ipsâ hominum vitâ sustulisse? Imo & ipsum *Ciceronem* virum omnium post hominum memoriam doctissimum atque divino ingenii acumine celeberrimum iis sibi tam gestienter satisfecisse. Cùm verò tam infaceta sit ipsa causa ut tali defensore defendi nequeat, eam imposterum tanquam desperatam & nullius patrocinii aut compotem aut dignam aspernemur. Potissimùm cum ut ipse nihil quod pro causâ dici possit, præteriit; ita neque Ego quicquam quod ipse dixit. Nisi quis tam ineptus sit ut leve & populare istuc quovis responso dignum arbitretur. Si quis cujuspiam opinioni assenserit, cum alios omnes qui dissensere, temeritatis & ignorantiæ postu-

lare. Inverecundum autem esse omnes, qui sapientiam coluerunt, uno excepto, levitatis suspectos habere; quod faciunt quotquot uni cuipiam assentiuntur. Esto ergo. An verò majoris inverecundiæ non esse videatur, omnes, ne uno quidem excepto, quod faciunt Academici, ejusdem non modo suspicari, sed & summâ cum insolentiâ accusare?

Cùm verò doctorum hominum, qui cum omnes disciplinas perceperint, acuminis ostentatione nihil se didicisse profitentur, levitatem reprehenderimus, est & indoctum hominum genus, qui in eandem ambitionem incumbentes eodem fastidio nihil in re quâque definiendum esse clamant. Quo, quanquam quid verum quid falsum sit ipsi præ ignaviâ investigare non sustineant, oscitantiæ suæ non modo colorem quærere, sed & eidem laudem & palmam se adipisci assentantur. De his ergo quid dicemus? Sub ferulam castigandi mittantur, nullo enim alio quam puerorum (nisi quod infantiæ petulantiam adjunxerint) supplicio honestari merentur. Si enim ad liberam, quam se requirere aiunt, rerum disquisitionem provocemus, quam aliam victoriam de iis ferre possimus, nisi ut eorum de quibus tantâ fiduciâ in compitis & inter pocula effutire solent, nihil se intellexisse fateri cogamus? Præclara victoria & qualem vir sapiens ab infantium incunabulis reportare gestiret! Ipsis enim nihil magis intelligunt, nihil melius sapiunt, nihil severius cogitant, neque re quâvis discrepant, nisi quod eorum innocentiâ caruerint. Hisce autem ingenii umbris sub Pædagogorum fasces & sceptra missis, ad aliorum sapientiam nihil desideratur, nisi ut purâ & integrâ mente utantur. Neque enim quivis unquam errarunt, nisi qui aut nova moliendi gloriam, aut sui lucrum, aut (quod plerunque fit) populi opinionem ipsi veritati anteposuerunt. Neque pauci isti (& perpauci quidem fuere) qui in omni seculo exorti sunt sapientes, nisi quod his omnibus superiores fuissent, sapientiam adipisci potuissent. Verbo ut dicam, nemo est, modò adsit integritas & modestia, quin quicquid de naturâ nosse refert, facillimè intelligat. Sin absit, sui non naturæ culpa est, si quæ vult perversè intelligere, ea malè & perperam intellexerit.

SECT. XV. Jam verò cùm quâ levitate suscepta sit veterum Scepticorum disciplina demonstraverimus, nihil opinor opus est ut ipsam eandem levitatem propter unum Cartesium nunc iterum reprehendamus. Quæ enim assensûs sustinendi argumenta ipse attulit, nisi quæ ipsi prius attulerunt? Se nimirum aut insanire aut semper somniare posse, quibus quid inter priscos magis tritum, quid sæpius repetitum legimus? Atque igitur de iis jam ante Ciceroni responsum est, quòd quamvis qui insaniunt, cùm sanos se esse putent, ridiculè se fallant, qui tamen sani sunt, se non insanire certissimè intelligunt. Quæ eadem est de somniantibus cavillatio, quod quanquam vigilemus an dormiamus, inter somniandum judicare non possimus; hæc tamen dum scribo, me vigilare certò novi, neque an dormiam dubitare possum. Sint autem *validæ rationes*, ob quas de omnibus dubitari vellet Cartesius, an itaque seriò dubitaverit, Sólne sit, Cœlum, Terra; habeat ipse caput, oculos, manus? Nequaquam, inquit, neque enim de iis quispiam sanæ mentis unquam seriò dubitavit. Lusit itaque cùm curis aliis solutus tam solenni pompâ diem sibi indixerit, ut seriò tandem Opinionum suarum omnium eversioni vacaret. Si enim nemo, qui sanæ mentis sit, de iis dubitare possit, quid sequitur nisi tam ineptas esse rationes quibus omnia in dubium revocari vellet, ut prorsus insaniat si quis iis se omnino persuasum esse patiatur? At si joco tantum & fictione dubitandum esse velit, quid quæso profuit? cùm inani istâ simulatione nullæ omnino præjudicatæ opiniones eluuntur? Atque adeo suis dubitandi principiis nihil earum reverà sustulit, & nisi sustulerit, certæ adhuc & indubitatæ supersunt, quas scilicet nullis rationibus, etiamsi omnibus viribus id unum ipse conatus sit, tollendas fateatur. At cùm non modo ut dubia omnia esse suspicemur, sed quoque ut quasi manifestò falsa habeamus, monuerit; quo nimirum mens æquatis utrinque ponderibus in æquilibrio constituatur: Si seriò monuerit, quenquamne à se extorquere censuit, ut Solem nunquam lucere, se corpus nullum habere, totum parte majus non esse ex animo opinetur? Cùm enim ipso Judice insanus sit, qui ista om-

Synops. Medit.

nia incerta diceret, qui ea falſa dicunt, omnium certè qui inſaniunt, deſperatiſſimos judicare deberet. Si joco, otio abuſus eſt, operamque perdidit, cùm iſtiuſmodi fictiones nihil fructûs habere poſſint. Etenim ſi quis aut fingat aut dicat duo & tria non eſſe quinque, atque interim non credat, contrarium non minori aſſensûs conſtantiâ credit, quàm ſi nihil contra finxiſſet aut dixiſſet. Cùm verò Deum Opt. Max. malignum quendam Genium eſſe finxerit, qui datâ operâ in omnibus quantum potuit nos fefellit, itáque fecit ut in iis quæ perfectiſſimè ſcire arbitremur, maximè fallamur, hoc fateor neminem ante ſe finxiſſe; cùm verò ipſe finxerit, è præcipitio ſe planè miſit, atque ita ruit ut nunquam ſe poſtea ſuſtinere poſſit. Si enim tam perversè facti & conſtituti eſſe poſſimus, ut falſa ſemper pro veris percipiamus, quo quæſo initio ſcientiæ cujuſvis fundamenta ordiemur? Quantâcunque enim perſpicuitate res ipſæ nobis ſui fidem fecerint, nihil tamen ad aſſenſum unquam efficient, quandiu maneat deſperata iſta dubitandi ratio probabile eſſe ut omnia contra quàm ſunt nobis videantur. En igitur unde initium ipſe duxerit, quòd Deum eſſe demonſtrare poſſit, eumque neque falli neque fallere. Id verò quî intellexerit? Quod inquit ſit ſummè perfectus. Atqui verò ſi ſit, quamobrem non fallat? Quod mentiri & decipere à ſummâ perfectione ſit prorſus alienum. Quâ viâ in Dei notitiam venerit poſtea dicemus, nunc vero quâcunque, nihil effeciſſe dicimus, quatenus de Mentis integritate, quâ ſolâ in omnibus percipiendis, cognoſcendis, & judicandis utimur, ſemper dubitetur. Sicut igitur facultates veraces eſſe ipſe non intelligendum ſtatuit, niſi Deum prius eſſe intelligamus; ita Deum eſſe nullo modo intelligi poteſt, niſi prius facultates veraces eſſe intelligantur. Cùm autem Deum eſſe invenerim, unde ſciam non eſſe deceptorem? Quòd ſit ſummè perfectus. At quî ſciam quid ſit perfectum, quid imperfectum; quid mentiri, quid verum dicere; cum fieri poſſit ut quod ſummè perfectum putem, ſit ſummè imperfectum; ut mentiri ſit verum dicere; ut nihil ſit mendacio melius, veritate nihil deterius: Ut denique perceptionibus noſtris ſemper contrariæ ſint ipſæ rerum notiones? An verò,

Carteſi,

Cartesi, Deum mentiri non posse tam certò te scire putas, quàm Solem interdiu, & noctu Lunam lucere, aut te oculos, te manus, te corpus habere? Si putas, mihi solum probes quodvis in deceptione delictum esse, nisi cum injuriâ copuletur; si enim non noceat, peccatum esse nego. Quid ergo si tam facetè nobis illuserit tuus iste Deus ut Cœlum, Solem, Terram aliaque omnia, quæ cùm non sint, existere videantur? Nihil igitur opus erat malignum finxisse, ut hujusmodi præstigiis ludat, satis est si facetum putaveris. Aut si à summi Numinis Majestate aliena sit, ut est, ista levitas, id neque tu neque Ego tam certò novimus, quam Oculos nos habere & Solem lucidum esse, ut si vera sit tua conclusio, perspicua tamen ex obscuris elicit, cùm multo certius sensuum testimonio Solem esse, quàm mendacium, quod nemini læsit peccatum esse sciam. Pro immensâ itaque suâ potentiâ me fallat sive facetus iste sive malignus Deus, insanus sim, si cùm nunc Solem aspexerim, an aspiciam dubitarem. Atque tu ipse an bonâ fide dubitares tres angulos æquales esse duobus rectis; quadratum quatuor duntaxat latera habere; duo & tria esse quinque, res quasdam materiales existere, & te sensus, quibus eas cernas, habere; nisi prius Deum fallacem non esse pro certo tibi persuasisses? Nisi disputandi causâ puderet dicere, cùm tu ipse neminem sanæ mentis de iis omnino dubitaturum putes; ut tuo ipsius judicio, prorsus insanus sit, qui de iis quicquam dubitationis à se extorquere possit. Atque profecto quis plusquam insanum non reputaret, qui plus certitudinis quàm Solem esse, aut se corpus habere in re quâvis postularet. Quid itaque opus est nos ipsos fictis & inanibus istis dubitandi rationibus fatigare, cùm sine labore, sine temeritate, sine periculo res omnes, quas scire sit operæ pretium, certò intelligamus. Nostris itaque facultatibus, quibus pro immensâ suâ benignitate Deus Opt. Max. nos donavit, contenti simus, neque supra humanitatis sortem enitamur; ne dimissâ solidâ istâ, & quæ teneri possit sapientiâ, nihil nisi umbram ejusdem captare laboremus, atque saltem miserrimo hujus Philosophi exitu modestè sapere discamus, qui cum Ingenii fiduciâ fretus in altum, spretâ naturæ suæ conditione, evolare vellet, mox in tam profundum delapsus

lapſus ſit dubitationum gurgitem, ut quantumcunque poſtea eniſus ſit, nunquam potuit aut enatare aut pedem figere.

Sect. XVI. At cùm omni ſuâ fingendi licentiâ omnia veterum ſcientiarum fundamenta evertiſſe ſibi aſſentetur, tandem *Archimedis punctum* ipſe ponit, cui tanquam firmo & immobili principio omnia denuo inſtaurentur. Quo conatu rem ſuam longè minori acumine quàm veteres Sceptici confeciſſe viſus eſt. Illi enim ut ab omni aſſenſu ſuam libertatem contra Dogmaticorum ut aiebant inſolentiam tuerentur, incerta omnia & incognita fore voluerunt, quo ſolo diſciplinæ ſuæ (ſi quam haberent) finem conſecuti fuere. Contra autem *Carteſius*, qui omnia in dubium revocari voluit, ut eâ ratione ſummam de omnibus certitudinem inveſtigaret; at exitu tam infælici, ut tandem magno ſudore atque majori apparatu nihil niſi ſe eſſe probaverit. Quod tamen opinor ſimplici intuitu, ſine ſolenni iſtâ diei indictione, ſine prolixâ meditationum ſerie, ſine tanto ſyllogiſmorum ſtrepitu ſat notum ſibi habere potuiſſet. At cum ipſe ſit, quid ſequitur? Quid inquit? omnia. Se mentem eſſe; eſſe mentem à corpore ſeparabilem; Solem, Cœlum, & Terram exiſtere; ſe manus, pedes, & caput habere; duo & tria quinque efficere, & poſtremò Deum eſſe. Quî verò iſthæc omnia? Primùm inquit, Cogito, ergo ſum: Concedimus. Ergo ſum res cogitans: Id quoque damus. Ergo Mens ſum à corpore diſtincta: Quî verò? *Quod poſſum negare ullum eſſe corpus, ullam rem extenſam, & tamen certum mihi eſt, me eſſe quamdiu hoc nego, ſeu cogito: ſum ergo res cogitans, non corpus.* Quamobrem verò non cogitet ipſum Corpus? Quod inquit cum Corpus eſſe negaverim, iſto tamen negato me cogitare ſcio. At falſo negaſti (ut probè noris) te corpus habere. Cur itaque cum quòd cogites te eſſe concluſeris, Corpus non ſit, quod ſe eſſe cogitet? Corpus inquis cogitare nequit. Quidni & iſtuc? *Quod completè intelligam quid ſit corpus, putando tantùm illud eſſe extenſum, figuratum, mobile,* &c. *deque illo negando ea omnia, quæ ad Mentis naturam pertinent.* Quaſi verò varios de re quâque conceptus, ut vocas, *inadæquatos* fabricare non liceat.

Medit. 2.

ceat.

ceat. Tuum ipse corpus sumas, an non in eo extensionem concipias, motu & figurâ non conceptis? An itaque figura & motus à re extensâ res sint diversæ & separabiles? Figuram concipere potes, non concepto circulo, an itaque in corpore rotundo aliud sit figura, aliud circulus? Denique tua ipsa Mens res extensa sit, an inextensa, utrum mavis, de utroque cogitare potes, interim de cogitatione nihil cogitans? Atqui cum corpus rem extensam & mentem rem cogitantem (inquis) concipio, *completi sunt utriusque conceptus, seu res esse completas, quarum una absque aliâ esse possit intelligo.* At hoc unde probes, aut quem qui contra disputaverit, tibi daturum putes? Quidni enim *incompleti* sint utriusque conceptus; ut cum Corpus tuum rem extensam non autem cogitantem intelligas, non aliud facis, quam si idem sine erectâ figurâ cogitares. Dicas autem per *rem completam* quid intelligis. *Substantiam indutam iis formis sive attributis, quæ sufficiunt, ut ex iis agnoscam ipsam esse substantiam.* At isto pacto dicas utinam quid sit *esse rem incompletam*, cum nullum attributum concipi possit, quin rem cui insit substantiam esse agnoscas, quod ab omni substantiâ nequeat esse secretum. Quid autem in re tam levi multa? Cum corpus rem extensam, mentem rem cogitantem; utramque substantiam esse intellexeris, an verò eadem, an diversa fuerit tuo solo conceptu nunquam efficies, atque millies lacessitus ut id seriò coneris nunquam provocari potuisti. An non inquis? Si non possim Ego, efficiet ipse Deus. *Quoniam enim scio omnia, quæ clarè & distinctè intelligo, talia à Deo fieri posse, qualia illa intelligo, satis est quòd possim unam rem absque alterâ clarè & distinctè intelligere, ut certus sim unam ab alterâ esse diversam, quia potest saltem à Deo seorsim poni, & non refert à quâ potentiâ id fiat, ut diversa existimetur: quia ergo ex unâ parte claram & distinctam habeo Ideam mei ipsius, quatenus sum tantùm res cogitans, non extensa; & ex aliâ parte distinctam Ideam corporis, quatenus est res extensa, non cogitans, certum est me à corpore meo revera esse distinctum & absque illo posse existere.* Futilia sunt omnia & penitus pro libidine sumpta. An non motum absque figurâ clarè & distinctè intelligis, & figuram absque motu, & utrumque absque corpore?

Medit. 6.

pore? Neutrum tamen neque à ſe neque ab iſto ſeorſim poni poſſe ab ipſo Deo non minus clarè & diſtinctè intelligis. Et rurſus cum Mentem præcisè tanquam rem cogitantem tecum concipis, nihil cogitando corporea ſit an incorporea, concluſione tuâ efficias, à Deo ſeorſim poni poſſe ab utroque. Quanto melius fuiſſet nugas eſſe, quæ ſunt, confiteri, quàm ut in iis tam argutè defendendis ipsâ diſputandi tenuitate tibi ipſe nauſeares? Quantis promiſſis exorſus es? nova ſcientiarum fundamenta talibus demonſtrationibus, quibus meliores ingenio humano inveniri non poſſunt polliceris: Atque igitur à te ipſo incipis, & mentem te, eamque à corpore diverſam & ſeparabilem longè clarius quàm ipſum corpus habere demonſtraturum non diffidis. Acutè profectò, atque ipsâ rei ſolertiâ tibi aures omnium devinctas tenuiſti. Sic ergo gravi vultu in ſcenam prodis: Me cogitare novi; rem autem cogitantem à mole corporeâ diverſam eſſe, quod diverſi de iis habeantur conceptus. Quo cum proceſſeris ſpe noſtrâ deluſi exclamamus non diverſos fortè eſſe diverſarum rerum ſed *incompletos* ejuſdem rei conceptus. Tu autem eâdem gravitate quâ exorſus es *completos* eſſe reſpondes. Cùm vero ut illius demonſtratione nos beares precamur, & tibi & nobis ſatis feciſſe te putas, ſi rem ſic eſſe ut ais tu ipſe definiveris. Atquî communem hanc veſtrum omnium, qui *Veritatis Patres* eſſe vultis, levitatem fuiſſe ſæpius jam ante dixi, ut omnia definiendo demonſtretis. At ſi ſufficiat definitionum veſtrarum Autoritas, diſputatione quid opus eſt? ſi non ſufficiat, nihil efficitis. Aut ſi ad alia comprobanda quicquam valeret, non tamen ad ſe ipſam, ſic autem vos ſemper ad concluſionem pervenitis; ut primum rem ſic ſe habere definiatis, tum deinde definitione demonſtretis.

Sect. XVII. At cùm tandem *Mens Optima* te ipſam inveneris, doceas precor quî cætera omnia, Solem, Lunam, Terram, & quicquid præterea in Mundo eſſe videtur an ſint, an ſolùm eſſe videantur, inveniemus. Facillimè inquis: Cùm enim iſtorum Ideas in nobis reperiamus, aut ab ipſis rebus proficiſcuntur, quæ proinde ſunt; aut à Deo: atqui cum ipſe fallere non poſſit, eas, niſi res ipſæ extitiſſent,

noſtris

nostris animis ipsum non impressisse scio. De cæteris autem jam ante diximus quàm perversè omnis eorum scientia à Dei veracitate ducatur, cum verò quæcunque sit, ab illo pendere velit, quî tandem esse demonstrat? Quod scilicet in se rei summè perfectæ *Ideam* habere se novit, quam nisi sit res ipsa summè perfecta, quæ eam produxerat, ut fusius supra dictum est, habere non potuisset. Primùm itaque de Ideâ an & qualis sit, dicamus; deinde an si sit, Deum ritè esse concluserit.

Alii sunt, fateor, qui (quanquam aliâ viâ) Numinis existentiam ab ejusdem Ideâ demonstrari arbitrantur, quòd scilicet omnium mentibus innata sit; atque innatam esse, quod omnibus communis sit; atque omnibus communen esse, quòd de eâ firma sit omnium gentium & seculorum consensio. Cujus universæ ad unum omnium consensionis nulla alia causa inveniri potest, nisi quæ humano generi communis sit, cujusmodi demum nulla alia excogitari potest, nisi ut aiunt ipsius Naturæ *Instinctus*. Si enim instituto, aut more, aut lege aut quovis modo arbitratu humano constituta fuisset de Deo opinio, nec eadem ubique fuisset, nec omnibus communis; cùm itaque omni ævo & ubique gentium invaluerit, dubitari nequit, quin eandem innatam habeamus.

Huic accedit Conscientiæ vis & potestas, cujus imperium nullâ vi, nullâ fraude, nullâ audaciâ excutiunt, qui id omni impetu nituntur; sed scelestissimus quisque velit nolit, illius stimulos & morsus sentire cogitur. Et qui summâ potentiâ muniti sunt, ut homines non metuant; quique in occulto sine arbitris sine testibus flagitia perficiunt, ejus tormentis & furiis agitantur; intus trepidant; noctes atque dies scelerum Conscientiâ urgentur. Cujus causam aliam nullam esse potuisse aiunt, nisi ipse Deus eam, ut sui vicem in unoquoque gerat, in omnibus posuisset.

Quam quidem argumentationem si in populari ratione versaretur oratio, non penitus aspernarer, cùm multitudini, quæ non ratione sed autoritate ducitur, optimè conveniret. Nulla enim tam rata, tam gravis, tam imperiosa autoritas esse potest, quàm quæ omnium consensione firmatur. At quoniam cum ejusmodi Philosophis sit disputatio, qui se solam

ſolam rationem ſequi gloriantur, & tantum abſunt quicquam aliorum opinioni tribuant, ut quicquid ab aliis ſtatuatur, eâ ſolùm ratione everſum eant; iis quicquam niſi ſolam rationis autoritatem urgeri nollem; & niſi eâ ſuperiores ſimus, non recuſo quin aliâ quâcunque evinci non poſſit, immò non poſſe ultrò concedam.

Quanquam hanc diſputandi ab innatis notionibus rationem adhiberi hâc præcipuè causâ nollem, quòd eâ maximè utuntur omnes, qui Deum ſolùm jocandi causâ induxerunt. Atque potiſſimùm *Epicurus*, qui cùm omnia Providentiæ divinæ veſtigia è Mundo ſe deleviſſe putaſſet, προλήψεις ſeu innatas quaſdam Deorum notiones omnium animis inſculptas eſſe voluit, id quod firma omnium de iis conſenſione comprobavit. At luſit vir infacetus, neque enim ipſe Deos eſſe omnino credidit, neque quicquam autoritatis mortalium omnium ſuffragiis tribuit; ſed populi illudendi causâ, cùm utilia omnia argumenta ſuſtuliſſet, in eorum locum neſcio quas cæcas notiones ſubſtituit, quæ nullâ ratione, nullis ſapientiæ principiis, nullo Philoſophiæ uſu demonſtrari poſſent, ſed brutâ Naturæ neceſſitate ſuſceptæ ſint. Atque riſit proculdubio vir lepidus, cùm omnem de Deo opinionem ſolâ populi autoritate (quam ipſe cum primis contempſit) conſtitutam eſſe concluſerit. Deinde populum nullo judicio, nullâ ratione, nullâ prudentiâ, nullâ Naturæ contemplatione in opinionem iſtam conſenſiſſe. Poſtremò in eam belluino impetu impelli, qui ut nullius rationis compos eſſe poteſt, ita neque cujuſvis demonſtrationis præter ſeipſum. Quî quæſo omnem de Deo notionem majori contemptu onerare potuit, quàm quod in multitudinis temeritatem referret, ipſamque in cauſam ab omni ratione ſecretam. Atque adeo huc tandem pervénit viri inſulſi diſputatio, quamvis vulgaris ſit de Deo opinio, eam tamen nullâ ratione demonſtrari poſſe. Quo mehercle non minus apertè ipſum ſuſtulit, quàm ſi nullum eſſe dixiſſet. At ſi tam lepidè ſibi placuit ſic populo illuſiſſe; quid feciſſet, ſi ſapientes etiam pleroſque eâdem calliditate illuſos fuiſſe intellexiſſet. Cum enim in Ciceronis de Deorum naturâ libris ex omnium Philoſophorum decretis de Deo diſputetur, primùm Epicurei

personâ exorsus est. Qui itaque sic quæstionis fundamentum jecit: *Esse Deos, quòd in omnium animis eorum notionem impressisset Natura. Quæ est enim gens, aut quod hominum genus, quod non habeat sine doctrinâ anticipationem quandam Deorum?* Quæ verba quoties ad hunc usque diem recitata legimus, eaque *Ciceronis* autoritate aucta, etiamsi ipse ea alienâ personâ attulerat, atque igitur mox contempsit, ipsumque argumentum cùm leve per se tum etiam falsum esse dixit. Atque primùm nationum omnium opiniones desiderat, *equidem arbitror* (inquit) *multas esse gentes sic immanitate efferatas, ut apud eas nulla suspicio Deorum sit.* Deinde non modo Philosophos quosdam sed & impios omnes dissentire ait, qui nimirum impii esse non possent, si Deos esse putarent. Postremò ipsi Argumento alibi respondet: *Quasi verò quicquam sit tam valdè, quàm nihil sapere, vulgare; aut quasi tibi ipsi in judicando placeat multitudo.* Quibus quæcunque rationi vis & utilitas insit, eam tamen nullâ Ciceronis autoritate comprobatam esse constat. Et quanquam ipse eâdem in exordio librorum de legibus utatur, aliisque quibus de Boni Malique legibus disputat; nusquam tamen argumenti loco attulit, sed tanquam rem sibi, antequam de isto loco disputare posset, concedendam postulavit, cùm enim à solâ Dei notitiâ pendeant omnes boni malique leges, hanc in disputatione de iis sumendam esse putavit, ne alioqui in omni argumento esset à Numinis demonstratione inchoandum. Id quod ipse disputationis initio significavit, *Dásne igitur*, inquiens, *hoc nobis, Pomponi, Deorum immortalium vi, naturâ, ratione, potestate, mente, numine, sive quod est aliud verbum, quo planius significem quod volo, naturam omnem regi? Nam si hoc non probas à Deo causa ordienda est.* Quod igitur eo facilius dum cum Epicureis disputaret, sumi licere putavit, quod tantam omnium de Diis consensionem fuisse ipsi arbitrarentur. Hæc quidem fuit *Ciceronis* de argumento Epicureo opinio & judicium. Verè autem an falsò judicaverit, Academicus cum sit, suam omnibus judicandi facultatem permisit. Quidni igitur ipse quoque sententiam meam liberè explicarem?

De Divin. l. 2.

Primùm itaque etiamsi Divinitatis naturæque legum notiones nobis innatas esse non negavero, quòd eas Deus omnium mentibus insculpserit, quo certius cùm sui memoriam, tum legum suarum sanctitatem tueatur: Non video tamen quî iis sapiens quisque obligari se sentiat, nisi primum rectâ ratione eas sanciri intellexerit. Alioqui quicquid præterea Autoritatis habent, id totum cæco cuidam, & cujus nulla probatio esse possit, ἐνθουσιασμῷ defertur. Quorsum autem rationis participes facti sumus, si animalium, quæ illius prorsus expertia sunt, ritu vitam instituamus? Nisi enim quod ratione ducimur, nullo modo belluis præstamus; etenim istæ quoque insitas suas leges habent, nullius tamen virtutis compotes, quod sine consilio, sine ratione, sine cogitatione vivunt. Neque igitur iis meliores fuissent homines, nisi quod cum ipsæ omnia naturâ faciant, nos ratione duce quæ facienda sunt judicamus. Atque istæc prima Naturæ humanæ lex est ut rectam rationem sequi studeamus, quo studio omnis virtus, omnis pietas, omnis sapientia nascitur & perficitur. Ratione igitur sublatâ simul ista omnia tolluntur, atque ab omni cum Deo societate in eandem cum belluis omnibus conditionem detrudimur. Quoscunque itaque *Instinctus* animis nostris Deus inseverit, nollet ut iis solis vitæ institutum fingamus, sed rationi principatum dedit, atque id unum ipse imperavit, ut uni ejusdem imperio sincerè pareamus. Nullas itaque virtutis leges nobis impressit, nisi quas recta ratio per se nos doceret, alioqui enim an leges omnino sint, an bonæ, an malæ nullo modo intelligere possemus. At certè noluit Deus Opt. Max. cùm divinam suam rationem nobis communicasset, ut tam fortuito & cæco principio ad omnia agenda impelleremur. Atque equidem eò vehementius laboro ut rationis usus naturæ legibus adhibeatur, ne alioqui certum nullum cuiquam sit de iis judicandi κριτήριον. Atque adeo quicquid quisque impudens suâ opinione audacter fretus, tanquam legem, quâ à Naturâ imbuatur, jactaverit, solâ ipse impudentiæ suæ autoritate omnibus imperabit: cùm sublatâ ratione nihil supersit, quo Naturæ leges à privatis cujusque opinionibus dijudicare valeamus. Sic enim Epicurei (pro innatâ Sectæ immodestiâ) non modo omnium

mentibus

mentibus Deos esse, sed & humanas esse Deorum formas Naturæ anticipatione impressum & insculptum esse clamant. En Velleius! *A naturâ habemus omnes, omnium gentium, speciem nullam aliam, nisi humanam, Deorum. Quæ enim alia forma occurrit unquam aut vigilanti cuiquam aut dormienti?* Quanquam (ut Cotta acutè) *isto modo dicere licebit Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, cæsios oculos Minervæ, cæruleos esse Neptuni.* Nempe cujusmodi multa de Diis suis finxerant Poetæ & Pictores, quæ cum populus à primâ ætate acceperat, à Naturâ se accepisse facile credebat. Non aliter quàm *Ganymedes* ille Luciani, qui cum primùm in cœlum raptus esset, Jovem Deum esse persuaderi noluit, quòd *Panis* ad instar, quem solum Deorum noverat, cruribus hirsutis non esset, neque fistulam neque cornua haberet. Et quidem omnibus omnium gentium hominibus usu semper venit, ut Patriæ mores, quibus à primis annis innutriri contigit ipsam Naturam tulisse sibi firmè persuaserint. Quâ de re illustre & lepidum exemplum *Alexander Magnus* expertus fuisse dicitur, qui scilicet cum *Massagetis*, nisi parentes extinctos inhumarent, extrema supplicia interminatus esset, illi se omnia potius subire paratos aiebant, quam ut facinus tam immane in ipsas Naturæ leges patrarent, eâ scilicet edoctos fuisse à quibus ipsi vitæ usum acceperant, iis non justam sepulturam persolvi nisi rursum in intima sua viscera recondantur. Nihil autem à Naturæ affectu & charitate magis alienum videri, quàm ut charissimi parentes vitæque autores Græcorum ritu vermiculis vorandi abjiciantur. Quid autem & Græci? cum ut Massagetas imitarentur imperare Rex simulasset, se millies morte acerbissimâ prius morituros, quam ut parentum cadavera belluarum ritu devorarent. Potissimum cùm ipsius Naturæ lege didicissent, omnes in terræ gremium, unde profecti sumus, redire oportere. At ineptè utrique. De Massagetis qui in extremâ barbarie versabantur, nihil necesse est dicere; Græci autem non Naturæ sed Patriæ legem secuti sunt, cùm & aliarum gentium non minus honesti essent erga defunctos mores, ut Romanorum, qui eos igne absumebant, atque cineres secum sanctè & religiosè servabant. Quid de *Ceis* dicam, qui etiam eodem, ut putabant,

De Nat. Deor. l. 1.

Dial. Deor.

Naturæ affectu parentes ætate confectos ſubitò inter convivia trucidare ſolebant, ut uno inopinato ictu ab ineluctabili ſenectutis morbo, & quod magis importunum videbatur mortis metu eriperent. Quid de aliis populis non modo barbaris, ſed & ut ſe exiſtimari vellent, eruditis, ingenuis, perpolitis, qui ſuæ Gentis mores pro Naturæ demum decretis oſtentarunt? Nulli itaque cuicunque legi aut inſtituto tantam, quanta eſt Naturæ, tribuendam autoritatem eſſe dico, niſi eam Naturâ inſtitutam eique accommodatam perſpicuâ ratione demonſtretur. Adeo ut ſi quicquam Deus nobis aut de ſe aut de ſuis legibus notitiæ inſeverit, nihil certæ & ratæ autoritatis habere poſſet, niſi idem quoque ratione ſanxiſſet.

SECT. XVIII. Cum verò à communi hominum opinione Naturæ Anticipationem probant, de rei veritate luctari nolo; etiamſi ſint, qui integras hominum gentes ſic immanitate efferatas eſſe ferunt, quæ omni Numinis ſenſu & ſuſpicione caruerunt. Quod de quâdam inter novi Orbis incolas *Urorum* gente narrat Joſephus Acoſta, quodque de *Touvoupinambaultiis*, de *Caribum Inſulis*, aliiſque populis Americanis alii narravére. An verò ullam mereantur fidem planè neſcio, non modò quod alii aliquanto poſt de iiſdem populis contrarium ſcripſerunt; verum etiam quod ipſi rem de quâ narravére, non poſſent ſatis exploratam habere: Quòd nimirum barbari iſti eos ut teterrimos hoſtes oderunt, omnemque cum iis conſuetudinem ejurarunt. Atque igitur ſi quoſdam fortè aut vi aut fraude captivos duxerant, linguam tamen, quâ utebantur, omnino neſciebant. Eamque ſi fortè paululum intellexerant, fieri potuit ut de ſacris ſuis nihil impartiri vellent, cum omnibus populis, atque barbaris præſertim, antiquius nihil ſit quàm peregrinos ſacra celare. Sit verò firma omnium de Deo conſenſio, neque eſſe dubito, an igitur inſculpta & innata ſit neceſſe eſt? Cur non potius ipsâ rei perſpicuitate omnes ſe percipere ſibique aſſentiri cogat? Solem in cœlo lucere communis eſt gentium & populorum omnium opinio; num itaque illius ideam Naturâ omnium mentibus impreſſam eſſe concludemus? An non potius eâ vi longè latèque

que collucere, ut omnes, qui oculos habent, eum à se visum fateri cogantur? Quidni ergo & similiter nobis impressa sit Numinis notitia, ita scilicet ut cum ipsam Solis conversionem intueamur, ipse rei aspectus se sine opifice confici non posse indicaret? Dices verò nationes barbaras, quanquam oculos habeant, ratione tamen non omnino uti solere. Atqui oculos habere satis est. Etenim tam aperta & perspicua est Naturæ utilitas & pulchritudo, ut modo oculos tollant, fieri non posset quin eam omnem sapientissimi cujusdam consilio constitutam fuisse fateantur. Esto autem si vis, populum non magis ratione duci, quàm si eâ penitus caruisset; tamen ubique & in omni gente nascuntur è meliori luto homines, qui rationis facultatem se intus habere sentiunt, eâque in rerum naturis investigandis generoso quodam impetu uti feruntur. Hi quanquam literas Græcas aut Latinas nesciverint, docti sunt & Philosophi, qui maxima omnia sapientiæ principia suâ industriâ inveniunt, atque suos populares docent. Atque hâc ratione ipsum virtutis cultum optima Numinis Providentia inter homines conservasse videtur; quòd omni loco omnique seculo quosdam, quemadmodum Athenis Socratem, excellenti Naturæ habitu ac quasi divino quodam spiritu afflatos excitaverit. Etenim tam perspicua est omnis virtutis honestas, omnisque vitii turpitudo, ut nemo mentis integer tam excors esse possit, qui si semel moneatur, utramque non facillimè intellexerit. Cum itaque ab ipsâ Naturæ pulchritudine tam perspicua sit Numinis demonstratio, fieri non potuit quin sapientum autoritate de illius existentiâ fides & opinio apud populum invalesceret. Atque hujusmodi tam universæ omnium consensionis exordium fuisse non penitus improbabile videtur: Quod sapientes ubique Populi autoritati nihil tribuunt, sed se solâ ratione & duci & vinci patiuntur: Atque ut communis sit de re quâvis opinio, nihili existimant, sed liberè in eam inquirunt, & quamcunque conclusionem tulerit ipsa ratio, eam ipsi sequuntur. Populus autem contra in rebus gravissimis non tantum sibi negotii facessit, sed semper aliorum exemplo, more patrio, & legum reverentiâ gubernatur. Atque adeo populorum omnium de Deo consensum nisi quoque ipsa rei evidentia

sui

ſui fidem fecerit, nullius ponderis haberi oportet, cum nullâ ratione ſed ſolo uſu ſuſcipiatur. Et ſi ipſi quoque ſapientes conſpiraverint, nihil tamen ſoli illorum Autoritati cedimus, neque ut cedamus ipſi poſtulant, nihilque à nobis exigunt, niſi quod ſolâ rationis vi extorquere poſſunt. Non igitur autoritate ſed maximâ ipſius rei evidentiâ in Dei notionem tantâ conſpiratione ferri videmur. Cum nulla eſſe debeat populi autoritas, & ſi qua ſapientibus concedatur, ea vim ſuam à ſolâ ratione accipiat: neque enim ſapientes habentur, niſi quòd ſolas rerum rationes ſequi profiteantur. Quæ igitur & quanta ſit iſtorum Autoritas rationibus, quas afferunt, quiſque judicabit: atque præſertim ſi ſapientiam ipſe profeſſus fuerit, cum in iſtâ dignitate nullius niſi rationis imperio obſequi teneatur. Imò & ipſe populus etiamſi conſuetudine primùm Dei notione imbuatur, poſtea tamen, tam perſpicua eſt ipſius rei certitudo, ipſi quoque rationes, quibus inſtituta ſit iſta conſuetudo, ab aliis propoſitas quodammodo conſequuntur. Præſertim cùm unam Solis utilitatem ſpectare monentur, quæ ipſo primo aſpectu tam mirabilis videtur, ut nemo eo ſtupore eſſe poſſit, qui ejus admiratione non moveatur. Atque hinc tam conſpirans gentium omnium ad illius cultum propenſio orta eſſe videtur. Quemadmodum ex antiquiſſimis monumentis refert Diodorus Siculus vetuſtiſſimos in Ægypto mortales mundum ſupra ſe contemplatos, & non ſine ſtupore demiratos Univerſi Naturam, duos eſſe Deos exiſtimaſſe æternos & primos, Solem quippe & Lunam, quibus ſcilicet omnem rerum Naturam præcipuè gubernari videbant. De his autem fortè uberius, cum erit de Idololatriæ ortu & vitio diſputatum. Interim ad rem noſtram ſatis ſit indicaſſe conſpirantem omnium de Deo opinionem non ſe omnibus innatam demonſtrare, cùm alia tantæ conſenſionis cauſa probabilis, ipſa ſcilicet rei evidentia, eſſe poſſit, quæque cum communi vitæ humanæ inſtitutione admodum convenire videatur.

Lib. 1.

Poſtremò de Conſcientiæ vi idem quod de hominum conſenſione dicendum arbitror, ſi enim ratione nitatur illius imperium, ei, non ſibi ſua omnis debetur autoritas. Si ſine ratione imperet, prorſus vana eſt omnis illius poteſtas, eamque non aliter metuunt homines, quam olim ani-

culæ

culæ *Minoem* & *Radamanthum*, quos à Poetis suis inexorabiles defunctorum judices esse audiverant. At quamobrem, inquies, in omni hominum genere eâ quasi pertinaciâ dominetur, ut nullâ vi, nullâ fraude, nullâ industriâ expugnari possit? Quoniam, inquam, clarissimis iisdem rationibus suffulcitur, quibus summum quendam omnium Judicem & Dominum esse demonstravimus. Conscientiæ enim vis nulla esse poterat, nisi prius Numen esse intelligatur, cùm ei solum opinioni innixa sit, ut omnium actionum Judicem credamus, qui si non sit, perit omnis Conscientiæ vis & potestas. Atque igitur eâ non comprobatur divini Numinis providentia, cùm hæc prius nota sit, antequam ulla illius facultas in nobis esse possit. At in scelestissimis, inquies, qui omnem Dei metum excusserunt, semper maximum imperium exercere perhibetur. Non excusserunt. Sed excussisse se aiunt. Sed simulant & mentiuntur. Quanquam enim à se impetrare possunt, ut an ullum existat Numen, dubitarent; tamen ut nullum esse fidenter credant, nunquam aut impetravere aut impetrabunt. Atque istâ solâ dubitandi ratione, ne fortè scelerum Judex & Vindex sit, illius metu, etiamsi nullus sit, nunquam se liberare possunt. Quandiu enim animi anxii sunt, sibique diffidentes, omni securitate orbantur; & quandiu in impietate suâ securi non sunt, eosdem cruciatus, quos si sit Numen Conscientia inferret, patiuntur. Cum denique vetus omnium gentium de Deo increbuerit opinio; cum eâ omnes à primâ adolescentiâ imbuamur; cùm nullâ certâ ratione, etiamsi ficta fuisset, everti possit, dicas quisquis es quî rebus sic se habentibus, illius metum, sive sit, sive non sit Numen, penitus debellare possimus. Verbo igitur ut dicam, nullam hîc moveo controversiam an antecepta sit Numinis informatio, an firma sit omnium de eodem consensio, an inexorabile sit in omnibus Conscientiæ Imperium. Nihil minus. Id enim unum laboro ne in disputando seorsim afferantur, sed cum res ipsa Rationis vi primum demonstratur, argumentum his postea amplificare & augere vellem, cùm efficient aut Anticipationem quandam à Naturâ impressam esse, aut tantam esse ipsius

rei evidentiam, ut si nobiscum nata fuisset illius Idea, certiorem de eâ fidem & scientiam nemo habere potuisset.

SECT. XIX. Huc usque quantum innata Summi Numinis Idea, valeat, quemadmodum ab aliis tractatur, expendimus; si vero, ut *Cartesio* tractare placuit, expendere velimus, disputationem in duas partes dispertiri oportet; primùm quandam in se Dei Ideam esse; deinde eam esse non posse, nisi ab ipso Deo proficiscatur. Túne verò illius Ideam in te habere jactitas? Nosti, quid sit Idea? Quas Latini rerum formas, Græci Ἰδέας vocant. Tu igitur quâ formâ, quâve specie sit immensa Numinis Majestas, intelligis? Si intelligere te ais, cur figurâ quâdam non descripseris, aut fando non explicaveris? *Dei Nomine*, inquis, *intelligo substantiam quandam infinitam, independentem, summè intelligentem, summè potentem, & à quâ tum Ego ipse, tum aliud omne, si quid aliud extat, quodcunque extat, est creatum.* Substantiam intelligimus & nos, quæ verò sit illius forma, species & figura, à te discere libenter vellemus; at tantum abest id doceas, ut quæ, aut qualis sit substantia, dicere non audeas. *Quandam* enim esse cautè an callidè, seu potius imprudenter dicis. Quid enim hoc est quam quæ fuerit, te omnino nescire? Dicas itaque corporea, an incorporea sit; si corporea; istuc unde clarè & distinctè noveris; si incorporea; istuc, quid sit, nobis clarè, & distinctè explices. Obscuræ, (mihi crede) & difficiles sunt primæ istæ rerum notiones. Et si experiare, nihil magis arduum invenies, quàm quo pacto res, quæ corpore vacua sit, à corporeâ mole distinguatur. Dicis *Mentem* esse, at quid sit Mentis substantia, non attingis; solùm enim *rem cogitantem* esse intelligis; at mentis vim & qualitatem, non substantiam assequeris, &, cùm cujusnam fuerit substantiæ, dixeris, priusquàm quicquam *Ideæ* attingas, de istius formâ quoque, quæ, aut qualis sit, dicendum est. Et si *Ideæ* vice, aliis vocibus, quæ idem significant uti velles, etiam Dei nullam habere te posse tu ipse videres. Putasne enim te illius simulacrum, exemplar, imaginem mente depictam habere?

Med. tert.

habere? Si non putas, nihil aliud *Ideæ* voce intelligis; ſin putas, omnem ſimulacri iſtius delineationem, quam intus habes, nobis quoque externâ deſcriptione exhibere potes; ut quidem nunquam Dei Ideam tibi ineſſe perſuaſeris, donec iſtius picturam, & delineationem nobis deſcripſeris; quod cùm omnino fieri nequeat, planè ſequitur, nullam eſſe iſtiuſmodi Ideam. Potiſſimùm, cùm Philoſophi quidam ſint, iique non indocti, qui quicquam, præter *Phantaſmata*, menti advenire inficiantur, atque hinc factum ut in ſurdo nato nulla ſit vocis Idea, neque in cœco lucis, quòd primi occludantur aditus, per quos illarum Phantaſmata ad Phantaſiam pervenirent. Si autem nullas Ideas habeamus, niſi quæ extrorſum advenére, nihil aliud ſunt omnes, niſi Imaginationis Phantaſmata. Quanquam enim diſtinctas Intellectus facultates eſſe conceſſerint, non tamen diſtinctas *Ideas*; Sed cum mens ipſa quicquam percipit, aut de quopiam dijudicat, illius non novam, & diſtinctam Ideam effingit, ſed ſolam Ideam in imaginatione depictam intuetur. Nullius itaque ſubſtantiæ Idea intellectui obverſatur, niſi quæ prius Phantaſiam afficiat, quam cum Natura divina movere nequeat, nulla illius *Idea* in nobis eſſe poteſt. An ergo Deum eſſe non percipimus? Immò quidem ratione, non *Ideâ*. Quanquam enim quendam eſſe ſummæ cum potentiæ tum ſapientiæ novimus, quæ tamen ſit illius eſſentia omnem captum humanum non modo ſuperat, ſed & prorſus fugit. Cùm ejuſmodi ſit naturæ, ut menti, quamdiu carne immerſa ſit, obverſari nequeat; Et quidem multum intereſt illius Exiſtentiam, an Ideam intelligamus; in exiſtentiæ enim notitiam, rerum omnium pulchritudine ducimur; Ideam verò quî aſſequi poſſimus non intelligo, niſi ipſe ſe coram ſiſtat; atque quaſi videndum & palpandum ſe exhibeat, cùm nullæ ſubſtantiarum Imagines ad mentem, niſi per ſenſus, advenire poſſint. At, inquies, cùm mentem primum creaverit; ſcilicet cum adhuc pura, & ab omni materia defæcata fuiſſet, ſui Ideam inſculpſiſſe poterat. Quid autem potuit non pugno, ſed quid reipsâ fecit. Et ſi tibi impreſſam eſſe putes, oculos intùs vertas, & imaginem, quam clarè depictam ipſe

intueris, nobis quoque depingas. Quid vides? *Substantiam quandam.* Nego autem te quamvis substantiam à te ipso diversam in te habere, atque id mihi ut demonstres, postulo. Quid, an demonstrationes, quæ rem clariùs, quam solem lucere concluserint, tandem soli tuæ fiduciæ Auctoritati innitantur? At enim *quod ab alterius cogitatione tantùm pendet non potes ipsi oscitanti obtrudere.* Bonâ fide! eóne delapsa est omnis disputatio, ut vincat, qui maximâ audaciâ asseveraverit? Tu claram in te Substantiæ cujusdam Ideam intueris; Ego in me nullam. Tu itaque mihi oscitantiam exprobrare: Ego de nimio tuo acumine conqueri. At liberaliùs tecum agam, quanquam enim non potes meam oscitanti obtrudere, tamen potes tuæ exemplar mihi exhibendo oscitantiam aut exprobrare, aut excutere. Age igitur, speculum adhibeas, quid vides? *substantiam quandam infinitam, independentem, summè intelligentem, summè potentem,* &c. Isthæc omnia an videas, posthac videbimus, nunc autem de substantiâ videamus: Quam vides? *Quandam.* At si quandam videres, quænam sit, posses dicere, quod cum non possis, nihil vides, sed fingis, & somnias. Miror quâ fronte vir indole non immodestus Ideas suas tanto strepitu tantaque animi elatione universo Terrarum Orbi imposuerit, & si quis eas se non statim cernere fassus sit, eum communi humanitate lapsum ab hominum cœtu, ad belluarum greges & pascua miserit, & denique in viros doctissimos, quibus antea Amicitiæ jus detulerat; cum ingenuè, & amicè contra disputaverint, planè exarserit, responsa dura, & pene convitia retulerit. Et tamen, quid sit *Idea*, sæpius lacessitus nunquam dicere, aut quæ, & quales suæ sunt, nunquam quavis descriptione explicare vellet.

Sect. XX. Cùm autem nullam (quantum intelligis) divinæ substantiæ Ideam habueris, quæ, quæso, est, quam de illius *perfectionibus* habere te dicis? Primùm esse infinitam. Túne verò infiniti Ideam cognitam, & comprehensam habes? Nimium tibi assentaris: Quanta enim cunque *Mens* sis, finita es. Dic ergo, quî finitæ facultatis modulo infinitum comprehendas? Si non comprehendis,

hendis, finita est, quamcunque habes Ideam; & si finita ipsa sit, finitum est, quodcunque repræsentat. At dicis *non obstare quòd non apprehendas infinitum, aut omnia, quæ in illo sunt, sed sufficere, ut pauca quædam intelligas, quo veram & maximè claram distinctamque Ideam habere dicaris.* Itane? *Infiniti* igitur Ideam non habes, sed solum finiti, cum, si non omnia, quæ in infinito sunt, partem tantum infiniti apprehendis; at infiniti pars non est ipsum totum infinitum. Distinguis igitur *inter rationem formalem infiniti, sive infinitatem & rem, quæ est infinita; nam quantum ad infinitatem, etiamsi illam intelligamus esse quàm maximè positivam, non tamen nisi negativo quodammodo intelligimus, ex hoc scilicet, quòd in re nullam limitationem advertamus, ipsam vero rem, quæ est infinita, positivè quidem intelligimus, sed non adæquatè, hoc est, non totum id, quod in eâ intelligibile est, comprehendimus, sed quemadmodum in mare oculos convertentes, etsi non totum visu attingamus, nec immensam ejus vastitatem metiamur, dicimur tamen illud videre.* At quantumcunque distinxeris, nihil proficies, nisi quod id ipsum distinctionibus tollas, quod antea argumentis posueras: ut cum priùs Deum infinitum esse, quod de eo infinitam Ideam haberes, concluseris, te nunc excusatum putas, quòd omnem infiniti Ideam finitam esse inquias; & tamen quanquam istâ tuâ excusatione præmissas sustuleris, à conclusione dimoveri nolis. Si vero finita sit Dei Idea, infinitam causam non exigit, & si non exigat, finitâ produci potuit; & si potuerit, ruit tota demonstratio, quæ huic soli principio innititur, infinitæ Ideæ infinitam causam esse oportere, quòd *tantundem ad minimum* esse debeat *realitatis formalis* in causâ, quantum reperitur *objectivæ* in Ideâ, atque idcirco cum Ideæ *objectiva* infinita sit, causæ quoque, quæ eam produxit, infinitam *formalem* inesse.

Resp. ad prim. Obj.

Quamobrem verò inter rem infinitam, & ipsam infinitatem distinxeris; cum si rem clarè, & distinctè cernas, quod in eâ præcipuum est, ipsam scilicet infinitatem cernere oportebit? Aliôqui quodcunque vides finitum erit. Cumque mones (etiam si nihil demonstrant monita) *positivam* esse rei infinitæ Ideam, Infinitatis *negativam*; quid

agis, nisi quod fatearis rei, quæ reipsa fortè infinita est, solum finitam Ideam te assequi? Cùm itaque tuo sensu infinitam esse dicis, te nihil intelligere fateris, quid enim aliud est negativa Idea, quam Ignorantiæ confessio? Si enim positiva Idea, id, quod in re ipsâ esse tu ipse noris, repræsentat; negativa, quam eidem opponi velis, nihil, quod noris, repræsentare potest; & si non noveris, nullam illius habere potes Ideam; & si nullam habes, nihil est. Quam denique affers similitudinis rationem, cùm scilicet, *in mare oculos convertimus, & si non totum visu attingamus, nec immensam ejus vastitatem metiamur, dicimur tamen illud videre:* Nonne vides contra te valere, cum quicquid videre dicamur, non tamen totum videamus? Sed aliquousque intenditur oculorum acies, & nihil ulterius intuentur. Ita cùm Deum infinitum intelligere dicimur, aliquousque inttelligendo progredimur, at quicquid reverà intelligimus, finitum est, & cum illius perfectionem latius patêre intelligamus, quàm ut, ullâ intellectûs acie assequi possimus, infinitam esse dicimus, quòd quanquam conceptûs nostri, nullum tamen illius finem agnoscamus. Cùm itaque perfectiones divinas infinitas esse dicis, tantas solùm esse dicis, quantas tu ipse concipis, & infinitis intervallis ampliores, cujusmodi demum Idea, cùm finita sit, cur, quæso, neges, quantumcunque *realitatis* Ideis tuis tribuas, quin ab ipsâ Mente proficiscatur? Cùm sanè cuivis liceat perfectissimam, quam pro suis viribus possit fabricare Ideam, & cum longius progredi se non posse sentiat; exclamare infinities perfectiorem esse, & fabricari posse, quanquam ipse præ captûs angustiâ non possit omnem illius amplitudinem complecti. An igitur, inquies, nullum habemus Infiniti conceptum? Habemus sanè, atqui eo modo, quo dixi, non quod absolutam, & infinitam illius Ideam habeamus sed solùm quòd tale quidpiam esse, qualecunque fuerit, ratione concludamus. De cæteris Ideæ divinæ perfectionibus, quas deinceps accumulas, nihil necesse est dicere, cùm infinitæ sint omnes, & infinitas esse ipse fatearis, si itaque nullam infiniti Ideam attingimus, cujuslibet istarum nullam attingemus. Nisi quod obiter insinuare operæ pretium

prætium videatur, è primâ tuâ veri, & certi inveniendi regulâ Deum esse probari non posse, nihil scilicet verum, & certum haberi oportere, nisi quod clarè, & distinctè percipiatur. Cùm igitur clarum, & distinctum Divinæ Ideæ conceptum consequi non possimus, quid, sequitur, ipse videas. At rursum, inquis, distinguo, clarè, & distinctè, etiamsi non adæquatè percipimus. At rursus, inquam, verbis, ut semper, ludis. Si enim non adæquatè, neque clarè, & distinctè; omnis enim imperfecta cognitio (qualis est inadæquata) pro suo imperfectionis gradu, obscura, & confusa est. Cùm itaque tam longè absit adæquatam, ut tu vocas, sive ut Ego, claram, & distinctam Dei Ideam habeamus, tuis principiis, utcunque distinxeris, confecta res est, & tollitur omnis illius existentiæ certitudo.

SECT. XXI. At quid quæso est ista Realitas tua objectiva, quam ubique tanto strepitu evehis, & miraris? Est *ipsa res cogitata* (inquis) *quatenus est objectivè in intellectu.* Præclarè! at quid est esse objectivè in intellectu? *Esse in Intellectu eo modo quo Objecta esse solent.* Quam diffugiunt tenebræ! quamque perspicua fiunt omnia! Quis responsum clarius ex ipso *Sibyllæ* antro expectaret, quam objecta in intellectu eo modo esse, quo esse solent, hoc est, in intellectu eo modo esse solere, quo esse solent. At sic in justam fastidii pœnam nugari solent, qui quanquam ingenti hiatu nugas ridiculas parturire se viderint, magnum tamen aliquid se peperisse clamant. Vidit Cartesius *realitatem objectivam*, nomen inane esse, tamen quòd magnum aliquod de eâdem promiserat, etiam convictus, ne ipse *mens* non foret, fateri noluit, cùm ad nauseam usque interrogatus tam frigido responso quicquam aut sibi, aut aliis satis factum esse putaret. Sint verò in mente tuâ Ideæ, suamque realitatem objectivam habeant: Quid autem rei est ista realitas, an res ipsâ in te procreata? si non sit, nullam istius rei realitatem, habere potes. Si sit, Dei Idea Deus alter erit, ut enim Deus *formalis* est, qui extra te, ita *objectivus*, qui in te existit. Cùm Divinæ Naturæ realitatem in se contineat, at

at ubicunque ſit ipſa Dei realitas, ipſa proculdubio res eſt, quæ Deus appellatur. Quo tandem pacto tot fierent Numina, quot homines, cùm nemo ſit, qui realitatem Dei objectivam in ſe non habeat, quæ, ſi quid reale ſit, res eſt, ſi res ſit, Deus eſt, niſi à ſuâ realitate, hoc eſt, à ſe ipſe diſtinguatur. Quid igitur? an nulla nullius rei eſſe poſſit Realitas objectiva? Omnino nulla, non enim plures unâ ſunt cujuſque rei realitates, ſed ſua quæque realitas eſt, & ſi plures haberet non una res, ſed plures foret. Si quid itaque fortè ſit objectivè in Intellectu, non eſt ipſa res, ſed rei conceptio, quæ nihil magis reale eſt, quàm Intellectus actio; ut eſſe objectivè in Intellectu, nihil aliud ſit, quam eſſe Intellectionis objectum, quod nullam aliam cauſam exigit, quàm ut Intellectus ſuam cogitandi facultatem exerat; cùm enim de quâvis re meditari velit, fit res ipſa abſque quâvis novæ realitatis productione ejus meditationis objectum. At nondum Carteſii faſtus flecti poteſt, ſed vult, quicquid obnitimur, aliquid reale naſci. *Exempli gratiâ*, inquit, *ſi de Ideâ Solis quæratur, quid ſit? & reſpondeatur, illam eſſe rem cogitatam, quatenus eſt objectivè in Intellectu, nemo intelliget illam eſſe ipſum Solem, quatenus in eo extrinſeca iſta denominatio eſt.* Neque ibi objectivè eſſe in intellectu, *ſignificabit ejus operationem per modum objecti terminare, ſed in Intellectu*, eo modo eſſe, quo ſolent ejus objecta, *adeo ut Idea Solis ſit Sol ipſe in Intellectu exiſtens.* Utinam foret, ut tenebras, quas tibi ipſe offundis, diſcuteret. An vero te Solem ipſum in te habere putas? Habeo, inquis, objectivum, non formalem. Atqui Sol *objectivus* Sol realis eſt, & ſi ſit, quamobrem minus in te, quàm in cœlo luceat! At inquis, Solis formalis munus eſt lucere, non objectivi. Nego; omnis Sol lucet, & ſi non luceat *objectivus*, Sol non eſt. Si igitur ipſum Solem in intellectu tuo haberes (ut habere te ais) certè niſi craſſiſſimis tenebris obducatur, luceret; cùm itaque non luceat, non habes. Si autem tu ipſe diceres quid *objectivè* in Intellectu eſſe ſignificet, niſi ejus operationem per *modum Objecti terminare*, non modo ipſum Solem in te habere, ſed te ipſum Phœbum eſſe concederem.

Reſp. ad prim. Obj.

At

At cùm è Tripode loqui pollicearis, oracula fundis; cumque certissima responsa, quæ suâ perspicuitate omnium assensum extorqueant, expectaverimus; verba ambigua solâ vatis auctoritate, credenda accipimus. Vos, inquis, Philosophi è Terrâ sati, Solem, & Lunam esse, vosque corpora habere putatis, atque crassâ illorum contemplatione Deum quendam esse, qui omnia admirabili sapientiâ composuit, concluditis. At terrena sunt ista omnia, & quantum vos assequi possitis incerta & fortè falsa. Universum ergo tollite, cùm quicquid materiale sit, suâ crassitie ipsam veritatis viam obstruat, atque rem ab altiori exordio ducamus. En itaque Mens cœlo delapsa, quàm clarè, istis sublatis, omnia demonstravero! Cùm primùm quisque se esse certò sciat, tum deinde rei cujusdam summè perfectæ, vel saltem se perfectioris Ideam habere, sequitur rem quandam esse, quæ tantum *realitatis formalis* in se habeat, quantum *objectivæ* habet Idea. Quod totum tibi, *Mens cœlestis*, non negaverim, nisi quod unus hæreret scrupulus, *realitatem* scilicet, quam vocas *objectivam*, nihil esse reale, sed solam denominationem (quam vocant) extrinsecam, quatenus operationem intellectûs per modum objecti terminat. Quid autem hæres? inquis, *cùm objectivè in intellectu esse ejus operationem per modum objecti terminare nemo intelligat, sed in intellectu eo modo esse, quo solent ejus objecta, adeo ut Idea Solis sit Sol ipsè in intellectu existens.* Atqui istuc quid si non intelligamus? Ne dicatis, inquis, ne nihil intelligere vos fateamini, cùm nemo, qui quicquam intelligit, intelligat objectivè in Intellectu esse, illius operationem per modum objecti terminare, sed ipsam rem in intellectu esse. Mathematica demonstratio! & talis quidem, ut nulla via humano ingenio pateat, per quam melior inveniri unquam possit! An verò non melius ab admirabili naturæ structurâ quendam fuisse illius opificem conclusisses, quàm ut illius existentia tam tenui filo penderet, ut, si esse objectivè in Intellectu sit quid reale, idque tantæ perfectionis, ut nihil, quod non ipsum infinitum est, efficere possit, ipse sit; si verò sit sola *denominatio extrinseca*, ipse non sit? Quod autem ut explices, cùm millies lacessitus irritari nunquam potueris, omnia ut invene-

ras, reliquisti, atque iterum eâ divinæ existentiæ certitudine, quam à Sole, Lunâ, Terrâ, cæterisque illius operibus habere possumus, contenti simus humile mortalium genus. Tu verò si sectam affectaveris, cœlum redeas, ubi fortasse tuam denominationum extrinsecarum Philosophiam acriùs intelligunt; Nos autem Terræ filii, ea est indolis nostræ hebetudo, tam subtiliter philosophando nos non esse fatemur.

SECT. XXII. Tanta verò sit realitas tua objectiva, quantam esse velis; an tamen formalem ejusdem rei realitatem naturæ perfectione æquare censes? Si æqualis sit utriusque conditio, plura denuò fiunt Deorum Numina, cum res diversæ sint, extra Intellectum una, intùs altera, quæ, infinitâ Naturæ perfectione, cæteris omnibus antecellunt; at quicquid perfectione infinitum est, Deus est. Si vero realitas objectiva à summâ perfectione quoquo modo deficiat, infinita non est: si ergo finita, causam infinitam non exigit, & si non exigat, à causâ, quæ quoque ipsa finita sit, proficisci potuit. Usque adeo si magnum hunc Philosophum paululum venari lubeat; lepusculi ad instar, quovis fere momento in vias oppositas se dare, sibique millies contravenire cogitur. Ab his enim carceribus totius disputationis cursum inchoat, tantundem ad minimum esse *realitatis formalis* in causâ, quantùm est *objectivæ* in effectu, ergo cum infinita sit objectivæ realitatis perfectio, infinita erit quoque formalis. Atque sic ad calcem subito pervenimus; sin, ut pergat, urgeamus, cursum statim revocat, atque sibi directo gradu contrà occurrit. Cùm enim non ausit suam Dei Ideam ipsi Deo æquare, ne plura Numina esse fateri cogatur; talia objicienti in os sibi contradicens respondet: *Quanquam modus essendi objectivus longe imperfectior sit, quam ille, quo res extra intellectum existunt, non idcirco planè nihil esse.* Si verò longè imperfectior sit, tantundem realitatis formalis in suâ causâ non exigit, quantum objectivæ in se habet: cùm isto pacto longè imperfectiore realitate formali æquari aut superari possit, adeo ut eam ipsa, quanquam infinita non sit, efficere valeat. Quo demum fit, ut nisi *modum essendi objectivum* formali omnino æqualem esse dicat, se, suamque demon-

Resp. ad Object. primar.

demonstrandi viam planè prodat; sin dicat, quid planè sequitur, jam ante diximus. *Quanquam verò longè imperfectior sit, non tamen idcirco nihil est.* Quàm autem pudet post tantum Thrasonismum, in tam abjectam pusillanimitatem incidisse! Cùm enim primo ingressu tanta de realitate tuâ objectivâ jactaveras, ut nullâ causâ, nisi quæ ipsa omnipotens fuerit, produci possit; nunc demisso vultu, & stomacho, saltem ut nihil non sit demum, imploras. Euge ergo, bono sis animo, nihil non sit; quid inde, an quòd quoque nihil mus non sit semper sit montibus parturiendum? Cùm itaque res tam exiles sint Ideæ, ut nihil tantum non sint, non opus est, ut aut ad graviditatem *Jovis*, aut ad partum *Lucinæ* opem invoces, cùm tam exilia non duriori enixu quàm sponte orta nascantur. Ne verò parcè agam, grandes fuerint, ut vis, tui Idearum fœtus, &, si velis, Balænis grandiores, dicam tamen, quî mens ipsa sponte effuderit, scilicet à quibus primordiis exorsa sit, quos progressus faciat, & quo demum apparatu, quibusque gradibus perficiat. Cùm itaque Mentem tuam, pro Archimedis puncto, sumpseris, quidni etiam pro *saliente* sumas? primum enim quod post longam meditandi incubationem cernimus prolis vestigium est, te esse: Quo dato, ea est vis mentis prolifica, ut ei si incubare perseveret, in quantamcunque magnitudinem id ampliare possit. Cùm enim substantiam quandam esse te deprehendas, quâdam Naturæ perfectione præditam, quodammodo stabilem, aliquandiu duraturam, quædam intelligentem, atque efficere potentem; harum omnium perfectionum meditationi si diu incubueris, sex dierum spatio, aut saltem quanto ovis Gallinæ incubant, substantiæ infinitæ, æternæ, independentis, omnisciæ, omnipotentis, Ideam facilè conficias. Cùm enim tuæ Naturæ perfectioni, quousque potes, alios, aliosque perfectionis gradus accumulaveris, rei, quam concipis, Ideam, infinitam appellas, solummodo quòd nullum meditandi finem invenias; atque istæc unica infinitatis Idea est, quòd quantumcunque adauxeris, semper tamen deficias, atque aliquid ultra quam quod tu cogitare potes, addi posse fatearis. Quod quæso, Deus sit, an non sit, quis quantumcunque

te hebetior fateri non valeat? Cùm deinde æternam dicis durationem, eam, quæ nunquam exorsa, aut desitura est, animo comprehensam non habes, sed solum agnoscis quotcunque annorum millia tecum cogitaveris, durationis neque initium, neque finem cogitare te posse, atque isthæc tua Æternitatis Idea est. Cur verò, etiamsi viginti tantum annos vixeris, his non adjicias viginti alios, dum centenis numeres, iisque alios dum millenis, aliosque dum tandem te numeri deficiant, quod cum feceris Æternitatis Ideam exclusisti. Quod idem de omniscientiâ, omnipotentiâ, aliisque quibuscunque perfectionibus, quas tuæ Numinis Ideæ tribuis, dicendum est. Planè itaque vides quibus gradibus à puncto tuo sive *Archimedeo*, sive *saliente*, summi Dei Ideam attigeris, etiamsi ipse neque sit, neque eam genuerit. Quanquam ne nimium tibi assenteris, te tam prolixâ, & profundâ meditatione Dei Ideam, quam tuam esse jactitas, ex imis tuis ipsius visceribus effodisse; Id quoque nego, eam enim diu ante te natum viri docti expolivére, & ab iis nomina, quibus usi sunt, ipse accepisti; quid autem rei significent, an intellexeris, nimiam suspicionis causam dedisti, cùm ea nunquam explicare conatus sis, neque ut coneris, quâvis importunitate induci velis. Eo quidem ingenii acumine præstitisse te novi, ut cuicunque animum seriò applicueris, in illius naturam tantum, quantum fortasse quispiam alius, penetrare posses: cùm itaque in solo rerum, ne dicam, Verborum cortice hæseris, vereor, ne temerè, & levi nimis meditatione, de rebus non satis intellectis, nimium fidenter pronunciaveris. Ut ut verò fuerit, quicquid de Deo intelligendum est, id satis, supérque tibi demonstravi, quî aut ab aliis discendo, aut propriam naturam contemplando, absque quovis Numinis afflatu illius Ideam fabricari potueris: & si possis, quid de tuâ tam jactatâ, & plusquam mathematicâ demonstratione fiat, rursum tu ipse videas.

SECT. XXIII. Verùm ut per omnes, in quos correpis, cuniculos sequar, si tanta res sit realitas tua objectiva, ut Sol ipse, quoties de eo cogitas, mente tuâ splendescat. Quid rei sit, dicas. An substantia? atqui id

te prius inficiatum esse audivimus. An substantiæ modus? id quoque negas. At si neutrum sit, tenuissimum, & admodum exiguum quiddam esse necesse est. Quid ergo? an Mentis actio? neque istæc quidem. Jamdudum ad nihilum pene devenimus. Si autem neque substantia, neque illius aut modus, aut actio sit; miror grande istuc quid tandem esse possit. Ne itaque rumpamur, Oraculum edas. Auscultate ergo? responsa dat Apollinis Sacerdos. *Est mentis operationis modus*. Deum Immortalem! tamdiu tam tenui umbrâ laboravimus! Quid enim in omni rerum Naturâ *operationis modo* vilius, quid abjectius, quid omni essentiæ dignitati alienius! Quàm stupet mihi animus, immò quàm pudet hoc cum confitentem audierim! ad rei tam imbellis, tamque evanidæ partum, summi Numinis Majestatem in scenam, & quidem Gynæceum deduxisse.

Quanquam, ni res nimis seria foret, quantos cuiquam risus moveret, cùm Philosophum audiat omni mortalium generi concionantem, iis clariorem de Deo notitiam, quàm qui ipsam divinam Majestatem in cœlis intuentur se esse impertiturum; atque in rei apparatum Universi fabricam, ne visum impediat, tolli jubere, ut istâ sublatâ, majus aliquod, quodque ad Naturam divinam proximè accedat, ipse tandem in medium proferret? Extincto itaque sole, aliisque impedimentis omnibus amotis, quid tandem rei in lucem protulit, quæ tantâ prærogativâ gaudeat, ut se solam Dei præ aliis omnibus sobolem glorietur? En igitur, qui ingenti passu, præstigiatoris ad instar, prodeat vir gravis, hyemali scilicet togâ indutus! Apertis itaque acetabulis, quid tandem emittit? Nil, nisi *modum*, eumque tenuissimum. *Modum* autem, qualiscunque fuerit, si ab ipso Deo fiat suspicimus, & veneramur. At tuus qualis est? si non ab ipso Deo, inquis, saltem à purâ mente proficiscitur. Id quoque esto. An verò Mentis modus est? Id quidem vellem, inquis, at si non sit, est saltem illius operationis modus. Bellè quidem! an non mens ipsa plus perfectionis, quàm suæ operationes, habet; suæque operationes, quàm earum modi? Quidni ergo suis viribus producat? & si producere valeat, quid

ſodes opus eſt, cœlo Deum evocare? An nondum vides quantùm tibi ſubtilitate tuâ illuſeris? Nondum inquis; diſtingui enim oportet in omni Ideâ *eſſe proprium, ſeu formale ab eſſe vicario, ſeu objectivo; nempe quatenus ideæ iſtæ tantum cogitandi quidam modi ſunt, inter ipſas nullam inæqualitatem agnoſco, ſed quatenus una unam rem, alia aliam repræſentat, eaſdem ab invicem valdè diverſas eſſe patet, diverſaſque, pro diversâ objectorum perfectione, perfectiones obtinere; atque adeo ſecundùm eſſe formale, ab intellectu, at ſecundùm eſſe objectivum, à ſolo Deo fieri potuerunt.* Rurſum itaque experiamur. Dicas ergo, an reipſa diſcrepant? Non, inquis: bene ergo ſe res habet. Quidni enim ipſa cauſa, quæ formalem producere valet, valeat & objectivam? Quo jam te vertes? ſi enim ipſius Ideæ realitas formalis à ſolâ intellectrice mentis facultate proveniat, Mens cum fueris acutiſſima, diſtinguas, quî quoquo modo objectiva, ſi (ut ipſa definiveris) eadem fuerit, ab eadem provenire non poſſit.

Quid itaque eſt, inquis, (quæ extrema luctatio eſt) quod efficiat hanc Ideam hoc objectum potiuſquàm quodvis aliud repræſentare? Quanquam futilis, & importuna ſit quæſtio, nullamque aliam reſponſionem mereatur, quàm ut ipſe viciſſim te interrogem, cur triangulus è tribus angulis, & quadratum è quatuor conſtet? cur bis ter ſex efficiant, cur ligo ligo ſit, & denique Davus Davus, non Oedipus. Dicam tamen, ne poſt tantam liberalitatem, quâ tecum ubique egimus, in ipſo exitu de parſimoniâ queraris, id eâdem causâ proficiſci, quâ de hoc potiuſquàm alio quovis objecto cogitare velis, cùm de Deo meditari placet, Dei Ideam, cùm de Sole, Solis, cùm de Triangulo, Trianguli, cùm de Davo, Davi: cùm de aliâ quâcunque re, illius, inquam, Ideam efficis. Si enim penes Mentis imperium ſit, quales vult, actiones elicere, cur non etiam & ſuarum actionum modos? Cùm nihil aliud ſit, quàm de re quâque ſuo modo cogitare. Niſi velis, cùm de machinâ quâvis, ſi placet, ipſe cogitaveris, ipſam Machinam ſui Ideam, ut Deum ſui in te transfudiſſe. Adeo ut ſi novum fortè Horologii artificium inveneris, id ab ipſo Horologio acceptum eſſe velles: Si

velles,

velles, quî se in te efficere posset neque intelligere, neque dicere posses; aut si Argumenti tuendi causâ dicere conatus fueris, ipsam tamen Machinam non crederes tantâ Mechanicæ scientiâ præditam esse, ut fabrum te esse & fabrilia tractare doceat.

SECT. XXIV. Everso autem primo isto Cartesii sophismate, quo ab *objectiva* Idearum *realitate* existere res quoque ipsas conclusit, atque unà cum eo cæteris omnibus quæ quatuor primis diebus perfecit: Quæ scilicet de dubitandi principiis, de Mentis propriæ existentiâ, de veri falsique notis, de rerum denique materialium demonstratione disputavit. Alterum jam superest subtilius quid ejusdem Sophisma, quod quinto deinceps die excogitavit (non enim plus temporis in Dei quam ipse Deus in Mundi fabricationem insumpsit.) Sic igitur die quinto meditatur: Per Ideam Dei clarè, & distinctè intelligo *Ens summè perfectum*, quod autem summè perfectum est, non potest nisi omnes perfectiones in se habere, alioqui, si quæ deesse possint, summè perfectum non foret, propterea cum Existentia sit perfectio, eam Deo convenire necesse est, alioqui non esset id, quod est, sive Ens summè perfectum; atque adeo ab essentiâ Dei non magis separari potest existentia, quàm ab essentiâ trianguli tres anguli, cùm non minùs clarè, & distinctè intelligo ad Essentiam Dei summè perfecti attinere Existentiam, quam ad Essentiam Trianguli, tres Angulos. Hactenus ille. Et quidem si res finitas gradum quendam, & aditum ad perfectiones infinitas posuerat, me aversum, aut reclamantem non habuisset, cùm istâ viâ facilè ab imo ad summum perfectionis gradum pervenire possimus: Sume enim rem quamlibet, quæ facta sit, unde interrogo, an à se? Atqui ita fuisset, antequam esset; An ab alio? Istuc igitur aut factum, aut infectum; si prius, idem rogo; si posterius, rem summè perfectam attigi. Cùm enim illius Existentia à nullâ causâ, quæ extra se sit, pendeat, solâ perfectissimæ suæ Naturæ vi, & ratione existit. Si verò sui ipsius perfectio in se existendi necessitatem contineat; si deinde nihil sit, quod certum perfectionis gradum definiat, quemadmodum rebus

bus factis certi perfectionis termini à causis suis circumscribuntur; si autem neque à se, neque ab alio quovis terminari posset, non, inquam, ab alio, cùm nullam extra se causam habeat, non à se, quod, velit nolit, solâ suæ perfectionis ratione existat, summam, immensam, & interminatam esse necesse est. Adeo ut, quanquam subtile videatur, si tamen ritè attendamus, necessitatem existendi à summâ perfectione non modo inseparabilem esse, sed unam, eandemque cum eâ notionem habere intelligemus. Cùm nulla alia intelligi possit existendi necessitatis causa, nisi summa Naturæ Perfectio; cúmque vicissim ubi sit existendi necessitas, nihil est, quod Naturæ perfectionem quibusvis terminis definire posset. Atque hâc quidem notione Deus se solum, cùm sibi *Jehovæ* nonem imposuerit, descripsisse visus est; quo nomine, nihil aliud significari voluit, quàm, cùm cæteri omnes, qui vulgò Dii habeantur, facti fuerint, se solum eum esse, qui à se solo summam, & immutabilem vitæ stabilitatem habuerit, hoc est reverâ summum esse Deum. Si itaque Philosophus ab his initiis profectus per hos gradus ad summum pervenerat, ut quod res factæ sint Deum esse qui ipse infectus sit, & si infectus, summè perfectum esse concluserat, eum à progressu arcere nollem, quanquam eandem viam ipse non inirem; quòd adeo subtiles sint præcisæ, & comminutæ istæ rerum notiones, ut pauci admodum eo sint acumine, qui eas planè intelligant. Cùm verò Philosophus viam contrariam ingressus fuerit, ut à solâ summæ perfectionis ratione ad realem Dei existentiam perveniret, neque initium, neque exitum invenit; sed antrorsum, retrorsum se versans, tandem ipsa sophismatis subtilitate se ipse perdidit.

Multum gloriatur *viam parum tritam ab usu communi sequendo*, se primum in hanc demonstrationem incidisse. Atque id quidem est, quod ubique summo studio affectaverit, ut à viâ hominum communi, in sua diverticula declinaret, quo, dum compendium facere arbitratus est, ubique in scopulos, & præcipitia se dedit. Tu verò primus inveneris! facetè, lepidè, lautè, nihil supra! tuúmne, obsecro te, hoc dictum erat? vetu' credidi. Olim infimâ

simâ Philosophorum plebe tritam, & quidem vexatam esse vidimus, quanquam tam salebrosam experti sunt, ut ipsi *Scholastici*, qui salebras non parum amant, penitus deseruerint. Quod si nesciveris, en quid immanissimâ Europæ barbarie, de viâ à te inventâ, huc illuc disputatum est. Librum edidit *Anselmus* contra *Insipientem*, qui corde suo Deum non esse dixit, quem eadem viâ, quâ Tu, adortus est. *Deus* (inquiens) *est id, quo majus cogitari non potest*, (hoc est, summè Perfectum) *quod qui benè intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut ne cogitatione queat non esse. Qui vero intelligit sic esse Deum, nequit eum non esse cogitare.* Cui continuò vir quidam doctus, & acutus respondit, edito libro, cui titulum fecerat. *Responsio pro Insipiente*, quo nescire se conclusit; *an Insipientior sit, qui putat hoc sequi, an Insipiens, qui dixit in corde suo, non est Deus?* Quem, præter *Gersonium*, aliosque, ut ea ferebant tempora, eruditos plerunque secuti sunt Scholastici. Quid autem de aliis dicam, cùm *Thomas Aquinas*, ad quem alii omnes primas detulerunt, auctoritate suâ Sophisma abdicaverit? Sic ergo ille, *Intellecto, quid significet hoc nomen Deus, statim habetur, quòd Deus est, significatur enim hoc nomine id, quo majus significari non potest. Majus autem est, quod est in re, & in Intellectu, quam quod est in intellectu tantùm; unde cum intellecto hoc nomine, Deus sit statim in Intellectu, sequitur etiam, quòd sit in re.*

Garthus. in Elem. philos. propos. 79.

Summ. part. prim. Qu. 2. Art. 1.

Cujus sophismatis nodum quanquam primo ictu non penitus disruperit, Dei nomine rem summè perfectam non necessariò intelligi respondens, cùm Deum posuerint Ethnici summæ perfectionis expertem, quatenus alii solem, alii cœlum, alii mundum, alii humanâ formâ esse existimaverint. Quâ, inquam, Responsione argumentum non sustulit, sed elusit; cùm Deum esse summè perfectum id non sumat, sed si quippiam summè perfectum sit, Deum esse concludat; quod scilicet summè perfectum nullâ perfectione careat, quicquid autem non existit caret aliquâ, summè ergo perfectum, vi suæ notionis existat necesse est. Proximâ tamen responsione rem planè expedi-

re visus est. *Dato* inquiens, *quod quilibet intelligat* hoc nomine Deus, quo majus cogitari non potest (*i. e.* summè perfectum) *non tamen propter hoc sequitur, quòd intelligat id, quod significatur per nomen Dei, esse in rerum Naturâ, sed in apprehensione Intellectûs tantum. Nec potest argui, quòd sit in re, nisi daretur, quod sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest: quod non est datum à ponentibus Deum non esse.* Nihil itaque majus concluditur, quàm rei summè perfectæ Ideam cogitari non posse, quin istâ cogitatione existentiæ quoque Idea intelligatur; an verò ista notio re, an solâ cogitatione existat, nihil concluditur: Notio enim rei, quæ ab existentiæ notione separari nequit, nullo modo ejusdem existentiam actualem infert, sed solum de eâ, absque existentiæ notione, cogitandum non esse. Et quidem si solos Grammaticos adeas, ab iis discas, eum duntaxat esse nominum usum, ut solas rerum notiones significent, nihil autem asserant; id scilicet Verborum munus esse, ut quippiam in Rerum Naturâ esse aiant, aut negent; quæ itaque si absint nihil aut ponitur, aut tollitur, adeo ut rei summè perfectæ nomine sola illius notio ponatur: an verò quod istâ notione significatur, reipsa sit, an non sit, nisi propositionem conficias, quâ rem summè perfectam esse dicas, nihil dicitur. Hoc autem qui dicit, Deum quidem esse dicit, at non probat; qui verò Deum esse negat, nunquam dicet. Quanquam autem præcipuus sophismatis nodus est, quod cum dicitur, res *summè perfecta* tectâ, & occultâ quâdam enunciatione *subjecto* copuletur *Attributum*, adeo ut *rei* summa perfectio non minus attribuatur, quam si apertè dicerem, esse rem summè perfectam, quatenus, suppressâ solum copulationis voce rei isti summa Perfectio tribuatur, secundum id, quod ut caveamus, monent Dialectici, *complexum subjectum cujusvis Propositionis semper esse assertionem hypotheticam.* Ut res necessaria necessariò existit, hoc est, si sit res necessaria; Chimæra existens existit, hoc est, si sit Chimæra existens; ita res summè perfecta, si quippiam tale sit, existit; atque adeo si rei cuilibet quodvis Attributum, quod

quod existentiæ notionem aut exprimit, aut includit adjunxeris, idem de eâdem pari jure concluseris. Ut si ipsi materiæ Attributum, *Necessaria*, aut à se existens, aut summè perfecta adjungas, an non statim sequitur ipsam materiam existere. Atqui ad materiæ Ideam Existendi necessitatem non pertinere inquis. An verò non ad Materiæ necessariò existentis Ideam? Ut enim tu summam Perfectionem Numinis, ita nos existendi necessitatem Materiæ Attributum effecimus, quod cum fiat, eâdem quâ tu viâ ad conclusionem ducit. Quid plura? cùm eâ unâ Quæstione omnis versetur controversia, an *sola Materia* in rerum Universitate existat, an unà cum eâ *divina Mens & Ratio?* Prius statuunt Athei, atque igitur ei cùm existendi Necessitatem, tum summam, quæ esse potest, perfectionem tribuendam esse arbitrantur. Neque enim naturalem aliam rei cujusvis perfectionem cogitari posse intelligunt præter solidam ipsius substantiæ molem; & si quas alias esse putamus, factitias esse omnes inquiunt, quæ Materiæ motu, situ, & ordine oriuntur & occidunt. Quid ergo? Num hos ipsâ materiâ quippiam Naturæ nobilitate perfectius daturos putas, quod tu scilicet tale quiddam cogitare possis. Primùm deliri & somniantis Chimæram esse aiunt, neque eam fingendi licentiam tibi concedent, nihil enim in rerum Naturâ esse volunt nisi cujus existentiam sensuum fide & testimonio deprehendimus. Si verò eorum adjumento quippiam à Materiæ mole diversum esse perceperis, inde ordienda est disputatio, atque ita demùm in viam nostram deflectitur, ut à rerum materialium contemplatione ad Mentis divinæ notitiam perveniatur. Deinde quid summæ perfectionis vocabulo significari velles sciscitantur. Si de ipsâ rei perfectione cogitaveris, nihil aliud inquiunt cogitare potes nisi sempiternam ipsius materiæ soliditatem. Si de facultatibus quibuslibet: rerum materialium eventus sunt, qui nullâ suâ stabilitate fruuntur. Si verò quam ab his perfectionem diversam cogitare possis, quæ sit dicere debuisti; at nullam, inquiunt, aut finxisti aut fingere potuisti, nisi quæ ad istarum alteram acce-

dat. Si verò, inquies, Materiam non suæ naturæ perfectione existentiam adipisci, neque *Mentem* illius dispositione nasci, rursum relictâ jam tuâ disputandi viâ in nostram deflectis, neque quicquam promovebis, nisi à rerum factarum Naturâ ad summæ cujusdam notionem, quæ ipsa infecta sit, progrediére, alioqui quantumcunque lucteris, summam quam cogitare potes perfectionem ipsi materiæ tribuendam esse dicent. Denique tametsi quædam fuisset in Argumento subtilitas & acumen, nemo tamen est, quin etiamsi nodum solvere non poterat, se illaqueatum potius & fraude captum quàm ratione victum suspicaretur. Melius ergo Religioni consuluisset Philosophus, si *tritâ*, ut vocat, Naturæ *viâ* incedendo ad conclusionem perduxerat, quam ut in novas ab *usu communi remotas* declinando, tum ab ipsius rei cognitione, in quam alioqui facillimè perveniri posset, abduceret, tum vepribus & senticetis in æternum vexatos & impeditos irretiret. Cùm itaque eâ diligentiâ utrumque fecit Philosophus, tam ut Mundum sine Deo fabricaret, quam ut nulla Numinis argumenta, nisi tenuia admodum, si non prorsus sophistica afferret, profectò severè nimis de hominis Integritate judicassem, nisi quod cum illius nova movendi ambitionem cogitaverim, eum non tam impietate quam levitate peccasse suspicarer. Cùm enim ut dixi ad Philosophiam accessit disciplinarum omnium præter Mathematicas & Militares imperitus, facile fieri potuit ut dum in omni re soli novitati studeret, non videret in quas insidias & pericula abiret. Et quanquam eum alii de iis postea monuerunt, fateri nollet, ne *Inventionum* suarum gloriâ se orbatum videret. Quo crimine ut Mechanicos omnes versari indicavimus, ita etiam singulos ejusdem stultitiæ & credulitatis arguimus. Atque igitur Lector cum jam tandem ad Operis finem pervenerimus, an duo ista, quæ ab initio promisi, præstiterim tu ipse judices, tum scilicet Deum cuique, qui suâ Rationis facultate integrè uti voluit, se satis notum fecisse; tum si qui eum aut non omnino noverint, aut non ritè investigaverint, id solâ levitate accidisse, quæ

quàm

quàm stulta in Mechanicis omnibus fuerit, jam satis opinor de singulis demonstravimus. Nos itaque quanquam tam abjectos & ad superstitionem proclives esse nollem, ut cuivis Religioni, nisi quam persuaserit optima ratio, succumbamus; ita quoque in primis ab eo animi fastidio caveri vellem, ut nulla aut in Theologiâ aut in quâvis aliâ disciplinâ principia, nisi quæ à nobis nova-ta sunt, probemus. Quod si fecerimus, nihil necesse erit aut in Democriti puteum descendere, aut in Carrtesii dubitationes incidere, sed quisque qui apertam rerum Naturam paulisper perspexerit, ab omni re tum Deum esse discet, tum quicquid præterea scientiæ sit, quæ suâ intersit, consequetur. Cùm itaque tam facilem se nobis præbuerit summa Numinis Majestas, ut mediocri curâ & studio se planè cognitam & comprehensam habeamus, meritam ei gratiam justosque honores summo animi cultu vitæque obsequio persolvamus. Præsertim cum nihil arduum, nihil durum, nihil non jucundum nobis imperavit, de officii ratione satis operis exordio diximus, nullas eum nisi unius *benevolentiæ* leges imposuisse, quâ tum commune omnium bonum tum cujusque fælicitatem optimè tueatur. Si verò nunc quæ sit optima cultûs divini ratio Lector scire aveas, scias alacrem & modestam pietatem nullâ superstitione, nullâ animi imbecillitate, nullâ vanitate contaminatam summo Numini maximè placere. Præstantissimum illius cultum esse bene de illius Virtutibus sentire; justum, sanctum, benignum prædicare; grato animo summa optimi Parentis beneficia recolere; humili fiduciâ omnia quibus opus est à benignissimâ ejusdem Providentiâ impetrare. Hæc præcipua & gratissima esse cultûs divini Officia; hæc ipsum non modo in bonam partem accipere, sed summâ delectatione exosculari; cultum simplicem, facilem, apertum cordi habere; nullis præstigiis, nullis assentandi ceremoniis, nullis denique affectibus, qui animi firmitatem labefactent, delectari. Si præclarâ hac pietatis ratione, cætera probus, (impius enim nullis unquam donis aut precibus illius iram placare audeto) Numen

men Optimum colueris, mox inde fructum & pietate tuâ & illius providentiâ dignum percipies, ut aliis omnibus beneficus ſemper fueris, atque tecum ipſe tranquillus; ut pulcherrimè omnem fortunam feras; ut mortem ſine vitæ faſtidio contemnas, vitamque ſine mortis metu tranſigas; ut denique ſolidâ beatæ immortalitatis ſpe ſemper erectus in ſummâ fælicitate & vivas & moriaris.

---

*FINIS.*

---